D 123

S. Norbert

1755

OPES SACERDOTII

NUM

REIPUBLICÆ NOXIÆ?

EX RERUM NATURA, SANA POLITICA,

ET

COMMUNI SENSU

GENERIS HUMANI EXAMINATUM

A

P. A. DESING, B. E.

Divitiæ, quia invidiæ ſunt obnoxiæ, difficulter cuſtodiuntur, etiamſi ſacræ ſint.

Strab Geogr. Lib. VIII.

CUM FACULTATE SUPERIORUM, ET PRIVIL. CÆS.

Impenſis Joannis Gaſtl, Bibliopolæ Pedepontani prope Ratisb.
MDCC LIII.

D 123

RPJCB

PRINCIPATUI,
SACERDOTIO,
NOBILITATI,
TOTIUS GENTIS
BOJORUM,
HOC EST
AVITÆ
CLEMENTIÆ,
SANCTITATIS,
VIRTUTIS
EXEMPLIS PERPETUIS

Hoc qualecumque eſt commentationis,
ex ipſorum maxime animi ſententia,
rebus geſtis dudum explicata,
profectum

INSCRIPTUM CONSECRATUMQUE,

Ut,
Quorum ſapientia res hæc BOICA
Ex æterni numinis indulgentia
Adhuc ſtetit,
Eorundem junctis animis
Porro ne labem patiatur,
Quin potius incrementa capiat
Cœlò ſubitura:
Utque
Cum ceteris DEI Miniſtris
Veterem etiam DIVI BENEDICTI
Familiam,
Cujus labore ac providentia
IN BOICA
ET PONTIFICATUS INSTITUTI,
ET ANIMI EXCULTI,
ET REGNUM IPSUM EXORNATUM
Varie fuit.
Ferant atque tueantur.

GRATITUDINIS ET MEMORIÆ
ERGO

D.

DEVOTISSIMUS
Auctor.

APPROBATIO
EXEMPTÆ CONGREGATIONIS SS. ANGELORUM CUSTODUM BENEDICTINO-BAVARICÆ, ET PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

NOS BEDA DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Abbas Weſſofontanus, p. t. Congregationis Benedictino-Bavaricæ Præſes Generalis &c. præſens Opuſculum, cui titulus: OPES SACERDOTII NUM REIPUBLICÆ NOXIÆ? à Viro Clariſſimo D. P. Anſelmo Deſing Ord. S. Bened. Exemti Monaſterii Ensdorffenſis Profeſſo &c. erudite & ſapienter elaboratum, atque à Theologis Congregationis noſtræ approbatum, luci publicæ mandandi licentiam damus, tanquam utiliſſimum, neque de ulla contra fidem Catholicam aut mores bonos labe ſuſpectum; ſimulque, ſicut ad cætera ejusdem Authoris opera nuper edita, ita ad hoc vulgandum Domino Joanni Gaſtl Privilegium Cæſareum, jam ante conceſſum, iterum concedimus, & confirmamus. In cujus rei fidem præſentes litteras manu noſtrâ & Sigillo munitas dedimus anno Salutis 1753. die 27. Februarii.

(L.S.) BEDA Abbas Weſſofontanus,
p. t. Præſes Generalis mprop.

 LICEN-

LICENTIA PRORII
REVERENDISSIMI D. D. ABBATIS.

NOS Anſelmus Ord. S. P. Benedicti in Monaſterio Ensdorffenſi Exemptæ Congregationis Benedictino - Bavaricæ in Superiori Palatinatu Abbas Perdilecto Conventuali noſtro Adm. Rev. ac Eximio P. Anſelmo Deſing &c. facultatem damus, ut Librum de OPIBUS SACERDOTII à ſe magna induſtria compilatum Publici Juris & uſus facere poſſit, ſuppoſita eorum, quorum intereſt, approbatione. In cujus rei fidem has litteras manu & Sigillo noſtro Abbatiali munitas dedimus. Ensdorffii die 13. Aprilis 1753.

(L.S.) ANSELMUS ABBAS.
mpr.

CEN-

CENSURA.

Præſens Opuſculum, cujus Cenſura à Reverendiſſimo & Perilluſtri D. D. BEDA Almæ Congregationis Benedictino - Bavaricæ Præſide Generali & Præſule Weſſofontano vigilantiſſimo &c. &c. mihi gratioſe demandata fuit, cuique titulus: *Opes ſacerdotii num reipublicæ noxiæ?* à Viro Clariſſimo D. P. *Anſelmo Deſing* &c. tam erudite ſimul & ſapienter elaboratum eſt, ut viri eruditi habeant, quo inter legendum amœna quadam ſuavitate afficiantur; Viri præterea Politici inveniant, quo ſibi à falſis præjudiciis adverſus ſtatum eccleſiaſticum, opesque illius paſſim invaleſcentibus caveant; Invidi demum bonorum eccleſiaſticorum æmulatores ſalem experiantur, qui livorem ſanet perfrictione ſaluberrima. Cum præterea nihil contineat, quod fidei, morúmve regulas offendat, illud luce & laude publica digniſſimum cenſeo.

Dabam ad S. Emmeramum
16. *Sept.* 1752.

P. FROBENIUS FORSTER
SS. Theologiæ Candidatus examinatus & approbatus p. t. Prior ibidem mpr.

APPRO-

APPROBATIO THEOLOGICA.

EX COMMISSIONE D. D. PRÆSIDIS GENERALIS CONGREGATIONIS BENEDICTINO-BAVARICÆ.

Quantum ſuperſtitioſa Gentilitas non minus, quam vera Dei per omnia ſæcula Religio; quantum antiqua & vel ideo ſemper dives Nobilitas; quantum omnis bene moratus hominum ſtatus ac conditio profuſi æris ſemper in ſacra ſacrorumque Myſtas coacervaverit, hoc parco tempore docet præſens Opuſculum, AN OPES SACERDOTII REIPUBLICÆ NOXIÆ &c. inſcriptum, Authore ſuo vel ideo digniſſimum, quia omnis illi ſemper amicus Plato, ſed magis eſt amica veritas. Cum igitur nihil huic operi orthodoxæ fidei, nihil prorſus contrarium bonis moribus inſit, digniſſimum judico, quod ſub prælo publico cœcutientibus lumen veritatis affundat. Datum Salipoli ex Aula Archi-Epiſcopali die 19. Junii Anno Domini 1752.

(L.S.)

P. BENEDICTUS BUECHER, Congregationis Benedictino-Bavaricæ in Obernaltaich Profeſſus SS. Th. D. Protho Not. Apoſt. Celſiſſimi ac Reverendiſſimi Arhiepiſcopi & Principis Salisburgenſis Conſ. Eccleſ. Confeſſ. & Aulæ Theologus atque Official, Chiemenſis. mpr.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Paucis Te, Lector chriſtiane, volo.

Primum *in univerſum te oro, animo ſereno, ac frigido, quod ajunt, ſanguine me legas: neque velis interpretem agere verborum meorum. Id juris mihi potius adagium &* ſenſus communis *vindicat. Ubi quid videtur ambiguum, & in partem trahi ſequiorem poſſe, quam erit facile illud flectere in partem meliorem, æquiorem, ſuaviorem? Hoc ipſum enim propoſitum mihi erat, meliora ſemper ſcribere. Nolui dicere pejora. Tu noli dicta pejus interpretari, quam ſentire voluerim ego. Non iniqua peto. Multis lituris, præter conſuetudinem, affeci has chartas. Affeciſſem pluribus, ſiquid exiſtimaſſem ineſſe offendiculi. Potui peccare: homo ſum. Poſſum etiam non peccans diſplicere tibi: homo es. DEUM noſtrum nec ego, nec tu fallimus. Ad illum ſtetit oculus cordis mei cum hæc ſcriberem.*

Alterum, *quod moneo, tanti non eſt. Prima bujus opellæ pars aliquibus videbitur aridior, & interdum nonnibil anxie expoſita, aut aliquid olere ſcbolæ. Aliis aliter videbitur. Præteri, nibil veto, quæ ad palatum non faciunt, aut omnino librum totum propjice à facie tua. Forte illum poſt aliquot ariſtas è pulvere colliges denuo; non ſecus ac de alio libro meo ſibi eveniſſe mibi faſſus eſt vir quidam nobilitatis ſummæ, quem impenſius veneror.*

Tertio *loco, ſi politicus es, forte mirabere, quid ego in argumento tam 'delicato non occuluerim nomen meum? Poſui illud non temeritate, ſed ut omnes intelligant, me non ſub vineis pugnare, nec machinas arte inſtruere, ſed agere ingenue ac liberaliter utque decet animum non ignobilia ſentientem. Præterea cauſæ tantum deſperatæ atque protritæ jubent, patronos ſuos eſſe occultos. Sacerdotii cauſa, tam ignobilis non eſt, ut pudere me ejus debeat. Pugnarunt illam ante me contra maleferiatas quasdam animas maximi in orbe viri, reges, imperatores, omnesque per omnia & loca & tempora populi, qui uno omnes conſilio ſacerdotes non pauperes & abjectos, ſed divites & boneſtiſſimos eſſe decreverunt.*

Addo atque ſanɛte teſtor, à nemine uno mortalium rogatum, monitum, juſſumve me ad boc ſcriptionis acceſſiſſe, neque anſam mibi ab ullo præbitam, quin neminem adeo ſuſcepti operis conſcium fuiſſe. Hinc quoque nomen ſubſcripſi meum, ut, ſiquid

cui-

cuiquam juſtæ offenſionis pareret liber, *in me potius*, *quam in quemlibet alium*, *cadant iræ*, *ſi quas rite commerui.*

Quartum *quod te orem hoc eſt. POLITICOS hinc inde compello. Teſtor jam, hoc me nomine non rerum publicarum adminiſtros ſeu moderatores intelligere, ſed illorum maxime gentem, quos vulgo STATISTAS vocant*, *id eſt: homines plerumque otioſos*, *negotiorum publicorum nulla alia re participes*, *quam ut in circulis ſuis aut in Caffeæ tabernis grandi ſupercilio decernant non re ſed ore. Quibus ſeſe adnumerant plerumque* novorum *publicorum fabri & inſtitores*, *& alii quidam tenuioris ſortis*, *quibus in nullo terræ angulo vel avenæ culmus grandinem ſentit. Hi namque omnes ſicut in alias reipublicæ partes ita etiam in ſacerdotium & ſacerdotum opes linguam exacuunt & conſilia procudunt multo fidentius quam veri*, *& ſi per Grammaticos licet*, reales *politici*, *in quorum manibus frænum rei publicæ quieſcit*, *quosque utpote vera prudentiâ*, *quæ in bono tantum corde habitat*, *à DEO donatos ſcimus multo æquiores. Otioſi aut parum aut nihil poſſidentes facillime decernunt de opibus alienis attenuandis*; *negotioſi & quantum ſatis eſt prædii tenentes difficillime: quippe his & juris & injuriæ ſenſus ineſt*; *illi nec quid ſit poſſidere*, *nec quid poſſeſſis exui experimento ullo didicere.*

Ultimo *oro eadem æquitate me capias de* Nobilitate *loquentem. Avita nobilitas avitam gratiam & humanitatem cum ſan-*

 guin

guine hauſit. Nova nobilitas illa, quæ ex virtute & prudentia profecta eſt, virtutem etiam & bonitatem in omnes exhibet; neque enim nata hæc nobilitas nova eſt, niſi ex hac virtutis & bonitatis oſtenſione. Ab utrisque his carpendis adeo ſum alienus, ut agnoſcam temerati juris eſſe reum, præterea inertem, qui minus his honoris exhibeat. Quodſi deinde alios forte tango, qui horum decorum nudi ſunt, & tamen ultra plebeja ſubſellia conſident, grave id eſſe non debet. Nam quemadmodum ſacerdotes merito reprehenduntur, cum in alios reipublicæ ordines præter æquum aliquid ſtatuunt aut ſentiunt; ita prodigio ſimile videri non debet, ſi in aliis quoque vituperantur non laudanda eaque, quæ ſenſui communi omnium gentium repugnare videntur.

Hunc ſane SENSUM COMMUNEM DE SACRIS OPIBUS *ejusque æquitatem ſi ex hac lucubratione mea, Lector Chriſtiane, intelliges, tetigi ſcopum. Sin ego ita perfunctus hoc labore ſum, ut tu nihil hinc proficeres, aut me non caperes, aut me meliora ipſe teneas, doceri ſaniora & erudiri percupio.*

Ceterum ſacræ Romanæ Catholicæ & Apoſtolicæ eccleſiæ judicio & correctioni omnia ſubſterno.

Elenchus totius Operis.

PARS I.

ARGUMENTIS COMMONSTRATUR, OPES SACERDOTII NON OBESSE REI PUBLICÆ.

Examen primum. Quid ſit Res publica?

No.

1. Ætatem noſtram ſapientiorem antiquis eſſe,
2. Puerilis jactatio videtur.
3. Primum opus eſt ſcire, quid ſit res publica;
4. Aliàs vaga nimium querela eſt;
5. Cum multi rei publicæ prætextu privata ſua quærant.
6. Is autem ſolœciſmus facile detegitur.

Examen ſecundum. An res publica ſit Ærarium, fiſcus? &c.

7. Id multi exiſtimant,
8. Contra experientiam Spartæ, Romæ &c.
9. Ærario pleno res publica perit.
10. Ærario vacuo res publica ſtat.
11. Ærarium propterea non negligendum.
12. Nec tamen ærario nocent opes ſacerdotii.

Examen III. An respublica ſint opes civium?

13. Ita multi exiſtimant de pecunia:
14. Quos falli docet Sparta: Carthago, Græci,
15. Batavi etiam ac hodierna tota Europa, pauperior facta creſcente pecuniâ:

Examen IV. An Rex aut Optimates ſint res publica?

16. Hebræi negabant,
17. Atque Romani.

Examen V. An res publica ſita in libertate, independentia?

18. Hoc velle videtur Tullius. Male.
19. Sic nuper male etiam Angli.
20. Id videtur etiam Politicis, maxime contra Pontificem Romanum. Male.

21. Hæc enim dependentia prodeſt reipublicæ.

Examen VI. Res publica eſt tota civitas.

22. Ita fert ſenſus communis hominum.
23 Totius potior eſt ratio quam partis.
24. Populus eſt ſocietas *animorum* & *corporum.*
25. Pſeudopolitici ſunt qui corpora curant, animis vilipenſis
26. Ignorantes ſunt, qui corpora ſperant curare ſine animis.

Examen VII. Quid ſacerdotum noceat reipublicæ, cum dicitur ſacerdotes nocere?

27. Sacerdotes animum & corpus habent.
28. Utrum noceat? & an præſtaret, ſacerdotes angelos eſſe? Politicis id periculo eſſet.

Examen VIII. Num reipublicæ noceant ſacerdotum animæ?

29. Nocere certo poſſunt, & nocuere aliquando.
30. Ideo politicus vellet ſacerdotes eradicatos.
31. Eadem ratione extirpari etiam alii civium ordines debebunt.

Examen IX. An corpora ſacerdotum obſint R. P.

32. Ita videtur auctori ſpiritus legum, quia cælibes ſunt.
33. Sed malo ſophismate. Quia ſi ſimul nocerent ſingula, plus nocerent multiplicata.
34. Si ſacerdotum nocent corpora, cur non aliorum?
35. Politicis malis nocent ſacerdotes quidquid ſint, quidquid agant.
36. Politica ſecum pugnans.

Examen X. An prædia ſacerdotum noceant reipublicæ?

37. Sunt tamen ejusdem naturæ ac prædia aliorum.
38. Quis autem pane, vino &c. ſacerdotum occiſus eſt?
39. Politicis malis non prædia hæc nocent; ſed quia invident ipſi, nocere videntur.
40. Imo nocent prædia ſacerdotum, nempe illegitimis manibus.
41. Immunitas prædiorum ſacerdotalium an noceat?
42. Non.

43. Etſi nihil conferrent in publicum, tamen non nocerent. Habeantur ſacerdotes ſaltem æquali cum ſervis jure.
44. Sacerdotum opes ſunt eleemoſynæ, ſed non in univerſum.
45 Si eleemoſynæ ſunt, cur laici divites ex iis vivere volunt?
46. Aut quo jure eas auferre volunt?
47. Sacerdotes multa de ſuo labore pepererunt ſibi & aliis.
48. Multa habent *Parſimonialia*,
49. Ex quibus ipſis calumnia, aliis lucrum paratur.
50. Multa ſacerdotia non à laicis ſed ſacerdotibus ipſis fundata ſunt.
51. An *nimiæ* ſint opes ſacerdotum, non quivis ſunt judices. Argumentum ad hominem.
52. Non omne quod ſupereſt cibo &c. nimium eſt.
53. Dato, eſſe nimias, non ſunt ob id ſpoliandi.
54. Etiamſi tanta haberent, quanta ſacerdotes judaici, non hoc eſſet nimium.
55. Item quanta Turcici: quorum tamen opes non nocent eorum reipublicæ.

Examen XI. An ſacerdotes opibus exuendi, ut ſint imitatores Apoſtolorum?

56. Etſi ſacerdotes haberent opes contra Chriſti præceptum, Politici non poſſent eas noxias dicere.
57. Sacerdotes non debent eſſe cupidi:
58. Sed nec cupidi nocerent ſemper reipublicæ.
59. Chriſtus Apoſtolis non prohibuit opes, ſed promiſit,
60. Et Apoſtolorum imitatoribus,
61. Nimirum prædicatoribus veri Evangelii,
62. Qui divites eſſe poſſunt & tamen facile intrare in regnum Dei.
63. Secus eſt de divitiis infidelium.
64. Promiſſionem ſuam implevit Chriſtus. Apoſtoli *ſine pera* miſſi non ut egerent, ſed ut *nihil deeſſet*,
65. Imo ut *multa ſupereſſent*.

66. Ipſe-

66. Ipſeque Chriſtus pro collegio ſuo *ſuperflua* habuit:
67. Apoſtoli etiam multos locupletarunt.
Idque in veteri teſtamento præſignificatum fuit.
68. Sed præter divitias Chriſtus ſacerdotibus etiam *promiſit perſecutiones.*
69. Si mundus reformandus eſt per politicos ad antiqua tempora, cur initium faciunt à ſacerdotibus, non à ſe? ii maxime qui antiquitatem ſpernunt?
70. Si Apoſtoli debent carere pecuniâ, cur Danis miſſionariis in Indiam ea mittitur?
71. Sacerdotes nimis laute vivere an noceat reipublicæ? & cur noceat lautities ſacerdotum, non vero aliorum? alii ſacerdotum ſordes incuſant.

Examen XII. An noceat inalienabilitas opum eccleſiæ?

72. Inalienabilitas generatim inventa eſt ad utilitatem reipublicæ.
73. Terra Chanaan inalienabilis à Judæis fuit: item
Terræ ſacerdotii ipſorum. Ut etiam apud Ægyptios.
74. Res fiſci inalienabiles.
75. Sacerdotes non ſemper *acquirunt tantum.*
76. Et ſi hoc etiam fieret, non noceret reipublicæ.
77. Sacerdotes acquirunt, ſed & multa tribuunt.
78. Alienari etiam poſſunt eccleſiarum bona, ſed quomodo?

Examen XIII. An opes eccleſiæ ſubeſſe arbitrio Papæ, noceat reipublicæ?

79. Cavillus Puffendorffianus *de Statu in Statu*
80. Breviter exponitur. Regna ſunt Status in eccleſia, non eccleſia ſtatus in regnis.
81. Dependentia à Pontifice non nocet,
82. Sed prodeſt reipublicæ.
83. Opes eccleſiæ ad illegitimos uſus illibenter tribuuntur.
84. Sed Papa hac poteſtate abuti poteſt? Reſpondetur.

Exa-

Examen XIV. An ſacerdotio attributa perierint reipublicæ? De manu mortua.

85. Quid vere *pereat* reipublicæ?
86. Quæ in modum ſacrificii deſtruuntur, non pereunt reipublicæ,
87. Etiamſi Deus pro illis nihil redderet.
88. Opes ſacerdotio Dei causâ datæ non periiſſent reipublicæ, etiam ſi nemini alteri inde bene fieret.
89. Hominis Calviniani judicium ea de re.
90. Turcarum.
91. Aliter ſentientes an ſint Chriſtiani?
92. Sacerdotes mortui ſunt;
93. Sed aliter quàm quod dicunt politici quidam. Sacerdotum ager an mortuus?
94. Politicis interdum videtur nimis vivus.
95. Sacerdotes pro omni dono grati ſint.
96. Chriſtiani dona ſua non numerant in perditis,
97. Sicut faciunt politici quidam.
98. Si de ſacerdotum fundis nihil reverteretur ad alios, non ob id mortui eſſent.
99. Eorum tamen multi ad alios reverſi ſunt.
100. Ex ſacerdotum fundis an armetur miles?
De veteri ac hodierna militia, ſteuris, cenſu.
101. Sacerdotes non ob id mortui, quia ipſi non militant.
102. In Gallia quantæ opes Cleri?
103. Habent quintam partem reddituum regni.
104. Sunt immunes à Steura cum nobilibus.
105. Et tamen præſtant regi multa ordinarie:
106. Extraordinarie autem plus quam ceteri.
107. De Germania idem multo verius eſt.
108. In matricula imperii Prælati ſunt ut in libro *viventium* non mortuorum.
109. Et manus vivas porrigunt etiam extra ordinem.

110. Aliaque obeunt ſumptibus eccleſiarum.
111. Anno 1431. pro portione plus pendunt imperio
112. Anno 1486. dederunt quantum reliqui ſimul.
113. Pro Camera imperiali quid dent Eccleſiaſtici?
114. Sacerdotes quia lanam habent, tonderi poſſunt & volunt non ad quæcumque
115. Non quomodocumque.
116. Sacerdotum opes an malis artibus acquiſitæ?
Etſi hoc verum eſſet, non eſſent ob id ſpoliandi.
Eccleſiæ meliores titulos habet quam reges &c.
117. Eccleſia ſi olim proba fuit, etiam nunc eſt talis.

Examen XV. An ſacerdotibus ſpoliatis paupertas publice ceſſatura ſit?

118. Pauperiei ſuccurrere dignum politicis ſtudium eſſet.
119. Sed eorum pleraque conſilia contrarium pariunt.
Ut *mercimonia*,
120. Ut modi novi emungendi pecuniam;
121. Ut conſilium de attenuandis ſacerdotum opibus.
122. Ante ſacerdotes chriſtianos mundus fuit plenus pauperum.
123. Apoſtolorum tempore Chriſtiani pauperes fuerunt. Per Apoſtolos tamen factum, ne egerent. Si hodierni Chriſtiani imitabuntur veteres Chriſtianos, hodierni Apoſtoli poſſunt imitari Apoſtolos,
124. Cur Chriſtiani veteres non ipſi diſtribuerunt ſuam ſubſtantiam, ſed per Apoſtolorum manus?
125. Quid poſſint pauperes ſperare ab his politicis?
126 Cauſa cur eleemoſynæ per ſacerdotes diſpenſentur.
127. Non eſt opus, noſtros ſacerdotes miracula facere inſtar Apoſtolorum,
128. Regnum, ubi ſacerdotibus opes eripiuntur, non manebit Catholicum.

129. Si prædia ſacerdotum diſtribuantur inter ceteros, an nulli futuri ſint pauperes? Cui autem erunt danda? an nobilitati? an oppidanis?

130. Bona uni ordini erepta alteri dari, politice nocet.

131. Si ſacerdotum opes viritim diſtribuentur ceteris, nec rem hoc juvabit publicam, nec pauperes.

132. Duo hominum genera de ſuo aluntur. Domini terrarum, & coloni. Ceteri ab his aluntur.

133. Domini ſunt aut eccleſiaſtici aut Nobiles.

134. Prædia ſunt *Dominorum:* fructuum pars eſt *colonorum:* labor in fructibus eſt *oppidanorum.*

135. In moderno ſtatu prædia inæqualiter ſunt diſtributa.

136. Plus debent habere, qui plures homines curant.

137. Numero majori colonorum non plus facultatum attribuendum eſt, quam numero minori dominorum.

138. Duos facimus ordines Dominorum, *ſacerdotes* & *Nobiles.* Duos item ordines laborantium, *oppidanos* & *colonos.*

139. Quintus ordo ſunt *pauperes.*

140 Quibus *jure* debetur aliqua portio à quatuor ordinibus.

141. & 142. Ponamus rempublicam parvam octo millium familiarium, & triceſies bis centenorum millium aureorum, è quibus 1000. *ſacerdotes* habeant octingenta millia aureorum: *mille nobiles* habeant totidem aureos: *bis mille oppidani* totidem aureos: *quater mille coloni* totidem aureos. In hac ſi ſacerdotes tantam eleemoſynam dant, quantam duo alii ordines, pauperibus bene conſuli poteſt.

143. Jubente politico ſi ſacerdotum ordinem eliminamus, creſcit pauperum numerus & miſeria, & reſpublica multum patitur.

144 In gratiam politici facimus alia ſyſtemata plura, quæ ſacerdotibus detrahunt; ex omnibus nihil venit commodi neque pro republica neque pro pauperibus.

145. & 146. Hypotheſis una plauſibilis, qua ſacerdotes acciduntur pauperes è republica plane tolluntur, nullaque neceſſaria eleemoſyna eſt. Sed multis modis vana eſt hæc hypotheſis
147. Paupertatem ceſſare, inter *deſiderata* numero.
148. Æqualitas nimia plus nocet quam inæqualitas.

Examen XVI. An ſit verum, SACERDOTES NUTRIRI ex quarta parte proventuum regni, ubi eam partem revera capiunt ſacerdotes?

249. Cum ſuprà *mille ſacerdotes* in ſyſtemate reipublicæ poſuimus, ſubintelleximus eorum familias & domeſticos. Sic etiam in *Nobilibus*. Familiæ unius ſacerdotis adſcribimus viginti capita: totidem uni familiæ nobili: capita decem uni familiæ oppidanæ; totidem uni familiæ ruſticæ. Itaque tota res publica conſtat

-- Sacerdotibus	1000	- - eorumque familiæ capitibus		20000
-- Nobilibus	1000	- - -	familiaribus - -	20000
-- Oppidanis	2000	- - -	familiaribus - -	20000
-- Colonis	4000	- - -	familiaribus - -	40000
-- Pauperibus	1000	- - -	cum ſuis	
			Summa	100000

150. Ex toto numero tantum mille ſunt ſacerdotes: nam ſacerdotum familiares laici ſunt. Ergo totus fere proventus ſacerdotum abſumitur à laicis, non à ſacerdotibus.
151. Colonorum dimidium cum eorum familiis rurſus alitur ex maſſa ſacerdotum: alterum dimidium ex nobilitate.
152. 153 Oppidanorum dimidium cum familiis etiam alitur ex maſſa ſacerdotum: alterum dimidium ex nobilitate.
154. Sacerdotium multa accepit ex maſſa Nobilitutis Nobilitas multa recipit ex maſſa ſacerdotii.

155. Igitur *mille ſacerdotes* alunt 50000. colonorum & oppidanorum. Item *mille nobiles* alunt 50000. colonorum & oppidanorum. Non ergo ſacerdotes merentur invidiam.
156. Sacerdotes non ſunt ſpectra, ſed homines ex ordine nobilium, oppidanorum, colonorumque, ſunt fratres &c.
157. Objicitur: ſi alii, quam ſacerdotes hæc prædia tenerent, alii ceteros alerent. Reſpondetur.
158. Objicitur: Mendicantes Religioſi noxii ſunt reipublicæ.
159. Reſp. Ergo vis eos occidi? Nihil proderit.
160. Nec juvat rempublicam, ipſos artibus & opificiis adhiberi: multo minus iis uxores dari.
161. Nec juvat eos milites fieri;
162. Sed etiam nocebit.
163. Ab his religioſis multi nutriuntur homines.
164. Quique hereditates reliquerunt, ex illis nutriunt ſuos propinquos.

Examen XVII. An ſana Politica exigat, ut ſacerdotium pauper ſit?

165. Hactenus dicta probant contrarium. Silhonis Politici Galliæ ſententia.
166. Altera ejusdem.
167. Alexandri *Roſs* Angli ſententia.
168. Nobilium filii ex heterodoxis academiis quid didicerint.
169. Roſii ulterior ſententia.
170. Ejusdem ſententia: opes ſacerdotii eſſe fulcrum religionis; religionem fulcrum reipublicæ.
171. Deinceps probandum experientiâ, revera hunc eſſe *ſenſum communem* humani generis.

ELENCHUS

PARS II.

QUIS FUERIT SENSUS COMMNUNIS POPULORUM CIRCA OPES SACERDOTII SUI?

TESTIMONIUM I. Sacerdotii facultates in re publica HEBRÆORUM.

172. Dicenda proponuntur generatim.
173. De civitatibus Levitarum. Cur Deus voluerit has per totum Iſraël diſperſas jacere?
174. In civitatibus Levitæ acceperunt decuplo plus quam alii Iſraëlitæ.
175. Lamenta ſuper hoc novorum politicorum inania.
176. Levitæ non acceperunt deteriores civitates, & acceperunt illas absque ſuo onere, quod alii portare debebant pro eis.
177. Illas acceperunt in æternam hereditatem, inalienabiles.
178. Adjectus iis magnus ager.
179. Quod clare explicatur & geometrice.
180. Ager uni civitati additus comprehendebat viginti quinque milliones cubitorum quadratorum. Omnium vero civitatum ager habebat cubitos quadratos mille milliones & ducentos quinquaginta milliones,
181. Hoc eſt jugera circa centum millia & viginti quinque millia.
182. In quibus minimum ſexcenta millia pecorum paſcebantur, præter alias divitias. *C'eſt trop!*
183. Politici alicujus ſtupor ſuper hac re. Sed hæc debebantur Levitis ex juſtitia commutativa,
184. Ex Jacobi teſtamento.
185. Joſephi filii duo in unius patris locum ſucceſſerunt.
186. Adoptati ab Avo Jacobo, ad *duas partes* hereditatis accipiendas:
187. Ut adeo *tredecim tribus* fierent, & tantum debebant eſſe *duodecim portiones* hereditatis. Levitæ ergo renuntiarunt ſuæ portioni.

188. Cui

188. Cui viciſſim Deus juſſit à ceteris 12. tribubus partem *optimam* in compenſationem reddi, præter ſacerdotii honorem ac poteſtatem.
189. Sacerdotium novæ legis plus renuntiat, quam in veteri. Qui ergo his invident, ingrati ſunt.
190. 191. Primitiæ hominum ſacerdotio Hebræo dandæ.
192. Primitiæ ceterorum animantium.
193. Primitiæ frugum permagnæ.
194. Primitiæ aliarum rerum.
195. Decimæ.
196. In decimis Levita viritim quilibet triplo plus accipit, quam quilibet alius Iſraëlita ex ſuo fundo. Idque ſine labore ſuo, ſine onere.
197. Sacrificia quotidiana.
198. Sacrificia pro peccato, lucra ſacerdotum.
199. Victimæ pacificæ.
200. Feſta Judæorum proficua ſacerdotio.
201. Lepræ judicium magnus proventus ſacerdotii.
202. Purificationes item aliæ.
203. Oblationes ordinariæ & extraordinariæ.
204. Vota hominum, animalium, domorum.
205. Redemptio animæ.
206. &c. Donaria ad templum aliquot millia millionum thalerorum.
209. Salomonis ſumptus in templum, in quo ædificando quatuor maximi exercitus laborant.
210. Memorabilis oratio Davidis in his omnibus offerendis.
211. Obſervationes ſuper hac oratione, & quod David hos omnes theſauros merito vocaverit *paupertatem.*
212. Naturaliſtæ credent, Moyſen fanaticum fuiſſe.
213. Ex quo ſequitur omnes gentes fanaticas fuiſſe præter thraſones aliquot heri natos.
214. Ex ſententia auctoris ſpiritus legum Moyſes barbarus fuit & David diſcplinis caruit,

215. Et omnes populi barbari fuerunt maxime Græci & Romani.
216. *Objic.* Hebræi terram ſuam acceperunt à Deo: ergo æquum fuit, ex ea aliquid reddi ſacerdotio.
217. Reſp. Chriſtiani populi terrasne accipiunt à diabolo?
218. Objic. Religio Chriſti non eſt inſtituta propter terreſtria: Ergo ſacerdotes terreſtria non debent habere. Bella Logica!
219. Hoc argumentum deſtruit principia juris Puffendorffiana.
220. Ne vetus quidem teſtamentum finem habuit terreſtria.
221. Longe hinc contraria ſequuntur, nempe ſacerdotibus non invidendas opes eſſe à republica chriſtiana
222. Populus Hebræus terrena ſapiens ſacerdotibus multa adjecit; Chriſtiani terrena ſpumantes debentne eripere ſacerdotibus ſua?
223. Hebræi nunquam inſidiati ſunt ſacerdotum opibus, ut Chriſtiani faciunt.
224. Levitæ tenuerunt terras aliorum labore & ſanguine cultas & expugnatas. Chriſtiani tenent eas cultas labore ſacerdotum.
225. Levitæ nemini quidquam pendebant; noſtri ſacerdotes omnibus.
226. Judæi credebant, *omnia* eſſe Dei, qui hæc hominibus commodaverit. Hodierni aliqui Chriſtiani credunt omnia eſſe hominis; quæ Deo ſervantur, ea *periiſſe*.
227. Judæi exiſtimabant utile eſſe, ſub imperio ſacerdotum degere. Hodierni aliqui Chriſtiani ſacerdotes noxios putant ſibi.
228. Nulli alii Judæi unquam poterant venire in participium juris Levitarum, Chriſtiani omnes poſſunt fieri ſacerdotes, epiſcopi &c.
229. Judæi habuerunt Levitas pro fratribus ſuis: Chriſtiani aliqui ſacerdotes ſuos habent pro alienigenis, hoſtibus.

TESTI-

TESTIMONIUM II. Sacerdotii Facultates in imperio TURCARUM.

230. Ex quo fonte ſequentes relationes ſint hauſtæ?
231. Turcæ nullum habent aliud jus aut legem, quam ſolam ſuam religionem.
232. *Muftius* eſt judex non tantum religionis ſed cauſarum civilium, & ſanguinis.
233. Proventus Muftii.
234. Cadileſkeres & alii judices Turcarum ſunt perſonæ religioſæ ſeu ſacerdotales.
235. Monaſteria Turcarum multa, copioſa.
236. Templorum eorum divitiæ.
237. Templum Sophiæ ditatum à Turcis. Ei Sultanus tributum pendit.
238. Ex omni terra acquiſita quædam pars dicatur templis.
239. Terræ & coloni templorum immunes ſunt.
240. Fœnus ſoli templorum pecuniæ conceſſum.
241. Omnia apud Turcas ſunt imperatoris, exceptis opibus religioſis, quæ Dei ſunt.
242 Eleemoſynæ Turcarum
243 Omnes non pauperes ſunt obligati ad ſepulcrum Mahumetis peregrinari. Quod magnos ſumptus exigit.
244. Anacephalæoſis de Turcia.

TESTIMONIUM III. Sacræ facultates apud INDOS.

245. Indiæ incolarum ordo præcipuus ſunt *Brachmanes*: eorum prærogativæ
246. Eorum opes.

247. Eorum numerus.
248. Brachmanes ſolum accipiunt, de ſuo nihil tribuunt aliis.
249. Ex omnibus ſacrificiis, feſtis, primæ partes veniunt Brachmanibus.
250. Tributa templis Indiæ penſa ex omni re vendibili, ex moneta.
251. Alii ſumptus maximi in religionem ob xenodochia animalium. Politicorum indignatio.
252. Alii Indiæ ſumptus in religionem Turcarum, & Armenorum &c.
253. Alii in Catholicos, qui præcipue ex Europa ſubminiſtrantur.
254. Politicorum ſuper hoc gemitus.
255. Alii eorundem gemitus contrarii.

TESTIMONIUM IV. De opibus ſacris in PERSIA.

256. Varia religio in Perſia.
257. Gentilis.
258. Mahumetana dominatur. *Sedes* ſacerdotum eorum ſummus.
259. Templa ſumptuoſa.
260. Collectio de Perſia,

TESTIMONIUM V. Opes ſacerdotales ARABIÆ.

261. Fere omnes aliunde ex orbe terrarum inferuntur huc.
262. Plures exercitus divitum peregrinantium huc confluunt quotannis,

262. Do-

263. Dona huc mittuntur plurima. *Schekus* omnium Mahumetanorum ſummus ſacerdos hic, & ditiſſimus.

264. Monitio ad politicos.

TESTIMONIUM VI. De opibus ſacerdotii in Imperio SINARUM.

265. Olim jam chriſtiana religio in Sinis; neque opum vacua.

266. Sinenſium Sectæ duæ. 1ma Doctorum.

267. Idolalotrarum ſecunda, quorum caput *Tſcham*, potens.

268. *Bonſii*, eorumque monaſteria.

269. Templa plurima & pretioſa.

270. Impenſas has in religionem faciunt Senenſes, tametſi ſint valde pauperes.

271. Tametſi cupidiſſimi rerum &c.

272. Quomodo politici aliqui moderni Sinarum imperium ordinaturi eſſent?

273. Peccatum eſt, quod hi non inſtituant miſſiones politicas ad Sinenſes & Indos.

TESTIMONIUM VII. De ſacerdotum opibus apud TARTAROS.

274. Tartaris utut pauperibus ſunt tamen quædam opes.

275. *Lamæ* ſacerdotes ipſorum, ſunt innumeri; omnes ex alieno, hoc eſt eleemoſyna viventes.

276. Si hic ſtatus ſacerdotum placeret quibusdam politicis etiam in Europa inducendus, debebit ipſis placere etiam res publica Tartarorum in Europa inducenda.

277. Sicut ſacerdos ſic & populus.

278. Lamæ importuni ſunt exactores,

279. Magno Lamæ ab omnibus Tartaris maxima dona & honores fiunt.

TESTIMONIUM VIII. De opibus ſacris apud ÆGYPTIOS.

280. Reges Ægypti è ſacerdotum numero electi.

281. Sacerdotes immunes, eorum bona inalienabilia.

282. Cambyſes deſperavit Ægyptum ſubditam tenere, niſi ſacerdotibus exciſis.

283. Templa eorum pretioſa partim adhuc ſuperant.

284. Non putabant Ægyptii, ut moderni quidem politici, periiſſe reipublicæ, quod Deo conſecraretur.

TESTIMONIUM IX. De opibus ſacris apud GRÆCOS.

285. Reges cur à ſacris remoti fuerint?

286. Objectio. Græci religionibus falſis decepti fuerunt: ergo non trahendi in noſtrum exemplum.

287. Hæc logica admodum rudis eſt.

288. Deus ipſe verus injurias ſacerdotio etiam falſo illatas ſæpe graviter ultus eſt, non ad confirmandum idolorum cultum, ſed ad confirmandum ſenſum communem de vero Deo vindice boni & mali.

289. Sic etiam præmia contulit in cultores idolorum.

290. Exemplum ex Plutarcho.

291. Honor & divitiæ impenſæ idololatriæ non periere reipublicæ: ergo neque divitiæ impenſæ veræ religioni.

292. Græci admodum politici fuere, & ſemper in ſacra liberales.

293. Reverentia Græcorum erga templa.

294. Arcanarum doctrinarum venerantiſſimi Græci.

295. Sacrilegus peculatus graviſſime punitus.
296. Ordo dicendorum de Græciæ Sacris opibus.
297. Multitudo templorum. Pauſanias fere nihil memorabile præter templa invenit in Græcia.
298. Athenæ templorum plenæ.
299. Corinthus item, Delphi, Boeotia, Delphi iterum, Elis.
300. Magnificentia templorum, Jovis Olympici,
301. Panthei Athenienſis.
302. Minervæ Athenienſis.
303. Athenienſium generoſitas erga divina.
304. Templum Junonis Myceneæ.
305. Æſculapii Epidaurii.
306. Dianæ Epheſinæ.
307. Coloſſus Rhodius.
308. Templum Apollinis Delphicum. Sacrilegium Phocenſium, quo ſe ditari ſperabant, ut punitum.
309. Theſauri ſacri templorum: eorum ſpoliatores.
310. Delphico templo & Græci, & Romani, & Barbari dona ferebant.
311. Decimæ offerebantur ex præda hoſtium ad hoc & alia templa.
312. Item dona annua.
313. Magni ſumptus in ſacrificia:
314. Ut denique etiam humana ſacrificia invenirent.
315. Agri ſylvæ &c. diis dicati, & regiones totæ.
316. Alexander ad templa inſtauranda ex Aſia in Græciam miſit decem milliones.
317. Templum Jovis Olympici.
318. Templum Deæ Syriæ.
319. Sacerdotum apud Græcos numerus.
320. Statuæ multo plures quam Sacerdotes: in illas impenſa non nocuit reipublicæ: ergo minus impenſa in ſacerdotes, vivos.

Teſtimonium X. De opibus ſacris apud ROMANOS.

321. Fundamenta reipublicæ Romanæ in religione poſita fuerunt.
322. Sacerdotum vox infallibilis habebatur.
323. Templa Romæ plus quadringentis, præter lucos &c.
324. Multiplicata illa fuerunt, cum etiam Roma tanquam Dea coleretur, & Auguſtus & imperatores.
325. Templorum magnificentia. Pantheon.
326. De Capitolio ejusque ſumptuoſitate, Donariis maximis, ſtatuis aureis.
327. Aurum templorum votivum.
328. Item triumphale & coronarium.
329. Romani vota & dona etiam foras miſerunt ad extera templa.
330. Privati decimas omnium bonorum ſuorum conſecrabant Herculi.
331. Sacrificiorum ſumptus.
332. 333. Ludi ad Religionem pertinebant Romanam.
334. Quotuplices Ludi?
335. Leges ludorum, præerant ſacerdotes.
336. Ludi auguſtales, ſeculares.
337. Sumptus ludorum maximus. Auguſtus pro ſe ſolo *octoginta milliones florenorum* impendit in ludos.
338. Ludi funebres.
339. Sacerdotum Romæ numerus, & ordines varii.
340. Augures eorumque poteſtas ſumma.
341. Haruſpices & alii.
342. Flamines.
343. Veſtales Virgines.
344. Salii, feciales.
345. Rex Sacrorum, Gali, Decemviri Epulonum &c.

346. Mi-

346. Miniſtri ſacrorum varii.
347. Pontifices, & Pontificis maximi jura.
348. Romani omnia prorſus vitæ negotia cum religione incipiebant & finiebant, iisque adhibebant ſacerdotes, non ſine ſtipendiis & emolumentis.
349. In curiam Romanæ civitatis ſive tribum recipi, idem erat quod religionem Romanam profiteri, nec alia admittebatur.
350. Juris civilis arbitri ſoli fuere pontifices.
351. Quæritur ex moderno politico, an Romani ſcientiam politicam aliqualem habuerint? At illi maximas in religionem impenſas fecerunt.
352. *In ſacris quid facit aurum?* Reſpondent Apoſtoli. Imperatores, reges, nobilitas; qui forte tam boni fuerint politici quam Puffendorffius, & Montesquicæus.
353. Reſpondent politico etiam illi omnes, qui à Sacerdotio iterum recipiunt plurima bona temporalia; præter ſacra animarum lucra.
354. Principes maxime politici & prudentes, maxime fuere munifici in Sacerdotium. Ergo politici quidam moderni minime ſunt politici ac prudentes, qui ſacerdotium attenuare ſuadent.
355. Infamia principia cujusdam heterodoxi de Imperatoribus laude vel vituperio dignis.
356. Imperatores in diplomatibus ſuis profitentur, ad *regni ſui munimentum* pertinere, ſi ſacerdotio adjiciant terrenam ſubſtantiam.

TESTIMONIUM XI. Opes Sacerdotii apud GALLOS veteres.

357. *Druidarum* ſumma poteſtas.
358. *Aurum Toloſanum* quindecim millionum.

359. Id licet demerſum in lacubus non tamen Gallis viſum eſt nocere reipublicæ, ne in extrema quidem neceſſitate extractum.

TESTIMONIUM XII. Opes ſacræ PERUVIANORUM.

360. Templa immenſo auro referta.
361. Primitiæ item agri tertia pars templis dicata.
362. Sacerdotum monaſteria, preces, confeſſiones.
363. Varius ſacerdotum ordo: Virginum monaſteria.
364. Peruviani damnant Politicos.

TESTIMONIUM XIII. Opes ſacræ MEXICANORUM.

365. Magnæ eorum, qui non ſtupidi erant, impenſæ in ſacra.
366. Templa plurima.
365. Eorum magnificentia.
367. Sacerdotum ibi Hierarchia, diſciplina, monaſteria etiam virginum.
369 Sacrificia immania.
370. Concluſio operis.

Opes

PARS PRIMA

ARGUMENTIS COMMONSTRATUR, OPES SACERDOTII NON NOCERE REIPUBLICÆ.

EXAMEN PRIMUM

QUID SIT RES PUBLICA?

Sæpe ſolet & in colloquentium circulis & in libris novis jactari, hoc ævum noſtrum ratione & ſapientia multo eſſe præſtantius præ tempore retro elapſo.

1\. Noſtram ætatem ſapientiorem eſſe antiqua,

Acutius rem examinanti videbitur ea jactatio eſſe inanis, & puerorum indoli convenientior. Atque inter cetera inanitatis argumenta hoc quoque eſt, quod ho-

2\. Eſt puerilis jactatio.

Hodierni ſcriptores ſæpe neſciunt *quid* ſcribant.

dierni perſæpe multa dicant ſcribantque, quin vel ſciant vel ſaltem profiteantur, *quæ qualisque* ſit ea res quam ſermone percribrant. Contrà veteribus ſanctum ac ſolemne fuit, in principio ſermonis certum definitumque facere, quodnam eſſet illud, quod perſcrutandum ſumpſiſſent.

Eundem in modum hodie multos audias quiritantes: *Sacerdotiorum facultates Reipublicæ obeſſe.*

3. *Quid* ſit res publica primo definiendum eſt;

Hoc quidquid eſt querimoniæ rite examinare volenti mihi neceſſe eſt primo omnium deprehendere, ſi forte potero, quid iſti nomine *Reipublicæ* intelligant?

4. Aliàs multa errabimus.

De hoc niſi nobis conſtet, queſtus nimium eſt vagus, anceps, & facile in omnes detorqueri poteſt, etiam qui ſacerdotes non ſunt.

Quis enim non interdum audit queſtus alios, dicentium: Militum copia nocet *reipublicæ*: copia conſiliariorum nocet, & copia nobilium; copia item doctorum, mercatorum: Omnia denique nocere debebunt reipublicæ, niſi falluntur iſti; maxime nocere ſecundum hos videbuntur imperantes, qui populorum tributa excipiunt; quia nocere videtur qui accipit.

5. Et privata potius quam publica curabimus.

Quapropter niſi recte conſtet *cui* demum noceatur per ſacerdotes, ſuſpicio nobis ſuboritur, perperam à plerisque diſſeminari illos queſtus. Videntur enim multi non tam *Rei PUBLICÆ* compendia & utilitatem cordi habere quam *SUÆ privatæ*: cumque conſiderant aliqui, ſibi deeſſe id quod poſſident ſacerdotes, dolore hoc tacti ut celent invidiam, obtegunt illam pulcro velo ſollicitudinis ſuæ pro

re

re *publica.* Videt aliquis, hunc prælatum tot habere prædia cum colonis, *aquis aquarumque decurſibus:* Sibique ea percommoda fore ratus ingemit. Non auſus tamen profiteri ſe aliena appetere, vult reliquo mundo perſuadere, Prælatis talia non convenire. Ratio hujus judicii apud ipſummet eſt invidia: ſed hanc aliis prodere fœdum eſſet: igitur *Res PUBLICA* prætenditur cupidini augendæ *rei PRIVATÆ:* & aliis perſuaderi vult, *rem PUBLICAM* curaturos illos omnes, qui ſacerdotes ſpolient facultatibus.

6. Solœciſmus invidentium ſacerdotio.

Solœciſmus hic facile appareret, ſiquis cum Horatio diceret: - - - - *Mutato nomine de Te Fabula narratur.*

Nam ſi viciſſim prælatus diceret, tantus comitatus, tot arces uni homini ſubjectæ tot æris millia in unius mercatoris loculis recondita nocent *rei publicæ:* exuendus eſt: quid tum dices ipſe?

Non aliter veniet miles dicetque: tot agros, prata, ſaltus, habet unus colonus? Res hæc privata eſt, nocet rei *publicæ.* Rurſus aderit colonus, dicens: tot florenorum millia habet unus quotannis chiliarcha vel tribunus, quantum nec viginti coloni cum familiis ſuis: nocet rei *publicæ.*

Qui ſi valet, rempublicam peſſumdat.

Facile vides, lector oculate, hoc in omnes civium ordines latiſſime ſerpere. Ex hoc autem conſequitur in iſtorum ſententia, niſi *quid ſit RES PUBLICA* probe definiatur, rempublicam optime curatum iri, ſi cuivis ordini detrahatur id quod habet, ſi colonus militem non

alat, miles colonum diripiat, ſacerdotem ſpoliet nobilis, nobilem deteſtetur ſacerdos. Bella ſcilicet res *PUBLICA.*

EXAMEN SECUNDUM.

AN RES PUBLICA SIT ÆRARIUM PRINCIPIS VEL QUOCUNQUE NOMINE VOCETUR SUMMUS IMPERANS?

7. Multi ærarium pro re publica habent,

HOc quidem exiſtimare videntur multi, qui ſuadent omnia in hoc ærarium undecunque corradi. Salvam rempublicam eſſe, ubi bene farcta principis vel cujuscunque ſummi imperantis ſit crumena.

8. Contra experientiam

Verum his obloquitur multiplex atque conſtans experientia, rerum omnium, cumprimis moralium & civilium certa magiſtra.

Spartæ,

Sparta rem habuit publicam: ærarium habuit nullum: non ergo res eſt ærarium publica. Ne admiſſum quidem Spartæ aurum, & vix cognitum. Et quousque hæc ſtetit continentia, ſtetit res publica: cum auro, cum ærario perire cœpit, velut peſte afflata.

Et Romanorum,

Romani populi non erat jejunum ærarium, cum Julius Cæſar ex Gallia Rubicone ſuperato Romam trepidantem occupavit, tegulasque aureas diu ſepultas eruit, ſignavit, diſperſit. At Cicero non tum *periiſſe rem publicam* doluit, cum tegulæ conflatæ ſunt, ærariumque diſſipatum; ſed cum inimicitiæ & ambitio principum parere mandatis dedignarentur, cum conſiliis neque in ſenatu eſſet locus, neque in populo ſuffragiis. Salluſtius autem jam tum periiſſe rem *publicam* agnovit, & in paucorum

eorum poteſtatem redactam, cum Aſiaticæ deliciæ atque opes transveherentur Romam, dulce nempe venenum.

Sunt in Africæ occidua ora reguli, quorum ærarium conchis & limacum teſtulis oppletur: hoc enim illis monetæ genus eſt, atque limacibus datis vendunt homines, cives ſuos. Tanto horum *res publica* erit felicior, quanto plus in ditione ſua limacum, quantoque minus numeraverint hominum ac civium; quippe vendunt cives, qui non ſunt res publica, ut obtineant conchilia quæ ſunt ipſorum *res publica ſive ærarium.* Afrorum.

9. Ærario pleno res publica ſæpe ægra. Exemplum Batavorum.

Fieri poteſt, ut ærarium ſit plenum, *res tamen publica* ægra, exhauſta. Batavi jam anno elapſi ſeculi, milleſimo nimirum ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo in concamerationibus curiæ Amſtelædamenſis defoderant tot illas, quæ feruntur, auri myriadas: *res* tamen eorum *publica* perierat, niſi undique vicini advolaſſent, præſidioque fuiſſent. Jamque imminebat Gallia defoſſo auro, rem hanc publicam, nempe auri in ærario recondici immanem vim tamdiu captivam libertate donatura, & vere publicam factura, quæ adhuc parietibus concluſa potius erat privata.

Nuper admodum cum Perſici regni tyrannus militiæ clarus Indorum devictum regem duxiſſet captivum, didicimus nos alii, quam parum rei publicæ eſſet in ærario & theſauris. Nam rex Indus ut *rem publicam* recuperaret, ærarium evacuandum dedit Perſæ: redempta eſt ærario res publica perdita; data eſt pecunia, & amiſsâ pecu- & Mogoris Indi.

niâ rediit res publica Indo. Non igitur res publica ærarium eſt.

10. Ærario vacuo R. P. poteſt eſſe bona.

E diverſo poteſt fieri, ut vacuum ſit ærarium, plena nihilominus res publica.

Exempla Principum Patriæ.

Non uni ſunt principes Patriæ noſtræ Germaniæ, de quibus hæc, quæ jam dicam, accepimus. Petentibus aliis videre & luſtrare ærarium, cum prope vacuum reperirent & ſubſiſterent; princeps vocari civium complures jubet, opus eſſe argento docet: eſſentne præbituri, rogat. Addicunt proni omnes: hic decem, ille triginta, alius centum. Gratiis pro tempore actis dimittuntur, curioſusque ille percontator intelligit, hos eſſe theſauros principis. Fuitne his bene compoſita ac ſalva res publica, quibus vacua licet nummis pera, at erat plena fide civium?

Exempla hæc laudantur: & illa laudatio damnat horum ſententiam, qui rem publicam in turgente principis marſupio conſtituunt.

11. Ærarium non ſpernendum.

Non inficior, ærarium, ſi quod adſit, pertinere ad rempublicam: non jubeo ærarium negligi, diſſipari. Sed hoc eſſe id, de quo nos jam quærimus, nego.

12. Sacerdotum opes nec ærario nocent.

Deinde etiam nego, ſi vel eſſet ſita in ærario principis respublica, ſacerdotum facultates huic ærario nocere: dum illud demonſtrem, interim prædes ac teſtes allego quæſtores ac receptores pecuniarum, qui penſa à ſacerdotalibus prædiis aut manibus recipiunt. Horum regeſta & breviculi docebunt, falſam eſſe criminationem Cleromaſtigum.

EXA-

EXAMEN TERTIUM.

NUM DIVITIÆ CIVIUM SINT RES PUBLICA?

Id quidem nonnullis videtur, felicem ajentibus rempublicam, cum divitiarum in populo abunde eſt. 13. Divitiæ ſunt pecuniæ civium.

Inter divitias autem non aliud magis numeratur, quam aurum, & argentum ſive pecunia: nam ceteris omnibus abundans, hac autem deſtitutus pro divite habeberis colono, paupere cive.

In civium autem *pecuniis* non eſſe ſitam rempublicam nec rei publicæ fortunam, tralatitium eſt. 14. ſine his R.P. felix.

Antiquum nobis Reipublicæ quamquam pauperis exemplum Spartani edidere. Civibus aurum ignorantibus dives, opulenta, firma res publica fuit; auro demum ſubruta. Sparta,

Carthaginenſibus illuſit Hannibal in concilio, cum ægre pecuniam tandem ad bellum conferrent; non perituram illis fuiſſe rem publicam vaticinatus, ſi jam antè privatum æs in publicum contuliſſent. Non deerat Pœnis civibus aurum, & tamen aurum deerat rei publicæ. Aurum igitur civium res publica nondum eſt. Carthago pecunioſa infelix,

Idem accidit Græcis Conſtantinopoli. Urbem oppugnabat barbarus Turca, querebatur intus militi pecunia, nusquam ea parebat. Capit urbem hoſtis, Imperatorem in porta obtruncat, direptisque ædibus paſſim præda pecuniæ ingens redigitur, de foſſa à civibus & varie occulta ac vere privata. Poterat dato auro miles erigi, res publica ſervari civibus pauperioribus factis. & Conſtantinopolis,

Quid

15. & hodierna Europa pecunioſa, Quid vetera loquor? de celebri hodie populo palam ſcribunt: divitias civium adeſſe cum egeſtate rei publicæ.

Quantum auri argentique ex fluviis & fodinis Occidentis & Auſtri, prope attoniti ſpectamus, ſi temporis paulo ante Carolum quintum elapſi rationem habemus? Illud omne in cives Europæ large diſperſum, non ceſſantibus Germaniæ Hungariæque ſtricturis, pecuniam & ſupellectilem Europæ vehementer adauxit, rem publicam non fecit, niſi fallor ego, ditiorem. ſed pauperior. Certe non rariores hodie ſunt publice de pauperie queſtus: & ſi reipublicæ egeſtas ex multitudine egentium æſtimanda eſt, magna Europæ pars ipſaque Hiſpania auri hujus repertrix hodie eſt pauperior, cum mendicabulorum numerus paſſim excreverit. Niſi miles perpetuus aleretur, mendici nos devorarent. Tametſi videatur, milite perpetuo, ut nunc eſt, conſtituto, debuiſſe decreſcere mendicorum excercitum: quippe trecenta amplius militum millia, quos numerato ſtipendio alit ſola Germania, maximam partem mendicarent aut latrocinarentur, niſi ſtipendia facerent. Hi vero milites additi mendicis, qui ultra militum numerum ſuperſunt, credo nos cives ceteros propemodum devorarent: adeo crevit cum argento egeſtas.

EXAMEN QUARTUM.

AN REX IN MONARCHIA AUT OPTIMATES IN ARISTOCRATIA SINT RESPUBLICA?

16. Exemplo fit QUid nobis videatur, non eſt neceſſe edicere. Quis enim ſum ego, qui de his rebus feram ſententiam? Quid

Quid populi ſenſerint ipſique principes, aliquot exempla docebunt.

Antiquiſſima eſt Judæorum hiſtoria. Ille populus ſimul tenaciſſimus reipublicæ ſimul novandi cupidiſſimus idoneum nobis exemplum eſt. Eductus ab Ægypto non regem, non alio nomine principem habuit: Dei illa res publica fuit, oraculis oſtentisque regebatur. Judæorum res publica, quæ cœpit ſine rege,

Tum duces aliqui per intervalla, & fere ad excutiendum alienigenarum jugum electi: inter hos etiam prophetæ, etiam fœminæ, Sacerdotes: ut ex ipſa jam varietate agnoſceres, *rem publicam* conſiſtere, utut demutato antiſtite ac magiſtratu.

Regem Judæis non rei *publicæ* neceſſitas, ſed cupido novarum rerum & ambitio dedit: *eadem* tamen manente *re PUBLICA*, dixeruntque Samueli: Conſtitue nobis regem ut judicet nos, ſicut & univerſæ habent nationes. Diſplicuit ſermo in oculis Samuelis. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi: non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos, &c. I. Regum VII, v. 5. &c. Nec minuta capite res publica Hebræorum fuit, perempto Saule. At Salomone mortuo & decem tribubus diviſis à Juda, vehementer mutata eſt, non tam quod *duos* nacta eſt *reges*, quam quod in *DUO* diſcerpta eſt *REGNA*, & duas potius quam unam nobis exhibuit rem publicam. Nam quomodo una eſſet res publica, quæ ab initio ad manſit impoſito rege & ſublato; mutata eſt per diviſionem populi;

exitum usque aperto marte ſub duobus inter ſe digladiabatur regibus?

quæ ſub duobus regibus potuiſſet eſſe una res publica.

Ceterum duo reges duas nondum facerent res publicas, ut quando Theodoſius & Gratianus, Honorius & Arcadius imperarunt, unum tamen fuit Imperium Romanum. Igitur nec unus rex unam facit rempublicam, ſed reipublicæ ratio in alio quodam conſiſtit.

Amiſſa eſt res publica vivente rege,

Populus deinde Hebræus abductus partim in Ægyptum partim in Chaldæam, rem amiſit publicam, tametſi rex etiam num viveret.

recuperata eſt ſine rege.

Eductus è captivitate populus rempublicam recuperavit poſtliminio, nullo licet facto rege. *Sacerdotes* imperabant: illud nempe mortalium genus, quod profani noſtræ ætatis rei publicæ teredinem & peſtem eſſe, tam belle pronuntiant.

17. Romana res publica non periit regibus exactis.

Romana res publica primum ſub ſpurio latrone principe nata regibus deinde paruit, quibus ob injurias in rem publicam exactis ſtatuminari viſa eſt ea ipſa res publica, quæ à regibus credebatur convelli. Reliquæ hujus rei publicæ vices vulgo notiores ſunt, quam ut eas referam. Mutata eſt perpetuis factis Imperatoribus res publica, ſed fere in deterius ob Imperatorum ſpurcitiem, immanitatem & probra.

Per imperatores perpetuos oppreſſa eſt.

Recentioris ævi attingere exempla nolim: ſuppetunt ſatis multa, nec in uno, ſed in omnibus, qui ſunt ſub ſole, populis.

EXAMEN QUINTUM.

AN RES PUBLICA SITA SIT IN LIBERTATE ET INDEPENDENTIA?

Libertatem rem publicam exiſtimaſſe videtur Tullius, quando queſtus eſt, ſuo tempore *rem PUBLICAM* periiſſe. Perierat enim ſuffragandi, jubendi, ſciſcendique libertas in populo; conſulendi, rogandique libertas in Senatu: & duo viri ſummam rerum ad ſe trahere contendebant, Cæſar quidem palam imperaturus, Pompejus autem imperium ſuum veſtiturus *nomine rei publicæ, hoc eſt libertatis*, quam contra Cæſarem vindicare promittebat. Re tamen ipſa jam huic Pompejo ſerviebatur à Senatu & populi parte, cum pars altera ſerviret Cæſari. Nunquid enim ſervire dicendi ſunt, qui, ubi imperet Pompejus, in neces ruant? aut qui, ubi imperet Cæſar, turmatim occidant Pompejanos pro *libertate*, hoc eſt, pro *REPUBLICA* pugnantes? 18. Cicero libertatem rem publicam putabat.

Quid accidit nuper Anglis? Carolum regem pudendo ad omnem poſteritatem exemplo pro pegmate lictorum ſecuri feriunt. Cur etenim? ut *libertati*, hoc eſt, (ſic dicebant ipſi) ut *rei PUBLICÆ* conſulant: re autem vera ut paucis factioſis & parricidæ *ſervirent* Cromvvelo. 19. Et nuper Angli.

Ceterum in re publica multum eſt *nominis*, parum rei, ſi res publica pro libertate ſumitur, id quod tamen latius exponere, hujus loci non eſt. Anceps nomen libertas.

20. Dependentia à Romano Pontifice

INDEPENDENTIAM pro re publica ſumunt politici quidam & naturaliſtæ heterodoxi; non tamen independentiam quamcumque,ſed eam fere tantum, quæ a *Romani Pontificis inſupportabili jugo nos eximat.* Hic avium iſtarum cantus eſt. Romanus Pontifex ſi jusjurandum relaxat, ſi matrimoniis leges ponit, ſi clavibus utitur à Chriſto traditis, periit res publica, quia perit independentia & naſcitur monſtroſus *ſtatus in ſtatu*, qui in cerebro Puffendorffii eſt hircocervus. Cum vero populus à rege pendet, cum â paucis vel à multis civibus, cum à ſociis etiam majoribus leges accipit ſociales, cum etiam tributa pendit exteris coacta, nihil patitur res publica, ſalva *independentia* eſt.

non tollit rem publicam.

Confutavi monſtroſam Samuelis criminationem in *Larva Detracta* & oſtendi, univerſim ſtatum in ſtatu eſſe rem uſitatam & neceſſariam; deinde eccleſiam non eſſe *ſtatum in regnis*, ſed regna eſſe *ſtatus in eccleſia.* Alibi etiam, in Appendice nimirum ejusdem *Larvæ detractæ* paucis expoſui, pro fanatico haberi hoc Puffendorffii dicterium poſſe, quippe ante hunc incognitum & omnium populorum ſenſui repugnans. Conſequeretur enim, niſi falſa criminatus eſt Puffendorffius, ante hæc tempora nullum fuiſſe in Europa, Italia maxime, populum liberum, nullam rem publicam; quia omnes à Pontificis maximi ſacro jure pendebant.

Experientia.

21. Dependentia hæc ſalutaris rei publicæ.

Hæc independentia à ſupremo paſtore ſi facit *eſſentiam*, ut ita dicam, *rei publicæ*, fateor huic rei publicæ nocere Sacerdotes, quorum contentio hæc eſt, ut depen-

pendentiam illam conſervent & Catholicam unitatem tueantur, & in uno ovili ſub uno paſtore cuſtodiant gregem quamvis variis locis ſedentem, quamvis aliis ſtudiis inter ſe certantem, quamvis ſub diverſis principibus arma & pugnas miſcentem, quamquam enim principum ſtudiis effectum eſt, ut Hiſpanus Gallum, Gallus Germanum oderit hominem; at, Sacerdotum, eccleſiæ, & primi paſtoris huc tendunt ſtudia, ut hi inter ſe aliàs ament tanquam unius paſtoris agni, unius patris filii; & ut odia ab aliis inſpirata mitius inter ſe exerceant; ingenti *reipublicæ* bono.

EXAMEN SEXTUM.

RES PUBLICA NON EST QUÆLIBET PARS CIVITATIS SEU POPULI, SED EST TOTA CIVITAS SEU POPULUS UNIVERSUS.

HIc fuit adhuc & eſt ſenſus communis hominum rudium æque ac doctiſſimorum. 22. Senſus communis dicit, rem publicam eſſe totum populum.

Plato deſcripſit *Rem Publicam*, multis libris explicato ſermone, qui hodie legitur non ſine admiratione antiquæ in multis ſapientiæ. At Plato non deſcripſit Principes ſolum & magiſtratus, nonſolum ſacerdotes, ſolum milites, ſolum artifices: ſed hos *omnes*.

Lycurgus inſtituit Spartam: at non inſtituit ſolos reges, ſolos ephoros, ſolos ſtratiotas, ſolos heliotas, ſed *omnes*.

Romana nunquid res publica fuiſſet ſolo ibi nidulante Romulo? aut ſolis Patribus conſcriptis prementibus ſubſellia curiæ? aut duobus conſulibus trabeatis in ſella curuli devectis?

Hæc adeo certa fecit ipſa rerum natura, ut ſenſu careat, qui ea non agnoſcat. Sunt tamen qui odiis, adulatione, pervicacia adeo corruptam circumferant animam, ut etiam luce meridiana clariora pernegent, quos non argumentis ſed libra una aut altera hellebori ſanaveris.

23. In corpore politico.

Neque hujus etiam eſt loci deſignare, quæ populi partes quibus partibus ſint potiores in conſtituenda reipublicæ ſubſtantia. In qua ſane re aliter decernendum eſt, quam in corpore animali. Tametſi enim bona ſit analogia corporis naturalis & politici, & ex illius ſimilitudine multæ bonæ regulæ deriventur in hoc; tamen in ſubſtantia multa eſt diverſitas. In corpore animali ubi caput abſtuleris periit animal: In politico ubi dempſeris regem, civitas manet. Caput corpore reſecto mortuum eſt: Rex populo intereunte vivit. Attamen hæc fere conveniunt: Cor & caput ſunt propter corpus, non corpus propter caput; ſic tamen, ut caput nutriatur, defendatur, portetur, ac ſuſtentetur à corpore. Ita non populus propter regem, ſed rex propter populum: ſic tamen ut rex nutriatur ac ſuſtentetur à populo, portetur, & obſequium habet.

caput eſt propter corpus, *rex propter populum.*

Id

Id ſenſere præclari quique reges, qui dixere: *Salus populi ſuprema*, hoc eſt regia, *lex eſto*. Ii etiam, qui dixerunt: *Perditum eſſe diem, quo non aliquid populo ſalubre conſtituiſſent.* Reges id agnoſcunt.

21. Populus igitur res publica eſt. Populus autem ſocietas eſt non jumentorum, non angelorum, ſed *animorum corpori implicitorum.* Populus eſt ſocietas animorum, & corporum.

Quamobrem duabus rebus differentibus conſtat res publica. *Primum* animis; & quidquid opus eſt ad eos integros, bonos, ſalvos præſtandos; quales communi populorum ſenſu poſſunt eſſe etiam absque corporibus.

Secundo res publica conſtat corporibus & quidquid opus eſt ad corpora integra, ſalva præſtanda; qualia tamen eſſe non poſſunt niſi rurſus animi ſint recte conſtituti: absque animo corpus cadaver eſt.

25. Gemino proinde peccato ſeſe obſtringunt, aliosque eodem inficere laborant Pſeudopolitici quidam ſcriptores, qui animi curam aut negligunt, aut poſtponunt omnibus; corporum ſocietati fere ſoli conſultum ire velle videntur. Dum enim quemadmodum facit *auctor ſpiritus legum*, veritas, bonitas, perfectio in legibus non attenditur, ſed nutriri, veſtiri usque ad excluſionemſpeculationis totus eſt labor ad quem natus eſt homo; quis non videt iſtos ſcriptores non homines curare ſed cadavera? Secretis animis corpora hominum ſunt cadavera: ſecretâ animorum curâ cadaverum ſocietas eſt populus, non hominum. Et Pſeudopolitici ſunt, qui corporibus provident, ab animorum cura abſtrahunt.

politici illi, quibus curæ ſunt illa ſolum quæ parti corporeæ propria ſunt, *Cadaver rei publicæ* curant, non rem publicam. Hoc primum illorum peccatum eſt.

26. Corpora ipſa curari nequeunt ſine animo recto.

Alterum peccatum eſt ignorantiæ & pugnæ cum ipſa natura. Ignorantia eſt ſupina, quando exiſtimant, corporum ſocietatem curari poſſe, quin præcipuè curentur animi. Id vel medici agnoſcunt, qui, etſi corporibus tantum curandis adhiberi videantur; præcipuam tamen curam animi habent. Vocati ad hominem morbidum pharmaca afferunt, membra pertentant: hoc corporum eſt. Sed unà præcipiunt: hoc modo, hoc tempore, hac menſura ſume potionem: nunc ſuda: nunc cave comedas: nunc dormi: diſcerne tempora; examina pondera; prudens eſto, niſi prudens & obſequens curari corpore à me non potes. Hæc autem, quæ nunc enumeravi, ſunt animorum; quo animo male compoſito vel medici profitentur, fruſtra eſſe artem opemque ſuam. Hinc ubi æger animo imperare ipſe nequit aut non vult, ſubſtituunt curatores, qui animo ſani ſunt, qui ea adigant facere ægrum, quæ ſi ſana mente eſſet, præſtare ipſe deberet. Aut omnino hominem inſtitis ligatum & comprehenſum equi inſtar curandum ſuſcipiunt. Adeo nihil eſt cura corporis, quin præcedat animi cura: adeo cadaveroſa eſt Politica illorum, qui animorum negotium omne ſubjiciunt corporibus, & cadaverum aut ſaltem jumentorum ſocietati congrua docent potius quam hominum.

Hæc

Hæc hactenus de *re publica* exponenda nobis in limine fuerunt, deinceps examinaturis, *quid*, *quod* vel *cui* ergo tandem noceant ſacerdotia, quando *rei publicæ* nocere dicuntur? ne novorum turbidorum more ſcriptorum indefinito ſermonis noſtri argumento occaſionem præberemus legentibus quidlibet ex quolibet efficiendi

EXAMEN SEPTIMUM.

QUID DEMUM SIT ID QUOD NOCET REI PUBLICÆ, CUM DICITUR, SACERDOTIUM EIDEM NOCERE?

INtereſt ſane ut & hæc argumenti nobis propoſiti pars rite definiatur, ne ſophiſmatis & fallaciis ſit locus, quibus pſeudopolitica, bonæ Logicæ ac ſanæ rationis expers, adverſus modernam hominum hypotheſin pugnat, ut novum neſcio quid in concavo lunæ conſtituat. 27. Cavillis præcavendum eſt.

Sacerdotes hujus mundi *homines* ſunt. Quales in Luna, Jove, Saturno conſtituat aut inveniat D. Wolfſius, ipſe viderit. Sacerdotes tanquam homines corpus & animum habent.

Homines ut diximus, animis & corporibus conſtant, cum his quæ ad horum utraque pertinent.

Ergo ſacerdotum & corpora & animi, & utriusque adminicula ſpectari poſſunt.

Jam ex politicis malevolis quæro: Utrum iſtorum nocet rei publicæ o boni? an corpus? an corporis adminicula? an animus? an adminicula animi?

Sĭ Sacerdotes angeli eſſent

Sed mihi jam ex longinquo ſubolet Cleromaſtigarum mens. Id ipſum multis dolet, *Homines* eſſe ſacerdotes: non inviderent ſacerdotibus ſortem angelorum quos non vident, non audiunt, non manu compalpant. Paterentur ſacerdotes, ſi neque viſu eos perciperent, neque olfactu: ſi corporibus exuti nec ſpatio indigentes in minimum terræ angulum detrudi poſſent omnes, aut in nucis teſtam compingi. Sic comparati ſacerdotes non nocerent rei publicæ, in magno habendi pretio eſſent, ſed ſine pretio, ſine alimento. Sed de his poſt agemus. Interim monitum à nobis ſalubre accipiant, hæc eorum vota multum ipſis afferre poſſe periculi. Nam ſi angelos iſti nanciſcentur ſacerdotes, adhuc compotes deliberationis, adhuc in *via* conſtitutos, qualis erat Lucifer angelorum primus; hi angeli maſtigas iſtos non ita patienter, ut nos, ferrent, ſed ſemel atque iterum correptos, nec emendatos vel elicitis de cælo ignibus involverent; certe malos male perderent. Suaſerim itaque hæc vota ſua ſollicite occulant, nequando exaudiat ea ſacerdotum Dominus & malo ipſorum adimpleat.

Peſſime conſuleretur politicis.

EXAMEN OCTAVUM.

AN REI PUBLICÆ NOCEANT ANIMÆ SACERDOTUM ET QUÆ AD ILLAS PERTINENT?

29. Animæ ſacerdotum *poſſunt* valde nocere.

NOcere eas poſſe & quandoque inſigniter nocuiſſe, ſi mali ſunt, publice conſtat. Quis enim neſcit ingentes

gentes noxas, quas in rempublicam invexere ſacerdotes Arius, Neſtorius, Wicleffus, Huſſius, Calvinus, Lutherus, Bucerus, Münſterus, Zvvinglius? quæ noxæ magnis voluminibus deſcriptæ deploratæque ſunt in Gallia, Germania, Anglia, in Oriente & Occidente. Quippe everſiones urbium, ſeditiones plebium, rapinæ, incendia, cædes, defectiones populorum, naufragium morum, ſtrata ad Atheiſmum via per Indifferentiſmum ac Libertiniſmum, & tot animarum exitium. Hæc à ſacerdotibus ita inſtructa, qui ſacerdotes *fuerant*: Sed qui dein ſuperbiâ, avaritiâ aut luxuria ſeducti à cathedra ſalutis defecerunt confederuntque in cathedris peſtilentiæ, Quos alii audierunt & ſecuti ſunt fide bona & ignorantia, quos dicimus materiales hæreticos, nec eos damnamus: alii autem ſecuti ſunt fide mala, quibus compatimur.

Quid hinc vero conficies, ſi ſacerdotum alii noceant, alii nocere etiamnum poſſint. Videor mihi audire dicentem eadem, quæ olim dicta fuerunt *Jeremiæ filio Helciæ de ſacerdotibus qui fuerunt in Anathoth.* Dicebant enim: Venite *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.* Jerem. cap. XI. v. 19. 30. Propterea non eliminandi

Faciamus, inquiunt, quod fecit Cambyſes Perſarum rex, qui non aliàs certius Ægypti rem publicam opprimere ſe poſſe ſperavit, quam ut omnes ſacerdotes opprimeret.

Aut faciamus, quod Lutherus nimium beatus, ſi ſuperis placet. Dicamus, omnes homines ſacerdotes eſſe: ſic peſtis iſtorum ſacerdotum ceſſabit. Sic dimidiam & formoſiorem populi partem nobis conciliabimus: quam enim gratum erit fœminis, eſſe ſacerdotes; haud dubie etiam ſacerdotes ſuper viros?

Aut faciamus, quod prudentior auctor Spiritus Legum ſuadet: Non auferamus ipſis ſacerdotibus ſua, ſed *ATTERAMUS* eorum opes: hoc eſt, *mittamus lignum in panem eorum*, ut primo ægre maſticent, pane tamen videantur non carere; deinde vero fameant; ac denique ultro diſcedant. Tum eorum ſubſtantiâ nos ſaginabimus: & rem *publicam* egregie ſanam præſtabimus.

31. Alias eliminandi homines omnes.

Verum qui ſacerdotes ideo è republica eradendos volunt, quod alii nocuerunt, alii nocere etiamnum *poſſint*: ii duram fabam rei publicæ cudunt, duram ſibi ipſis. Cur enim ſacerdotes ſoli opprimendi ob has cauſas ſint, & non alii, qui æque nocuerunt aut æque nocere *poſſunt?* Nocuere rei publicæ & poſſunt nocere milites, nobiles, litterati, conſiliarii, aulici, fæminæ, reges, & quis denique aut non nocuit unquam, aut non poterit nocere? Reipublicæ igitur ſi intereſt perſequi omnes qui nocere poſſint, totam perſequamur rempublicam neceſſe eſt & armemus in ſuamet viſcera.

EXA-

EXAMEN NONUM.

AN CORPORA SACERDOTUM OBSINT REIPUBLICÆ?

Ita viſum multis nec obſcure *Auctori ſpiritus legum.* Celibes enim ſunt ſacerdotes Catholici, Corpora celibum obſunt rei publicæ, quia non augent ſobolem. Quare hæc inſtituta Puffendorffio non ſunt idonea ad ſocietatem. Auctori ſpiritus legum celibatus fatigat ſocietatem & legislatorem. Malum eſt fatigari ſocietatem re quapiam ad imaginariam tantum perfectionem tendente, nempe celibatu. Nocent ergo corpora ſacerdotum rei publicæ. 32. Cœlibatus.

Quid audio? corpora nocent? & ideo nocent, quia plura non fiunt, non ſe multiplicant? quia non ex uno ſacerdote progignuntur ſex vel octo ſacerdotales, ut ita dicam, pueri pueræque? Novum hoc eſt argumenti genus fateor, Logicæ noſtræ adhuc incompertum: ſumptum forte ex methodo rigoroſa ſcientifica, vel Ontologia, aut Cosmologia. Quid ſi alius aliquis mathematice & longo algebraicarum litterarum ordine, aut potius digitorum oſtenſione demonſtraret: Si corpus unius ſacerdotis rei publicæ nocet *ut unum*, corpora ſex prolium ex eodem ſacerdote procreata reipublicæ nocitura eſſe *ut ſex*? Neque hoc ſolum, ſed etiam progreſſio nocumenti naſcetur, æqualis progreſſioni generationum. Quid enim ſi ex ſingulis prolium ſacerdotalium corporibus generentur alia ſex corpora & ſic porro! non vides fœcundam noxarum matrem? 33. Non nocet, ſenſu politicorum.

An forte corpora ſacerdotum ſola nocent; corpora autem ex iis genita nocent minime? Alterius enim, ſi ſuperis placet, naturæ ſunt. Et quæ hæc hariolatio eſt? quam fœdi hi cavilli in re tam ſeria, ubi de ſalute rei publicæ inter nos diſceptamus? Ex cavillis ergo de ſalute rei publicæ, de hominum ſorte, de ſacerdotio decernemus? Superi meliora!

34. Nec corpora nocent.

Deinde ſi corpora nocent rei publicæ, pervelim intelligere, ecquid non noceant rei publicæ corpora aliorum hominum, cum utique corpora ſint? corpora autem ſacerdotum noceant, cum non magis ſint corpora.

Quomodo autem nocent corpora? An quia manducant? manducant vero ad unum omnes etiam alii: igitur aliorum omnium corpora æque nocent reipublicæ. An nocent ſacerdotum manus, quia non arant, non occant? magna alia hominum pars nec ipſa arat nec occat. Nocet ergo reipublicæ pars reipublicæ ſelectior quæque.

Sed putidiuſculum foret his immorari prolixius, adeo ſunt abſona & à ſana ratione aliena.

35. Nihil recte faciunt ſacerdotes.

Deinde quid hoc eſt obſecro? Si nubunt ſacerdotes, nocent reipublicæ, quia onerant illam prolibus: Si non nubunt, nocent, quia non faciunt quod ceteri homines. Quæ hæc politica eſt, quæ tam fœde ſecum pugnat? aut quis denique Deus politicorum talium præceptis ſatisfaciat, ſi nigrum & album, calidum & frigidum eodem ore petant!

Unum

Unum adhuc addo. Videntur nonnulli politicam ſuam ad hoc intendere, ut gentem minuant. Qui in hac hæreſi ſunt, ii male petunt ſacerdotium minui, ſed augere etiam deberent, quo pauciores eſſent, qui prolem ſuccenturiarent.

Quodſi dicant, non corpora ſacerdotum volumus rariora fieri (quamquam & hoc velint) ſed maneant corpora, prædia abeant. 36. Res denique ad prædia redit.

℞. Ex hoc reipublicæ ſubnaſcituros plures pauperes, & futuros pauciores qui alant. Nam is qui prædium ſacerdotis accipiet, ex eo alet ſe & conjugem & aliquot proles paucosque alios, quibus rem publicam onerabit, nec ullos alienos in participium hujus prædii recipiet: Cum interim ſacerdotium aut monaſterium ex eo prædio amiſſo nec alere poſſit, quos hactenus in ſuam ſocietatem admiſerat, nec tot pauperes; nec alia ſervitia præſtare in rem publicam, ne dicam in ſalutem animarum & cultum Dei. Sed hæc alio deinde loco redibunt accuratius enucleanda.

EXAMEN DECIMUM.

AN PRÆDIA ET ALIA CORPORUM ADMINICULA SACERDOTUM NOCEANT REIPUBLICÆ.

37. Prædia ſacerdotum ſunt ejusdem cum aliis naturæ.

Hic fere latet politicorum aliquorum ulcus, quod illos pungit. Aperiendum igitur eſt & tabes exprimenda.

Impri-

Inprimis, niſi fallor, prædia, pecunia, prata, agri, amnes, lacus ſacerdotum ejusdem ſunt naturæ ac indolis cum prædiis & pecuniis nobilium & aliorum civium; niſi forte illa interdum ſint culta diligentius præ iſtis.

Qui fit jam, ut ejusdem indolis prædia alia reipublicæ noxæ ſint, alia eidem proſint? Mirabile dictu, pecunia ſacerdotum mordet, pecunia aliorum, cum æque ſit pecunia, dente innoxia eſt. Agri ſylvæque ſacerdotum reipublicæ venena gignunt: Agri ſylvæque ceterorum merum in rempublicam mel effundunt. In fluviis & lacubus aliorum res publica capit murænas; ex fluviis ſacerdotum ſerpentes in rempublicam proſiliunt & lacertæ. Et nihilominus agri ſacerdotum agris aliorum ſunt permixti. Redeunt miracula Ægypti, ſi hominibus iſtis fides, eaque perpetua miracula. Sacerdotes his inſtar Ægyptiorum ſunt: ipſimet autem veri Iſraëlitæ. In ipſorum ergo domibus lux eſt, apud ſacerdotes nonniſi tenebræ quæ palpari poſſint. Apud ſacerdotes ranæ, cynifes, mures ſunt, quæ non ſacerdotum erodant ſubſtantiam, ſed ipſam rempublicam devorent: apud alios, omnia non ſana tantum, ſed omnia rei publicæ unice proficua.

38. Nec eorum fructus venenoſi.

Certe non memini, pane ſacerdotum, pauperibus aut hoſpitibus præbito, quemquam eſſe extinctum, niſi quis venenoſo jam prius dente illum momorderit. Nec vina, opinor, ſacerdotum vitiant ſtomachum, niſi immodice hauſta, ut vina ceterorum. Donaria vero, largitiones, eleemoſynæ, ſubſidia, vectigalia ſacerdotum quam nun

non officiant viduis, pauperibus, pupillis, nobilibus, principibus, reique omni publicæ deinceps dicetur.

39. An malum ſit, prædia eſſe ſacerdotis?

At inquis, non prædia ipſa ſacerdotum nocent. Prædia bona eſſent, pulcra, opima, pulcra viſu, uſu etiam delectabiliora: Bona bona valde eſſent ſacerdotum prædia. Sed: ſed! Loquamur eja familiarius. Sed. Nimirum quemadmodum ille nobilis Hungarus nobili Germano in Collegio S. Apollinaris Romano dixit: Tu egregius es: *Sed damnum eſt quod tu ſis Germanus,* quia tu amas noſtram nationem. Ita his fere accidit. Prædia, inquiunt, ſacerdotum bona ſunt: & faciunt ea verbis aliquanto, quam ſint re, meliora, *Vicinumque pecus grandius uber habet*: ſed damnum eſt, quod tu pulcrum prædium ſis ſacerdotis, quia noſtra natio non amat ſacerdotes.

Nempe intelligimus ex cantu avem. Nos exiſtimabamus, prædia ſacerdotum mala eſſe, nunc bona ſunt: id unum malum eſt, quod ſacerdotis vicinus ea non habeat. Solus igitur ſacerdoti vicinus in re publica eſt aut ipſa res publica; Sacerdos nec res eſt publica, neque in re numerandus publica omnino eſt, ſed neſcio quid abortivum, ad hanc ſocietatem nihil plane faciens.

40. Sacerdotum opes nocent.

Sed demum fateor, opes ſacerdotum non proficere, aliquando etiam nocere. Referebatur olim, ùt nonnemo complura millia æris, ex hereditate conſanguinei ſacerdotis redacta, paucis annis dilapidaverit. Vir nobilis ad me converſus, verum ajebat, adagium eſt *Pfaffen-Gut thut kein Gut,* hoc eſt, *opes ſacerdotum non profi-*

ciunt. Cui ego: Imo proficiunt, ſed captæ manibus legitimis: quæ ſint autem legitimæ illæ manus, poſt dicemus. Illegitimis autem captæ manibus raro proficiunt, quin & nocent, & non ipſæ tantum dilabuntur, ſed etiam alias, quæ legitime erant partæ, ſecum trahunt, *auri inſtar Tholoſani*, quod è proverbiis notum eſt. Exemplorum ſunt tanta in Principibus, nobilibus, plebe, ipſisque ſacerdotibus, ut ſit longum enarrare.

Manibus illegitimis.

41. Sacerdotes licet immunes.

Rurſus mihi ingeris: Non prædia ſacerdotum ipſa nocent; ſed, quod ſint ſacerdotum, nocent, quodque ex iis, ob immunitatem, nihil conferatur in commune, in rem publicam.

42. *Primum* reſpondeo, hoc totum à fundamento usque ad faſtigium eſſe falſum, idque in ſequentibus dilucide comprobabo.

43. Non tamen nocent Reipub.

Secundo ℞. Etſi vel verum eſſet, ſacerdotes in commune nullas conferre pecunias, adhuc tamen & hoc eſſet falſum, ob id ipſum illorum opes nocere rei publicæ. Orphanotrophia, Xenodochia, Noſocomia, milites militumque præfecti maximis ſtipendiis à re publica conducti; rurſus Principum ipſorum palatia, villæ, latifundia, nullas conferunt in commune pecunias, ſed tantum datas accipiunt. Nunquid igitur iſta omnia nocent reipublicæ? Si fas eſt Chiliarchæ accipere à re publica aureorum quotannis millia quatuor pro ſe uno & paucis ſervis atque equis, quin ex ea ſumma vel obolum reddat rei publicæ; nec tamen id nocet rei publicæ, quid, obſecro

Sicut nec milites,

ſecro te, erit nefandum ſi collegium quoddam viginti ſacerdotum pro ſe multisque famulis, miniſtris, pauperibus, hoſpitibus, artificibus, quotannis reciperet à republica ſex ſaltem florenorum millia, etſi horum nullum rependeret in communem uſum? Nunc autem æra ſacerdotum collegiis non numerantur à re publica, ſed plerumque labore, induſtria cultuque terræ rediguntur.

Tot ſunt in provinciis millia varii ordinis ſervorum, qui nutriuntur omnes, veſtiuntur omnes, ſtipendia accipiunt omnes, immunitatibus gaudent multis, nec facile pendunt quidquam reipublicæ: merces enim hæc eſt operæ illorum, quam defraudare clamat in cælum. Quid jam magni poſtularent ſacerdotes, ſi ſervis ſaltem æquari peterent, ſuaque ſtipendia ſibi integra ſervarent! Nocere dicuntur rei publicæ ſervi ſervæque, quod nihil pendunt? Aut nocere dicendi eſſent ſacerdotes ſi nihil penderent? Nec ſervi

Verum hæc eſt hominum aliquorum malignitas, ut ipſis noxii videantur ſacerdotes, etiam cum plurima pendunt.

Objectat alius: opes ſacerdotum ſunt eleemoſynæ, non ſtipendia. 44. Opes ſacerdotum ſunt ſtipendia.

Reſpondeo huic *primo*, id quidem admodum eſſe falſum vel cæcis. Nam id quod datur ob laborem, ob exercitationem jugem, ob incommoda & pericula adeunda, quomodo eſt eleemoſyna tantum? ſi hoc eleemoſyna eſt, eleemoſynam accipiunt multi aulicorum facti con-

ductique ad hoc, ut exſpectent Principem, comitaturi prodeuntem ad luſum, ad ſcenam, ad venatum. Eleemoſyna vivent qui Principibus cantant aut voce aut fidibus aliisque modis animo ſerviunt ac voluptati. Si vel hiſtrionum muneri æquare dignaberis munus ſacerdotis ſive è ſuggeſtu loquentis ſive in odeo ſacro cantantis, ſtipendium illi non miſeram eleemoſynam debebis.

45. Etiamſi eſſent meræ eleemoſynæ, non nocerent Reipublicæ,

Reſpondeo 2do. Tametſi, quod falſum eſt, interim pro vero admittamus, nempe ſacerdotum facultates in univerſum loquendo eſſe meras eleemoſynas non ſtipendia: quid hinc efficies? An dices: Ergo facultates ſacerdotum nocent rei publicæ? idque quia ſunt eleemoſynæ? Nova hæc eſt, fateor, philoſophia, ac digna pluribus caſtigari ſiquis alius ſe aperiat locus. Ante hac & ſenſu communi mortalium & divinitus revelatis præceptis certum habebamus, obligari homines abundantes ad eleemoſynam dandam. Nunc eleemoſyna ex præcepto data nocet rei publicæ. Unde autem eſt, quod iidem ſæpe, qui ſacerdotum facultates reipublicæ noxias criminantur, ſollicite laborent ad ſacerdotia filiis ſuis obtinenda; ad filias clauſtris monaſteriorum inſerendas, nonnunquam etiam invitas; ad opem ab epiſcopis, aut monaſteriis efflagitandam? Si rei publicæ nocent eleemoſynæ ſacerdotum, nocebunt etiam tibi prolique tuæ, qui de republica certe eſtis. Quin qua fide, qua conſcientia tu vir optime, cum ſis dives aut aliàs alendæ proli par, qua inquam conſcientia potes filium tuum alendum dare eleemoſynis, & eleemo-

Et cur vituperatores inhiant ſacerdotiis.

moſynis quidem ſacerdotum, his nempe quæ ſolæ ſunt noxæ rei publicæ? Et tibi religio eſſe hoc debet, & proli tuæ dedecori eſt, & noxam reipublicæ, quam deplorare videris, ultro adauges: aut certe vaniſſima eſt, ſecumque pugnans omnis tua in Sacerdotum facultates declamatio.

Reſpondeo etiam tertio. Quodſi forte tibi placet, ex hoc, quod Sacerdotum facultates ſint eleemoſynæ, conficere, eripiendas, atterendasque has eſſe facultates? pulcram ſcilicet exerces Logicam, pulcrum calles jus. Ubi oro hoc didiciſti: Sempronio donati ſunt mille: ergo ei auferendi ſunt ſexcenti, *quia donati* ſunt. Mutato Sempronii nomine quis non idem *de Te*, rotundo entymemate concludat? Tibi aut tuis majoribus melius meritis donata ſunt à Principe ſeu è re publica prædia reddentia quotannis triginta millia argenti: Ergo detrahenda ſunt cetera, ut tibi remaneant annua decem millia? Ubi hoc ſcriptum eſt jus? an in XII. tabulis? an Infortiato? an lege Longobardorum? an lege Tauri? an Draconis, cujus leges ſanguine ſcriptas etiam veteres dixerunt & abjecerunt? Potesne tu, bone vir, mendico acceptam ſive ab aliis, ſive à majoribus tuis, ſive à temetipſo eleemoſynam denuo eripere, quin ſis neſcio quo nomine dignus? certe non vocaberis ſervantiſſimus æqui. 46. Eleemoſynæ non ſunt auferendæ.

Reſpondeo Quarto. Multæ ſacerdotum facultates nec eleemoſynæ ſunt, nec largitiones, nec ſtipendia, ſed lucra ſive artificialia ſive naturalia laborum ſuorum. Ita 47. Opes ſacerdotum ſunt lucra artificialia,

epiſcopi, collegia, monachi olim extirparunt horrentes Germaniæ ſylvas, exſiccarunt paludes, coërcuerunt vaſtatores fluvios, vias munierunt, plantarunt vineas, hortos, viridaria, conſeverunt agros, complanarunt prata, fecere terram frequentem populo, campos armentis, lacus piſcibus, provincias villis, oppidis & civitatibus. Eadem quando fecerunt coloni, nobiles, cives, lucra dicuntur, quæ inde proveniunt, gratiæ etiam pro his exiguntur à Re publica. Eadem quando fecerunt ſacerdotes, dicuntur eleemoſynæ, atque adeo nulla refertur gratia, ut *ſudor* & *ſanguis* incaſſum gementibus exſugendus videatur. De ſacerdotibus noſtris verius quam de ſemet unius verſus fabro ſcripſiſſet Maro: *Sic vos non vobis. &c.*

48. aut parſimonialia,

Reſpondeo Quinto. Multæ ſacerdotum facultates ſunt bona, quæ ajunt, *parſimonialia.* Quæ vero parcendo abſtinendoque ſuis comparat quisquam, ſua facit etiam ſervus, etiam ad tranſtra damnatus, & nimis ab humanitate alienum eſt, etiam hæc auferre ab invitis aut detrahendo minuere. Fac, oro, ſacerdotes pari jure uti vel cum damnatis. Niſi mihi credis de parſimonia ſacerdotum, quoniam ſunt aliqui eorum nimis largi aut etiam prodigi, accede multorum ædes & collegia: non autem accede tanquam lautus hoſpes, ſed tanquam humilis peregrinus. Videbis exempli cauſſa in monaſterio fere dimidiam anni partem exigi in jejunio: &, ubi paſcuntur, paucis pulmentis iisque vilioribus compeſci latrantem ſtomachum: videbis,

dum pacunt ſuis,

bis, ne ea quidem concedi monachorum arbitrio, quibus pepercerant abſtinendo; Tibi interim hoſpiti nihil laboranti, imo ad detrahendum fortaſſe venienti miniſtrari dapſiliter, apponi optima quæque diuque recondita, fundi vini florem, forte etiam religioſorum miniſterio tibi innocentes parari delicias, quibus te demulceri capique unquam deprehenderint. Qualis hic eſt animus, qui invidet iis, quæ honeſta parcitate quæſita ſunt? qualis autem eſt animus ille, qui non invidet modo iis, ſed criminatur, aut plane etiam eripienda ſuadet? ut largiantur aliis,

Quodque hic de monaſteriis dixi, exempli tantum loco eſt: idem enim reperies in aliis ſacerdotum collegiis, idem in ſingulis. Quam multi ſunt ſacerdotes, qui rapa & pane ſecundo ſedant famem, ut propinquorum ſuccurrant ſtudiis, propinquarum conſulant honeſtati dote conſtituta? Taceo infinita, alibi forte dicenda accuratius, nunc id tantum agitur, ut doceam, ſua, non aliena poſſidere ſacerdotes. Erat non ita pridem in Palatinatu ſuperiore, (ſic accepi) ſacerdos ruri tenui contentus ſacerdotio. Equidem nihil fere, dum viveret contulit in propinquos, utut pauperes. Pane fere & aqua victitabat annis omnino multis. Audiebat, ferebatque dicteria avaritiam incuſantium. Nam ſacerdotes nunquam videas recte facere. Largi ſunt? abutuntur eleemoſyna. Parci ſunt? Euclioncs nominant. Moritur autem ſacerdos ille noſter Euclio dictus vivens, at non Euclionis morte, ſed genu flexum, compoſitis erga cælum manibus, oran- 49. Exemplum,

tis

tis nempe habitu inventum cadaver ſacrum, catena ferrea ex longo tempore præcinctum: neque à viginti annis incubuiſſe lecto conſtabat, ſed duræ humo. At hic tamen parſimoniâ honeſtiſſima triginta dicitur reliquiſſe florenorum millia: quod æs teſtamento ſcripto ita diſtribuit trifariam, ut triens cederet eccleſiæ, trientem caperent pauperes, trientem propinqui, pauperes etiam ipſi. Credo equidem ſiquis è Puffendorffii ſchola ſeu *auctor ſpiritus legum* hoc legat, lecturum hoc illos non ſine multa ſaliva dentes proluente & præparante ad prædam. Quanta, inquient, reipublicæ noxa fuit unus rure Curio! triginta florenorum millia quam belle quieviſſent in ærario Amſtelædami! Potuit inſtitui venatio ampliſſima. Potuere pugnæ ludicræ edi. Triginta millia eleemoſyna eſt nimia pro Curione quidem. Suffecerat hoc donarium pro duobus chiliarchis gratiâ afficiendis, aut pro una puella nobili &c. Quid enim præſtitit rei publicæ unus Curio, niſi ut murmure aram plebejam obiret, aut boatu impleret è ſuggeſtu agreſtium aures? Hæc hisque ſimilia dicerent non viri probi & catholici, nec vere nobiles, quos ſcimus ſacerdotum eſſe patronos, quemadmodum & ſacerdotes veræ nobilitati omnem præſtant favorem, omnem honorem: ſed dicerent talia longe ab illis diverſi ex ſchola naturaliſtarum ſophiſtica profecti, quibus propoſitum aliud eſt nihil, quam mundum à majoribus per cana ſecula provide ordinatum in novam formam refundere, neque in alium, quam qualem ipſi è gleba cerebri ſui ſolius effinxerint.

An melius alibi applicarentur opes ſacerdotii?

Vere nobiles melius ſentiunt.

Re-

Reſpondeo demum *ſexto*. Non omnes fundi ſacerdotiorum ex eleemoſynis Chriſtianorum fidelium conſtituti ſunt. Sunt enim vero plurima ſacerdotia ab ipſis ſacerdotibus fundata ſive ex patrimonio ſuo, ſive maxime ex parſimonia. Multi epiſcopi aliique ſacerdotes ſuo ære compararunt prædia aut reditus annuos, è quibus deinde vivere fecerunt jam unum ſacerdotem, jam plures, jam integra monaſteria & collegia. Multæ ſunt id genus chartæ editæ, quas periti legerunt aut legere poterunt. Latent vero his multo plures in ſcriniis. 50. Sacerdotia multa ab ipſis ſacerdotibus de ſuo fundata.

Rurſus *objicitur*, Non tam facultates ſacerdotum nocent rei publicæ, quam quod *NIMIÆ* ſint. Recte adeo auctor ſpiritus legum jubet eas *ATTERENDAS*. 51. An Opes ſacerdotii nimiæ ſint?

Reſpondeo 1. Nimiæne ſint opes ſacerdotum, me quidem judicem non facio. Sed nec vertere debebis vitio, ſi non quemlibet judicem agnoſcant Sacerdotes. Perampla ea eſt quæſtio, & humanum genus nimium afficiens, quam ut à paucis ſua una nudaque ratione fere utentibus (quod Juris naturæ heterodoxi ſcriptores perpetuo faciunt) decerni momentoſa hæc diſceptatio poſſit. Equidem opinor, ſiquis ſacerdotum contenderet, nimias eſſe opes nobilium, mercatorum, colonorum, aut aliorum in republica ordinum & graduum, conclamaturos illos omnes: Non hoc eſſe judicium ſacerdotum: horum arbitrio neminem ſtaturum: interrogandum eſſe ſenſum communem, ſpectandam indolem provinciarum & imperiorum. non quivis pro judice admittitur.

Sed Senſu communi hominum deciden-dum eſt.

Profecto neſcio utrum magis interſit generis humani: an certi alii in civitate hominum gradus & ordines, an ſacerdotia? In iis autem quæ genus humanum univerſum contingunt, judex eſt non ſua cujusque opinio, ſed *SENSUS* quidam *COMMUNIS populorum.* Jam igitur ſive æque ſive magis interſit generis humani ſacerdotium quam quivis alius gradus, judicium de menſura facultatum ſacerdotii repetendum erit ex *ſenſu communi* hominum ſive populorum: niſi forte divinitus data lex certi quidquam conſtituat.

Quamobrem in decurſu deinde commentationis hujus ejusque Parte II. recte ego ob oculos ponam, quis hac in re fuerit atque ſit populorum quibuscunque religionibus ſervientium ſenſus?

52. Quid ſit nimium?

Reſpondeo 2dò. Id quod ultra cibum ac veſtem ſupereſt, non ſtatim eſt nimium. Quid enim ſi idem objiciatur mercatori, ſi ſcribæ, ſi nobili viro? Cur autem omnibus aliis nihil ſit nimium, ſolis ſacerdotibus illico omnia nimia ſint, quæ non dentibus prehendunt aut corpori circumponunt? Non ſunt ſacerdotes homines? non multa eorum pars nobilis? non multi eorum ſcribæ in lege doctiſſimi! non judices populi aut doctores? ſi illis nimium eſſe credis aliquid tanquam ſacerdotibus, tanquam DEI ſervis à DEO inſtitutis & in Dei protectione ſingulari conſtitutis; ſaltem non invide hæc iisdem tanquam doctis, tanquam nobilibus, tanquam tuis doctoribus, judicibus & ad Deum patronis; denique tanquam hominibus & fratribus tuis.

Re-

Reſpondeo 3tio. Sed largior ſæpe objectionibus multa, ut apertiores fiant cavilli, & debilitas argumenti manifeſtius pateat. Largiar itaque & hoc, nimias eſſe revera opes ſacerdotum: hoc eſt non neceſſarias eſui ac veſtitui; quin & ultra decorum ſupereſſe ſacerdotibus non aliquid, ſed *plane multum.* Num tu inde conficis, hoc *nimium* eſſe *DETRIMENTUM REI PUBLICÆ*? Hoc enim vero pernego. Hoc deinceps clare demonſtrabo: tametſi negare ſufficeret id, quod tu idoneis argumentis evincendnm haberes. Aſſerenti enim incumbit probatio: quam ex Cleromaſtygibus illis nunquam percipiemus, quibus ſtat pro ratione voluntas & ſæpe apud quosdam invidia.

53. Etiam nimiæ opes ſacerdotii non tamen noxiæ eſſent reipublicæ,

Reſpondeo 4to. Quodſi chriſtiani ſacerdotes tanta habent, quanta ſacerdotes olim Judaici, videnturne habere nimium? Et quomodo hoc pro chriſtianis ſacerdotibus nimium ſit, cum non fuerit nimium pro Judaicis? Eſtne contemptibilior conditio ſacerdotum Chriſti quam ſacerdotum tabernaculi? Arctius ab ovibus habendi ſunt ſacerdotes, qui Chriſti incruentum epulum præbent animabus, quam ſacerdotes Judaici, qui mactato vitulo, meliore parte ſibi ſervata, reliquum etiam cum offerente abſumebant?

54. neque ſi eſſent tantæ quantæ in veteri lege,

Deinde ſi nimium illud fuit quod habuerunt ſacerdotes Hebræi & tamen *non nocuit reipublicæ:* cur, ſi idem haberent Sacerdotes Chriſtiani, hoc ſtatim noceat reipublicæ? Nocet igitur, quia Chriſtiani ſunt ſacerdotes noſtri, ſi Judæi eſſent & circumciſi, non noceret.

55. aut aliarum gentium.

Reſpondeo quinto, idemque repeto de ſacerdotibus Turcorum, Indorum, Barbarorum. Si chriſtiani ſacerdotes habent idem & tantum, quantum Popæ Turcorum, & Barbarorum: cur hoc Turcis non eſt nimium, *nec nocet eorum reipublicæ;* Chriſtianis autem & nimium eſt & *nocet?* Mira ſane res: Nulli populo barbaro nocent opes eorum ſacerdotii: ſolis *Chriſtianis nocet.* Noceret certe ſi non falſi eſſent ex heterodoxorum Catholicis inimicorum ſchola profecti quidam. Falſiſſimos autem ipſos eſſe & opes ſacerdotum rei publicæ non nocere ſed vehementer prodeſſe deinde demonſtratum dabimus.

EXAMEN UNDECIMUM.

AN SACERDOTES OPIBUS EXUENDI, UT SINT IMITATORES APOSTOLORUM?

56. Apoſtoli non habuerunt opes.

Objices denique & hoc: Sacerdotes non deberent petere, imo nec accipere tanta, quia deberent eſſe imitatores Apoſtolorum, quos Chriſtus non miſit ante faciem ſuam cum turgente crumena, nec juſſit agris, villis, oppidis incubare, nec numerare tot villicos, tot colonos tributarios, tot nobiles vaſallos, tot cataphractos: ſed miſit eos *ſine ſacculo & ſine pera.*

Etſi Chriſtus prohibuiſſet, Politicus non poteſt.

Reſpondendum his eſt paullo accuratius. Et *Primo* quidem etiamſi verum eſſet, hæc omnia eſſe contra expreſſum Chriſti mandatum & contra ejus voluntatem, nihilominus hæc objectio nihil evincit pro politicis. Quæſtio jam eſt, non quid Chriſtus præceperit, ſed quid noceat

ceat reipublicæ, præſertim reipublicæ talibus fundamentis inædificatæ, qualia iſti Politici ponunt, nempe abſtrahentia à Chriſti doctrina & revelata religione, ſed ordinata ſecundum jus naturæ Wolffianum & Puffendorffianum, cujus tota regula eſt non Dei voluntas & ratio, ſed nuda ac ſola ratio *neſcio cujus* hominis. Huic reipublicæ, ad quam non debet eſſe regula Chriſti voluntas, quomodo poteſt nocere abundantia ſacerdotum ideo, quia voluntati Chriſti conſona non eſt? Quodſi vero voluntatem Chriſti pro regula reipublicæ vis habere in hoc, ut opes ſacerdotio auferas, cur eandem voluntatem Chriſti non vis admittere in aliis reipublicæ partibus? opes ſacerdotii noxias agnoſcere in ſuis principiis.

Reſpondeo Secundo: Neutiquam id volumus, ut ſacerdotes ſint petaces, cupidi, inſatiabiles; ſed ut ſint frugales, modeſti, paucis contenti, utque præcipuas curas ſuas & quaſi omnes convertant non ad terrenam ſubſtantiam, ſed ad ſuas primum, deinde etiam aliorum animas æternitati præparandas. Illos etiam qui his contraria faciunt averſamur & reprehendimus, dignosque judicamus non quidem qui ſpolientur injuſte (hoc enim nemo in republica bona pati debet) ſed qui corrigantur & perducantur ad bonam frugem. 57. Non volumus ſacerdotes eſſe cupidos.

Reſpondeo Tertio, etiam nimium petaces, imo avari ſacerdotes aliqui non ſtatim ex hoc probantur nocere reipublicæ, niſi malis & injuſtis artibus parta tenerent. Nam ſunt in republica quidam etiam alii cives varii ordinis admodum petaces, multis congregandis occupatiſſimi, 58. Sed etiam cupidi non ſtatim nocent Reip.

ad hæc ſordidi in utendo & in expendendo tenaciſſimi. Hi, ſi juſtitiam tamen ſervant, cuique ſuum tribuentes, adeo non exiſtimantur nocere reipublicæ, ut multi, nec ii inſipientes, in his etiam firmamentum ac robur reipublicæ conſtituant. Namque ſi cetera adſint, & omnes cives, qui in aliquo gradu conſiſtunt, eſſent prædivites, & extra neceſſitatem parci, fortaſſis nemo non politicorum talem rem publicam diceret felicem, fortem, potentem. Quid autem rei *publicæ* intereſt, an ii qui divitias poſſident, dicantur optimates, an proceres, an ſacerdotes, an magiſtri, an ſocii? dum conſtet, omnes eſſe ejusdem reipublicæ cives? Si tibi placet, non abnuo, voca ſacerdotes non ſacerdotes, ſed cives; tametſi alio quovis nomine à te vocati nihilominus erunt *pars reipublicæ*: ſicut ſi nobilitatem alio voces nomine, aut principem alio. Quodſi contendis, non de nomine agi ſed de dignitate: exuendos, relicto nomine, ſacerdotes dignitate hac & potentia eſſe; videris mihi politicam male intelligere, videris reipublicæ nocere velle, unam præcipuam reipublicæ partem ſpoliando.

59 Chriſtus non prohibuit divitias ſuas ſacerdotio.

Reſpondeo Quarto: Falſiſſimum eſſe, Chriſtum Apoſtolis prohibuiſſe poſſidere terrenas divitias: imo prædixit conceptis verbis, ipſos permagnas eſſe accepturos, quæ etiam prædictio imo *PROMISSIO JURATA CHRISTI* abunde impleta eſt per fideles Chriſti diſcipulos, quidquid contrà machinati ſint diſcipuli neſcio cujus Doctoris: & quia Chriſti promiſſiones

fallere

fallere non poſſunt nec verba ejus præterire, etiam hæc promiſſio fruſtra renitente inimico deinceps adimplebitur, & *quamdiu Chriſtus fideles diſcipulos numerabit in orbe terrarum, tamdiu Apoſtolorum ſucceſſoribus & imitatoribus adjicientur multa.* Neque dubito adfirmare, hoc etiam inter reliqua *veræ Chriſti eccleſiæ* ſigna eſſe unum: nimirum, ſi videris in aliqua eccleſia chriſtiani nominis divitias adjici propter Chriſtum illis, qui in certa quadam re imitentur Apoſtolos idemque faciant quod Apoſtoli; hanc potes agnoſcere veram eccleſiam Chriſti, quia Chriſtus in ea ſuas promiſſiones implet, quas in falſa implere non poteſt. & promiſſa ſemper implebit.

60. Sacerdotes imitatores Apoſtolorum qua in re?

Qua autem in re abſolvitur illa imitatio Apoſtolorum, cui divitias terrenas Chriſtus promiſit, qui promittere utique potuit, Dominus omnium fidelium & infidelium? Audiamus hoc ex Evangelio Divi Lucæ Capite XVIII. Cum JESUM interrogaſſet quidam Princeps, quid faciens vitam æternam poſſideret? juſſusque mandata Dei ſervare, dixiſſet, hæc omnia ſe feciſſe à juventute ſua: *JESUS ait ei: Adhuc unum tibi deeſt: Omnia quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me. His ille auditis contriſtatus eſt: quia dives erat valde. Videns autem JESUS illum triſtem factum, dixit: Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt. Facilius eſt enim camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum Dei.* His lectis jam videor mihi audire quempiam jubentem ſacerdotes primos alii divites difficile ſalvantur;

ponere

ponere divitias, aliàs non intraturos in regnum Dei. Parum quæſo, non eſt mora longa, exſpecta, & habebis reſponſum. *Et dixerunt qui audiebant: Et quis poteſt ſalvus fieri?* Quid autem hic reſpondit JESUS? *Ait illis: Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum.* Docet ergo, Dei hoc eſſe artificium, ut regnum Dei poſſideant etiam qui divitias habent. Equidem indubitatum eſt, Dei artificium, (hoc eſt gratiam) in hoc eſſe multiplex & varium, nec uno modo homines divites ad regnum Dei pervenire. Nullum tamen aliud, tunc quidem, JESUS artificium ſuum explicavit, quam illud, quo erga Apoſtolos eorumque imitatores uſurus eſſet: & quo illos Apoſtolos etiamſi divites in regnum Dei eſſet recepturus non vulgariter, ſed tanquam judices ceterorum ſecum in extremo judicio futuros. Quale autem artificium explicaverit, jam audiamus. *Ait autem* (ſtatim poſt ſententiam de poſſibilitate illa apud Deum) *Petrus: Ecce nos dimiſimus omnia & ſecuti ſumus te.* Volebat explorare, quid ergo ſpei deinceps ſupereſſet, & quomodo, quantum vel quale regnum ipſis promitteret? *Qui dixit eis:* Non ſoli Petro dixit, ſed omnibus, quorum nomine Petrus interrogaverat: *Amen dico vobis, Nemo eſt, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat MULTO PLURA IN HOC SECULO, & in ſeculo venturo vitam æternam.*

Dei tamen artificio.

Ii, qui imitantur Apoſtolos.

facile ſalvantur,

Adverte omnia diligenter, qui Chriſtum Deum agnoſcis & credis, & Evangelium eſſe divinum admittis, nam

nam qui hoc non credis neque ad mittis, ad hunc noſter hic ſermo jam non eſt. Attende igitur o fidelis Chriſtiane diligenter, nam promiſſio DEI eſt, & ſolito Chriſti *jure jurando* confirmata: *Amen dico vobis:* Juro vobis: Vos & omnes qui idem faciunt, divites fore in hoc ſeculo, & nihilominus vitam æternam in altero certò recepturos, in quam ceteri divites, qui veſtri imitatores non fuerint, difficile habebunt intrare. Veſtra *APOSTOLORUM IMITATIO* eſt illud *artificium*, eſt illa gratia mea, qua ex impoſſibili apud homines fit poſſibile apud me. Divitem intrare in regnum cœlorum impoſſibile & difficile eſt apud homines, ſiquis autem mea arte utitur, illi non tantum poſſibile eſt ſimul divitem eſſe & ſimul vitam beatam obtinere, ſed etiam certum, & hoc utrumque ego eidem jurejurando promitto: ego qui & divitiarum terrenarum & vitæ æternæ Dominus ſum & bene poſſum promittere quæ mea ſunt.

una cum divitiis ſuis.

Quid autem fecerunt Apoſtoli, & quid facere debent eorum *imitatores*, ut hanc Chriſti artem exequerentur & hi & illi?

61. Imitatio talis conſiſtit

Hæc ars non in hoc conſiſtit, ut animum non adjicias divitiis, uxori, patri, matri, ſive ut *animo* illa relinquas propter DEUM; hoc eſt ut animo pluris facias DEUM quam divitias: hoc enim, nimirum ut *animo* adhæreant his rebus, non tantum non apoſtolis, ſed nulli omnino mortalium eſt conceſſum, qui vitam æternam beatam adipiſci volet. Neque ille princeps Chriſtum interrogans propterea factus eſt triſtis quod animum

 mum

mum DEO potius quam divitiis addicere juberetur; neque id ab eo petierat Chriſtus, neque quod uxorem quam habebat, deberet relinquere: nullam enim habebat, cum fuerit adoleſcens Matthæi XIX. v. 20. ſed poterat ſaltem uxorem ducere.

Sed illa *IMITATIO APOSTOLORUM*, illa *ars ſimul divitias, ſimul vitam æternam adipiſcendi* in duobus conſiſtit, quæ utraque gratia ſunt DEI. *Primo* ut corpore etiam relinquas domum & familiam tuam & uxorem & filios habere nolis. Deinde *ſecundo*, ut id facias propter regnum DEI. Non ſimpliciter propter vitam æternam, ſed propter *regnum DEI*, quod Chriſtus tunc cum hæc doceret conſtituit in *ſua prædicatione.* Quapropter qui Chriſti fidei, evangelio, eccleſiæ, miniſtrant relictis omnibus quæ antea ſua erant, & uxoribus filiisque, quos habere poterant & ſuorum heredes relinquere, iſti demum exercent illam Chriſti artem, illam Chriſti gratiam habent, cui poſt eccleſiam Chriſti in hac terra promotam à Chriſto rege jurejurando promiſſæ ſunt præter vitam æternam alterius ſeculi etiam divitiæ hujus ſeculi: nec qualescunque divitiæ, ſed *multo plures* quam quas reliquerint. Quanto autem exceſſu eas ſint accepturi, quantaque proportione Chriſtus eas promiſerit, alter Evangeliſta ſcribit Divus Matthæus cap. XIX. v. 29. *CENTUPLUM*, inquit Chriſtus, *accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Manifeſtius etiam rem enarrat Evangeliſta ſanctus Marcus cap.

in relinquendo omnia

& in prædicatioſie evangelii

Sacerdotibus talibus centuplæ divitiæ promittuntur in hoc ſeculo.

cap. X. v. 29. *Nemo eſt*, inquit Chriſtus, *qui reliquerit domum: aut fratres aut ſorores: aut patrem aut matrem: aut filios, aut agros PROPTER ME ET PROPTER EVANGELIUM, qui non accipiat CENTIES tantum nunc in tempore hoc, DOMOS ET FRATRES, ET SORORES, ET MATRES, ET FILIOS, ET AGROS.* Enumerat ſingula, ne politici deinde dicerent, ſolum aridum panem ſacerdotibus à Chriſto promiſſum fuiſſe. Ubi ea etiam non excluſit, quæ non expreſſe nominavit. Nunquid autem hæ divitiæ ſunt, domus & agri & cum his haud dubie coloni ac cenſus & fruges, & greges & jura civilia & cetera quæ hodieque poſſident veri Chriſti ſacerdotes?

Neque hanc ego ſcripturæ interpretationem ex meo ſolius ſenſu deprompſi, ſed perpetua inde ab Apoſtolis traditione conſtat. Ad hæc ſi uſſibi clara eſt Scriptura, quam ubique omnibus perſpicuam hæretici dixerunt, quomodo hoc ſolùm loco, ubi de ſacerdotibus eorumque divitiis agitur, obſcuram velles eſſe? 62. Chriſtus iſta omnia implevit.

Deinde omnis promiſſionis explicatio ac certitudo intelligitur ex ejus adimpletione. Quid promittere voluerit Chriſtus apoſtolis & iis qui *propter prædicandum DEI regnum* ſua relinquerent, aut quid per promiſſionem ſuam intellexerit, clare intelligitur ex eo quod dedit. Si Chriſtus ſacerdotibus nullas dedit divitias, poterimus dubitare forte, an illas promiſerit. Sed cum illas & promiſerit & reipſa dederit, vel cœcus certus eſſe debet, has eſſe quas Chriſtus promiſit.

63. Objectio vana

Neque dicat aliquis: Divitias habent etiam monach Turcorum & Indorum. Nihil igitur præcipui promiſit Chriſtus ſuis.

Reſpondeo 1. etiam ſi totum concederemus quid pro ſe hinc faciet politicus? an id quod in quæſtione jam eſt, nocere reipublicæ ſacerdotum divitias? Citius ex tripode Babylonem excitabis, quam ex hoc argumento hanc conſecutionem.

Reſpondeo 2do. Divitiæ adſunt infidelium monachis, ſed nec promiſſæ à Chriſto nec propter illum datæ; quia nec propter regnum DEI reliquerunt ſua. Ceterum illud alterum in futuro ſeculo nunquid promiſit Chriſtus ſe vel ignorantibus vel blaſphemantibus? Nulla ergo promiſſio Chriſti convenit à Chriſto alienis. Suis fidelis eſt Chriſtus, quid ceteris evenire patiatur, noſtrum non eſt, neque noſtrorum cauſæ nocet; quamvis poſſit prodeſſe.

Reſpondeo enim *Tertio.* Si infidelium monachis DEus permittit divitias nec promiſſas nec pactas; cur homines iique Chriſtiani invideant diſcipulis & ſacerdotibus Chriſti divitias his promiſſas ac pactas à Chriſto, utique etiam illorum DEO & Salvatore, qui ſacerdotes non ſunt?

64. Chriſtus Apoſtolos miſit ſine pera &c.

Promiſſionem autem Chriſti impletam eſſe in Apoſtolis & Sacerdotibus, cœci vident, lividi invident.

Videamus quid contigerit Chriſto etiamnum in mortali carne degente. Matthæi cap. X. mittit is duodecim à ſe

à ſe electos ad prædicandum evangelium non gentibus, ſed Judæis: ſic autem inſtruit, quod probe notes velim amice politice: *Nolite poſſidere aurum neque argentum in zonis veſtris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Triumphat jam politicus, &, hoc ipſum eſt quod nos petimus, inquit; auro, argento, duabus tunicis careant ſacerdotes: ſic eos amabimus nihil habentes, ſive dein apoſtoli ſint ſive non ſint, modo nihil habeant, reſuſcitent nobis mortuos noſtros, infirmos noſtros curent, & dæmones à nobis ejiciant, ſed nihil poſſideant. non, ſicut politicus putat, ut egerent;

Verum triumphas, bone vir, ante victoriam. Qua de cauſa vetuit Chriſtus, ne diſcipuli in Judaicam hanc miſſionem portent pecunias in ſacculis ſuis, aut alia neceſſaria? An ut *nihil habeant* Apoſtoli? Variæ Chriſto fuerunt cauſæ. Duas tantum verbis expoſuit ipſe Chriſtus. *Primam cauſam* cur diſcipuli nihil in hanc viam accipiant, dixit eſſe hanc, ut diſcipuli *omnia neceſſaria habeant.* Ideo nihil accipiunt ſecum, ut omnia ab aliis accipiant. Si ſecum acciperent in viam neceſſaria, neceſſaria in via & per prædicationem non acquirerent. Si auro turgerent burſæ, & illo deprompto emerent cibum apoſtoli à Judæis, jam veniſſent ad hos diſcipuli divites, non ditarentur à Judæis, nec ſuſtentarentur. Sed ideo vacuos omnium rerum mittit eos Chriſtus, ut impleri poſſent ab iis quibus benefacturi eſſent & qui eorum annuntiationi credituri. Hoc Chriſtum voluiſſe, manifeſtum eſt. Statim enim, cum juſſiſſet nihil auri in crumenis Sed ut omnia haberent

deportari, ſubjunxit ejus rei cauſam: *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo.* v. 10. Propterea nec *panem* voluit ipſos portare Marci VI. v. 8. Ad hæc Lucæ X. v. 4. ſeptuaginta duobus diſcipulis pariter à ſe miſſis prohibuit, ne quemquam per viam etiam ſalutarent: haud alia, reor de cauſa, quam ne per occaſionem ſalutationis peterent aliquid, vel paupertatis ſuæ intuitu exprimerent quidquam ſtipis ab obviis. Voluit ergo Chriſtus, non ut Apoſtoli ac diſcipuli miſſi *nihil habeant*, ſed potius voluit ut *nihil* ipſis *deſit.* Voluit autem non ipſis dare de ſua penu & loculis, quos Judas tenebat, pecuniam viaticam, neque voluit eos quidquam emere, nec quidquam petere, & tamen *nihil* voluit *deeſſe*, quid hoc eſt? quid ergo voluit Chriſtus? hoc ſane voluit, ut omnia illis ultro darentur, ita ut nihil ipſis deeſſet. Propterea etiam ſub finem ejusdem inſtructionis ſuæ addidit, quid hoc eſſet, apoſtolis Chriſti aliquid præbere, nequid ipſis deſit: nempe: *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me miſit - - - & quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli: amen dico vobis non perdet mercedem ſuam.* Matthæi eodem cap. X. v. 41. Qui *dederit* etiam tantum in nomine diſcipuli v. g. Sancti Pauli, S. Joannis, S. Stephani, non perdet mercedem ſuam: Ergo etiam qui *abſtulerit*, quæ data fuerunt in nomine Chriſti, ne hic quidem perdet mercedem ſuam: quod DEus avertat.

Nihil

Nihil autem *deeſſe* diſcipulis voluiſſe Chriſtum ipſemet eventus oſtendit. Cum enim rediiſſent dudum ex legatione ſacra, diligenter ex iis quæſivit hunc in modum: *Quando miſi vos ſine ſacculo & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil.* Lucæ XXII. v. 35. Notabile autem eſt tempus hujus interrogationis. In ultima nempe cœna, cum laudaſſet Apoſtolos, qui permanſiſſent ſecum in tentationibus, & inſtare majorem tentationem innueret, Petrus autem gloriaretur ſe Chriſti cauſa in mortem iturum; caſtigavit eum Chriſtus dixitque, & ceteros ipſum omnes relicturos, & Petrum plane ter negaturum, ſe noſſe Chriſtum. Poſt hoc ſtatim voluit eis oſtendere, ipſos etiamſi carnales eſſent, & temporalia tantum bona quærerent, non habere cauſam Chriſtum deſerendi: quæſivit ergo ex eis, num aliquid ipſis defuiſſet? & ex propria eorum confeſſione convincere eos voluit. Ac revera ipſa cœna illa documentum erat, abundantiæ Chriſti in apoſtolos effuſæ: quis enim duodecim pauperibus paravit illam menſam? Aut forte Chriſtus rogavit aliquem ut pararet? Nequaquam ſed miſit diſcipulum in civitatem, & ex obvio mox primo homine juſſit pro poteſtate interrogare his verbis plane: *Dicit tibi magiſter: Ubi eſt diverſorium, ubi paſcha cum diſcipulis meis manducem?* 65. Confirmatur.

Hodie equidem Chriſtus non tale cœnaculum inſtruit ſacerdotibus; ſed tamen inſtruit multo grandius, ubi cum diſcipulis ſuis & multis pauperibus ac divitibus manducent.

Cete-

Divitiæ apoſtolorum ante Paſſionem Chriſti,

Ceterum apoſtolis & diſcipulis etiam cum Chriſto perambulantibus regionem nihil defuit. Fuere apoſtoli duodecim, | diſcipuli ſeptuaginta duo, capita *octoginta quatuor*, ſatis numeroſum collegium. His omnibus miniſtrabatur a piis fœminis Matth. 27. v. 55. alibi: ipſe cum apoſtolis conviviis exceptus eſt jam à phariſæis, jam à publicanis. Admiſit, ut unguento nardi piſtici pretioſo ungerentur pedes ſui: Simoni etiam exprobravit, quod ipſius caput non unxerit in convivio: Luc. 7. v. 40. tantumque loculorum fuit huic collegio, ut non modo ſeſe alerent, ſed ut etiam de danda larga plusquam trecentorum denariorum eleemoſyna in pauperes eroganda poſſent cogitare. Marci XIV. Trecenti autem denarii non erant nihil; quia ducentis denariis ſperaverant diſcipuli ſatis emi panum poſſe pro quatuor millibus virorum in deſerto. Marci VI. v. 37.

66. Chriſto ſic volente,

Quodſi nihilominus pertinaciter contra clarum Evangelium contendis, Chriſtum apoſtolis non indulſiſſe niſi ſiccum panem, auro vetito; Dico, Chriſtum ipſum utique intellexiſſe quid promiſerit, ac melius intellexiſſe quovis hodierno politico & heterodoxo juris naturæ corruptore. Quod autem fecit Chriſtus, legitima nobis eſt interpretatio ejus quod docuit dixitque. Quid autem fecit? Aurum in ſuo collegio admiſit, non tantum quotidianum, ſed & in futuros uſus reſervandum, & quidem *ſuperfluum*; quia eleemoſynis deſtinatum; quia eleemoſy-

nas

nas dare rector alicujus domus aut collegii tantum poteſt de eo, quod ſuperabundat neceſſitatibus ſuorum.

Deinde doctrinam ac promiſſionem Chriſti utique etiam intellexerit Petrus, & melius intellexit, quam heterodoxi juris naturæ corruptores & ab his ſeducti politici quidam ex Catholicis? Petrus autem oblatum ſibi plurimum argentum admiſit non tantum, ſed ſemel promiſſum exegit, itàque rigide exegit, ut defraudantes aliquid ex hoc Ananiam & Saphiram verbo oris ſui abſque venia interfecerit. Actorum cap. V. Apoſtolis ſic intelligentibus.

Paulus etiam Apoſtolus tam mirabiliter edoctus à DEO & in tertium cœlum raptus, quod Puffendorffio ſane non contigit, intellexerit etiam ipſe de Chriſti promiſſione ſaltem tantum quantum Puffendorffius & ejus ſimiles Politici. At is Paulus non tantum admiſit aurum, ſed petiit à fidelibus, & quidem abundantiores collectas, magnis adhortationibus petiit.

De collectis autem quæ fiunt in Sanctos, ſicut ORDINAVI eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite. Per unam Sabbati unusquisque veſtrum apud ſe ponat, recondens quod ei bene placuerit: ut non, cum venero, tunc collectæ fiant. Cum autem præſens fuero, quos probaveritis per epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Jeruſalem. Quodſi dignum fuerit, ut & ego eam, mecum ibunt. I. Corinthios cap. XVI. Pro poteſtate ordinat collectas, & eos extra provinciam etiam deportat: omnia enim ſunt Chriſti. Si placet lege etiam

B. Chryſoſtomum, in hunc locum, & lege in II. Corinthior. cap. IX. quam hortetur Apoſtolus ad largitatem, ne ſibi erubeſcendum ſit, ſi avare dederint, ceteraque quibus animos Corinthiorum verſat, magis etiam à D. Chryſoſtomo expoſita. Quæ ſi noſter aliquis ſacerdos prædicaret hodie, hiſtrionem & neſcio quid appellaret quisquam novus politicus.

Is ipſe Paulus Doctor noſter haud paullo melior de quibus, quæſo, dixit hoc: *quaſi nihil habentes, & omnia poſſidentes*? imo hoc non ſufficit, ſed ait: *Sicut egentes, multos autem locupletantes*: Apoſtolis non tantum nihil deerat, ſed multum abundabat: non ut darent aliquibus in paupertate manſuris, ſed ut multis darent tantum, quantum ſufficeret ad eos etiam locupletes faciendos. II. Corinthior. cap. VII. v. 10. Iterum autem rogo: De quibusnam dixit Apoſtolus hoc: *Nihil habentes - - - multos autem locupletantes?* An de Turcorum monachis hoc dixit? An de mercatoribus etiam Chriſtianis aut nobilibus, quorum etiam jam tum non pauci erant Chriſtiani per Aſiam & Græciam? Haud ſane: ſed de Apoſtolis & ſacerdotio Chriſtiano.

67. Abrahamo ob domum relictam

Quisquis vetus novumque teſtamentum conſiderat, is ſane deprehendet, illud prius umbram fuiſſe hujus poſterioris. Idipſum in hac etiam ſacerdotii promiſſione ad unguem congruit. Abraham Geneſ. XII. egreſſus ex Ur Chaldæorum de domo & cognatione ſua, & de portione ſua ibidem hereditaria hac de cauſſa, ne ipſius reli-

religio ibidem contaminaretur, & ut veram veri Dei fidem transferret in Chananæam, illuc venit exul. Ob hoc autem evangelii officium promiſit Abrahamo Deus *omnem* terram illam, in quam venerat, non tantum partem ejus: nec ipſi tantum, ſed omni ejus poſteritati innumerabili hoc Deus promiſit. Promiſſa etiam fideliter ſed ſimul etiam terribiliter implevit. Nam ut locum faceret Deus Iſraëlitis, omnes Chananæos maſculos & fœminas nuptas non tantum ejici ſed plane interfici omnes juſſit, Numeror. XXXI. v. 17. ſicque Abrahami poſteritatem introduxit in civitates & terras ab aliis excitatas & cultas, omnemque Chananæorum ſubſtantiam in Judæos tranſtulit. Hæc erat promiſſa merces pro vera fide per Abrahamum propagata.

rependit DEUS grande regnum.

Iterum cum populo Iſraël diſtribueretur terra promiſſa, pars ſua haud dubie debebatur tribui Levi, quippe inter duodecim tribus non poſtremæ ſed ordine tertiæ. Verum illa tribus in gratiam filiorum Joſeph, & in gratiam ceterarum tribuum renuntiavit hereditati ſuæ, & pro ſua parte elegit Dominum Deum, cui ſe in miniſterium ad ſacrificia veteris legis addixit. Permiſitne Deus vacuos diſcedere Levitas tum ob hanc hereditatis ceſſionem tum ob ſacrum ſuum miniſterium? Neutiquam. Sed ſicut Abrahamo reddidit centuplum, ita centuplum reddidit etiam tribui Levi, fundos ampliſſimos, redditusque immenſos absque labore percipiendos. Sed de his infra ſuo loco docebimus accuratius, ubi de Judaicorum

Tribui Levi ob ſortem relictam.

Reddidit Deus ſortem multo meliorem.

Sacerdotum opibus ſermo inſtituetur prolixior Parte II. Num. 172. &c.

Sic fit evangelii veri miniſtris.

Nec diſſimili ratione Sacerdotes & omnes Evangelii miniſtros in nova lege centuplum recipere oculis hisce videmus ipſi. Naturaliſtæ hoc adſcriberent neſcio cui caſui; politici hoc adſcriberent ſtultitiæ fidelium, nobilium, principum: niſi nos legeremus tanto antè prophetiam hac de re, & expreſſam juratamque Chriſti promiſſionem.

68. Evangelii prædicatoribus præter divitias

Verum enim vero cum tanta promiſerit, tanta etiam per devotos ſuos fideles præſtiterit Chriſtus, hæc tamen ipſa non veniunt ſacerdotibus absque felle.

Poſſet id peregrinum videri, poſſet ſacerdotum mereri mœſtitiam.

Sed ſolatio ipſis eſt ſemperque erit, quod Chriſtus Dominus ipſorum & ſummus Sacerdos in æternum non tantum etiam ipſe hæc amara prior tulerit, ſed de hoc amarore partem aliquam ſacerdotio tranſcripſerit tanquam pretioſam hereditatis portionem.

Ipſe quid toleraverit, novimus Chriſtiani omnes. Sive manducaret ſive abſtineret, ſive prædicaret ſive taceret, ſive miracula faceret, dæmones ejiceret, curaret ægrotos omnes, nihil recte faciebat ſuis: *Furore* correptus dicebatur, Marci III. v. 25. A *Beelzebub* poſſeſſus. Marc. III. v. 22. *Blaſphemus*. Joan. X. v. 36. & alibi. *Seductor* populi. Matthæi XXVII. v. 63. *Latrones* illo habebantur meliores. Matthæi XXVII. Morte demum turpiſſima

piſſima condemnatus ex infami ligno pependit maledictus.

Hæc Apoſtolis præcipue eorumque ſucceſſoribus eadem eventura eſſe ſæpius prædixit.

Imo hæc illis etiam *promiſit*, & tanquam hereditatem certam reliquit. Nam eodem loco Lucæ XVIII. cum JESUS derelinquentibus omnia propter Evangelium promiſiſſet multo plura in hoc ſeculo, ſtatim nullo interjecto ſequitur hoc: *Aſſumpſit autem JESUS duodecim, & ait illis: Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetam de filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur & flagellabitur & conſpuetur; & poſtquam flagellaverint eum occident, & die tertia reſurget.* Luc. XVIII. v. 31. Hæc illis loquebatur ſtatim poſt centupli promiſſionem in hac vita, eo conſilio, ut diſcerent, non ſe uſuros hoc centuplo ſine amarore & perſecutione ſuorum contribulium. Quodſi enim centupli promiſſor à ſuis tribulibus tradendus erat ad flagellandum & conſpuendum, quomodo huic ſorti ſe ſubducere vellent ii, quibus ipſe promiſit? ſed ne ob hæc afficerentur mœrore ad extremum adjecit mentionem de reſurrectione ſua, quam præcedentes injuriæ impedire non poſſent.

promiſſæ ſunt etiam tribulationes.

Equidem tum Apoſtoli *nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.* Luc. XVIII. v. 34. Sed non diu poſt ſatis intellexerunt & experti utrumque ſunt tam promiſſio-

nem & præſtationem centupli, quam etiam promiſſionem & executionem injuriarum.

In Evangelio autem Divi Marci multo evidentius ponitur hæc ſolatii plena *promiſſio injuriarum.* Capite X. v. 49. ſic habetur: *Reſpondens JESUS ait: Amen dico vobis: Nemo eſt, qui reliquerit domum aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut filios, aut agros propter me & Evangelium, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos & fratres, & ſorores, & filios, & agros, CUM PERSECUTIONIBUS: & in ſeculo futuro vitam æternam.* Centuplum & agri & alia promittuntur, & ſimul *PROMITTUNTUR PERSECUTIONES*: poſt perſecutiones autem & poſtquam conſputi fuerint, *vitam* recipient *æternam* & felicem reſurrectionem.

& perſecutiones.

Promiſſionem utramque tum opum tum perſecutionum ſemper implent etiam Chriſtiani: alii quidem implent promiſſionem centupli in agris & ſubſtantiis: alii implent promiſſionem in perſecutionibus. Sacerdotes ſi in utroque partes ſuas recte obierint, Chriſtus fidelis promiſſor ipſos quidem erectos ſervat in hac vitæ militia, & in reſurrectione vocabit ad judicium ultimum ſecum ferendum, tam de benefactoribus ſuis quam de perſecutoribus, Matth. XVIII. v. 28.

Et hæc quidem hactenus ſufficient, ut reſpondeamus ad id, quod ſupra objectum fuit, nimirum *ſacerdotes hodiernos debere ſimiles fieri Apoſtolorum*, Apoſtolos autem

tem inſtitutos ita ut nihil habeant: nec aurum in crumena; nec panem in pera. Id quod eſſe falſiſſimum, & omnia his contraria voluiſſe Apoſtolorum ac ceterorum Dominum, ſatis clara in luce poſuiſſe mihi videor.

69. Si politici mundum reformare volent, ad Apoſtolorum tempora,

Reſponderi autem his objectis etiam alio modo poteſt, quamquam vereor, ut is nimium gratus acceptusque ſit. Nimirum ſi verum eſſet, primos ſacerdotum nempe Apoſtolos, fuiſſe in egeſtate, quod eſt falſum, obſecro Reformatores hujus mundi Naturaliſtas, cur præcipuas & unicas fere curas intendunt fere in ſacerdotes tantum? Si mundum ex hodierno reformare volunt in priſtinam ſpeciem & priſtinum morem inducere, cur volunt ipſi initium facere à Sacerdotio? Num id ex amore quodam præcipuo faciant, quo ſacerdotium ampleƈtuntur, quæri poſſet, & facile reſponderi. Obſecramus eos (& juſta eſt obſecratio) uti amoris iſtius argumenta primum in ſe ipſos edant. Rationabile eſt & juris naturæ prima lex, præſertim autem Hobbio ſola, ut te ames cetera porro omnia ſive poſt te cures ſive plane inſuper habeas. Conſidera mihi nobilitatem primam Germanorum: examina illorum vitæ modum. Conſidera eadem de veteribus principum adminiſtris, de Principibus ipſis, de plebe, de ordine civico, agreſti, membriſque omnibus. Confer cum novis vetera. Aperiet ſe mihi campus ſane peramplus, in quem educerem numeroſas copias. Verum ego ab his recenſendis pudore & reverentia abſtineor. Non enim ad exprobrandum aliis veni, ſed

cur non incipiunt à ſeipſis?

ad

ad avertendam injuriam. Peto autem ut ſacerdotum
Neque auctoritas, nomi eadem æquitate utantur, quodque peto juſtum eſt, juſtaque petentibus non ſunt deneganda. An igitur valet aliquid apud hos Reformatores antiquitas & auctoritas? an *ſola* prætenſa ratio valet? Si auctoritas & antiquitas valent, velim intelligere, cur in ſolis ſacerdotibus ea regnare debeat & quidem male applicata; in ceteris vero nullam habeat locum? Si nihil valet antiqua auctoritas, cur nihilominus ſacerdotes ad eandem rediguntur, & male quidem intellectam, male applicatam? deinde ſi ſola
neque ratio ratio, & quidem illorum paucorum, in mundi negotiis valet; mirabile videtur, ipſos pro ceteris omnibus abunde reperire rationum, cur delicias ſibi adaugeant, & novo ſemper more vivant, vetera contemptui habeant & ex-
ſacerdotibus abjudicat divitias, plodant; in ſacerdotibus autem nullam poſſe excogitare rationem, pro præſenti ſtatu, ita ut neceſſitate coacti & ratione deſtituti ad ſolam antiquitatem ac ne hanc quidem recte cognitam confugere debere ſibi videantur; Feliciſſima iſtorum ratio in aliis omnibus eſt ad nova invenienda & ſtabilienda, in ſolis ſacerdotibus infeliciſſima vel potius nulla. Mirabilis, iterum dico, hæc res eſt, quamque ego ſtupidus ſola ratione, fateor, comprehendere, quin ne attingere quidem poſſum.

Denique ſi omnes illi, qui veterum diſſimiles ſunt, ſunt rebus ſuis ſpoliandi, magna populi cataſtrophe inſtat. Magnæ autem cataſtrophæ plerumque rei publicæ nocent. Hoc igitur conſilium ſpoliationum ex noxiis eſt, aut ſaltem periculoſum.

Ad

79. Heterodoxi mittunt argentum Miſſionariis,

Ad ultimum ſi hanc de *pera ſine argento* objectionem contorquent in catholicos ſacerdotes politici heterodoxi, interrogabo & ego illos unum ſermonem. Cur Danis præconibus in Indiam ad Tranquebarienſes miſſis, non tantum argentum multum dederunt in ſacculis, ſed etiam quotannis ſubmittunt; imo in Lutheranorum templis paſſim pro iis collectas faciunt? ſuntne hi ſimiles Apoſtolis? demus in omnibus aliis ſimiles eſſe: quid verò coëgit Ziegenbalkum hujus miſſionis auctorem, ut poſt multos jam annos in Indiis exactos in Daniam renavigaret, & non tantum vulneratum puellæ amore cor referret ad Indos, ſed ipſam etiam puellam conjugem? Apoſtolicone ſpiritu trans mare petiit tam neceſſariam ad convertendos Indos ſupellectilem? an profecti ſunt hi ad Indiam populo inſtaurandam; deſolandam, niſi miſſionarii ex Europa advehant ſecundi generis appendices?

imo etiam uxores.

71. Lautities ſacerdotum

Objicit aliquis. Sacerdotes *nimis laute* vivunt & comedunt.

℞. 1. Demus ita contingere. Nocet hoc rei publicæ? Cui vero? an Regi? verum is ex lautiore vita civium plerumque plus commodi de gabellis capit. An lautities nocet civibus? Sed hoc plures cives vivunt de penu ſacerdotum, quò hi ſunt lautiores. Præſertim quomodo luxus noceat rei publicæ nunc, poſtquam inventus eſt nuper medicus Anglus Mandevilius, qui relicto opificio repurgandi ventriculi ad rempublicam curandam grande ingenium contulit, fortaſſe etiam ma

non magis nocet Reip.

thematicè demonſtrans, *Vitia ad REMPUBLICAM florentem & BEATAM FACIENDAM æque neceſſaria eſſe ac famem qua inducamur ad nutrimentum capiendum.* Librum haud nomino, dignum æterno ſilentio & oblivione premi.

℞. 2. Ex hoc rurſum mirabile eſt, ſemper nocere ſacerdotes. Si comedunt, nocent; ſi eſuriunt, nocent; ſi reſervant nocent; ſi diſpenſant, nocent. Multum eſt ſi non etiam halitus eorum denique noceat.

quam lautities aliorum.

℞. 3. Aliud mirabile hoc eſt, ſolam rurſus nocere ſacerdotum lautitiem: non principis, non nobilis, non militis, non civis, non coloni, non mendicabuli, non meretricis nocet lautities; ſacerdotis lautitia peſtis eſt unica rei totius publicæ

Sacerdotes largiuntur ceteris.

℞. 4. Rem æſtimantibus videbitur, de ſacerdotum lautitia magis participes fieri alios, quam ſacerdotes fiant participes lautitiæ aliorum. Quid ergo querelæ eſt? Vel ſi participium etiam non majus eſt ſed utrinque æquale, quid eſt querelæ? ſi æquo jure vivimus, æquis portionibus alter alterum honoramus, quid queritur alter? quid accuſatur alter? accuſetur uterque, vel potius queratur nemo. Nec queretur ſane, qui humana æquaque bilance uſus omnia rite expenderit. Apoſtoli quando mittebantur ſine pera & pane paſcebantur ſolum à fidelibus, neminem paſcebant. Noſtri paſcuntur quidem & ipſi idque agnoſcunt & ob hoc peccata populi portant, ſed viciſ-

ſim

ſim & ipſi paſcunt laute plurimos, & de eo paſcunt quod ſuum eſt, quod poſſent in burſam abſcondere, aut pro arbitrio aliter impendere.

℞. 5. Quid ſit de hac ſacerdotum lautitie, admodum anceps eſſe video. Alii accuſant abundantiam & nimietatem, alii contemnunt ſordes. Ubi re ipſa veſcuntur ſacerdotalibus epulis, aliquibus nihil recte ſervitur, non panis ſatis levis, non ius conditum eſt, acet vinum utut theologicum, ſordent omnia, nihil ſapit, ferculorum numerus exſpectatione minor ponitur, ordo ipſe cœnarum rudis eſt & inconcinnus: iidem cum deinde bene paſti devenerint ad aliorum circulos, traducunt ſacerdotum luxum: quanta, inquiunt ſtrages pecorum & armentorum, & ex omni elemento altilium! nihil ſufficit gulæ poparum. Omnis mea familia ex iis ſolum quæ ſuperſuerant, triduo victitaret. Alii porro omnia his contraria faciunt, quæ illis honoris ergo miniſtrantur; nimia dicunt præſentes; cum abierint, apud alios incuſant avaritiam. Quanto melius conſulerent rei publicæ ac ſibi uterque, ſi ad ſacerdotum menſas accederent animo bono, cum ipſis viverent æquo, recederent denique grato. Certe libentius eos paſcerent omnemque alium honorem haberent ſacerdotes.

Lautitiem ſacerdotum alii ſordes vocant.

℞. 6. Cum his omnibus quis nimiam lautitiem vel luxum, ſi quis alicubi regnat, probaverit? maxime in ſacerdotibus?

EXAMEN DUODECIMUM.

AN FACULTATES SACERDOTUM NOCEANT REI PUBLICÆ PROPTEREA, QUOD ALIENARI NON POSSINT?

72. Inalienabilitas in genere ex ſenſu communi

In univerſum quædam prædia, fundos, & ſupellectilia alienari ſeu in aliorum, quam quibus conceſſa ſunt, uſum tranſire non poſſe, eſt inſtitutum, conſilium, inventum ac regula maxima ſapientium, ac moratorum populorum. At vehemens eſt præſumptio, imo in re civili, certum & indubitatum argumentum, id quod ſapientes, morati, ac plures populi inſtituerunt, utile eſſe rei publicæ, non exitiale. Quamobrem in univerſum perpetuitas prædiorum aliquorum in re publica, eſt aliquid utile ad ipſius rei publicæ commodum ac ſtabilimentum.

Reipublicæ utilis.

Qui mihi præſumptionem pro populis negare auſus fuerit, huic edico, impoſiturum me ipſum trutinæ alteri lanci, alteri autem impoſiturum Græcos, Romanos, Ægyptios, Hebræos, ceteros. Horum pondus ita deprimet lancem unam, itaque elevabit alteram, ut paucos heri natos in ea latentes ejaculetur usque ad ſpatia imaginaria, ludibrium facturos omnibus, qui in ſpatiis veris hujus mundi conſiſtunt.

73. Terra Chanaan inalienabilis fuit

Ordiamur ab antiquo, nec tamen ſimus prolixi. Terra *CHANAAN* inalienabilis erat à populo Iſraël, ea de cauſa, quod Deus terrarum Dominus hanc promiſit Abra-

Abrahami fidei ac poſteris eousque, donec ab ejus ſemine Redemptor egrederetur. Hæc inalienabilitas (utendum enim eſt vocabulo quamvis latinis auribus non admodum bene ſonante, in re ſeria) hæc inquam inalienabilitas fundamentum fuit totius reipublicæ Hebræorum. In hac fundamentum habuit teſtamentum Jacobi pro duodecim filiis ſuis nuncupatum. Hæc fuit cauſa, cur populus Hebræus vetante licet Pharaone Ægyptum juſte reliquit, jugoque ſe exemit juſte, quidquid politici quidam forte nugentur. Hæc quoque fuit juſtitia belli ab eodem populo in Ammonitas & Chananæos geſti, eorumque internecionis. Hæc quoque inalienabilitas impedivit, ne, ſi etiam locum alias inter gentes præſcriptio haberet, pro Chananæis illa tamen militare poſſet. à gente Hebræa.

In populo *HEBRÆO*, inalienabilitate ſemel pro fundamento totius reipublicæ ſtatuta, mirum non eſt, ſi deinde eadem fundamentalis lex fuit ſingularum tribuum, qua cavebatur, ne unius tribus aſſignata hereditas tranſiret in tribum aliam: aut unius familiæ ſubſtantia paſſim in aliam translocaretur. Quæ inalienabilitas ut conſervaretur, cedere debuerunt conſuetæ alias matrimoniorum leges, & ſanguine proximis conceſſum viduas conſanguineas ſibi filiorum heredumque procreandorum cauſa copulare. Et tribuum portio inalienabilis à tribubus.

Rurſus eodem in populo ſacerdotii præcipue prædia, hoc eſt domus & ſuburbana alienari non poterant, & alienata de facto, ut Juris periti loquuntur, deinde Levitarum poſſeſſio inalienabilis.

jure & facto ad Levitas reverti debebant. Levitici, XXV.

Auctor inalienabilitatis DEUS

Cumque Hebræorum hoc inſtitutum fuiſſe dixi, idem tamen originem ſuam DEO debet, ut pulcrum ſatis inalienabilitatis rerum auctorem prodiderimus, à quo nihil iniquum prodire poteſt, nihil vere noxium. Quo prodito auctore liceret à reliquis recenſendis ſuperſedere. Sed noſtris adverſariis plus ponderis habere ſolent humana, quod divina: maxime cum ſint inter illos Puffendorffiani & Wolffiani pulli, qui DEI voluntatem ad regendas res publicas applicare velle ridiculo habent & obſcuris tantum ingeniis dignum.

Pro Sacerdotibus Ægypti inalienabilitas

ÆGYPTII, populus comprimis ſapiens & moratus, & ceterorum populorum fere doctor etiam Græcorum, Sacerdotum poſſeſſiones *perpetuas* habebant ne Regi quidem vendibiles. Urgente quippe fame univerſam Ægyptum, venere Ægyptii omnes pro pane vendentes Regi & pecora ſua & domos & agros, ad extremum etiam corpora ac libertatem, ut in ſervitutem redigerentur omnes, *Præter terram ſacerdotum, quæ à rege tradita fuerat eis: quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non ſunt compulſi vendere poſſeſſiones ſuas.* Geneſ. XVII. v. 22. Equidem extrema neceſſitas legem non habet, & Sacerdotes Ægyptii in hac neceſſitate potuiſſent ac debuiſſent eos vendere, maxime Regi. Sed Rex voluit eſſe inalienabiles etiam ſibi; & ut inalienabilitas hæc ſarta tecta maneret, ſumptus omnes de ſuo præbuit. Quid exiſtimas judicaſſe Regem de inalienabilitate

præ-

prædiorum ſacerdotalium? Nocituram eam regno ſuo putavit? Omnium aliorum Ægyptiorum, colonarum, mercatorum, nobilium, aulicorum poſſeſſiones alienari utile fuit; alienari poſſeſſiones ſacerdotum hoc ſolum nocuiſſet reipublicæ huic magnificæ, cujus reliquias etiamnum obſtupeſcunt, qui vident. An forte paucos heſternos majore ſapientià politica credamus pollere quam Pharaonem illum & illum Joſephum? Hoc certe nullo adhuc argumento de ſe iſti probarunt: novos enim quosdam politicos ſcimus multa interdum perdidiſſe, erexiſſe & conſervaſſe vix pauca.

Ceterum ne eadem prolixe bis ſcribam, à recenſendis populorum inſtitutis de perpetuitate poſſeſſionum ſacerdotalium hic abſtinebo. Illo autem loco, quo de divitiis in ſacerdotes ab omni prope gente collatis deinceps agemus, ſimul moneo jam nunc lectorem, inventurum ipſum non pauca de illorum perpetuitate. Vide de Brachmanibus. Num. 246.

Deinde ſi aliarum poſſeſſionum perpetua conſervatio in eo uſu ad quem initio deſtinatæ ſunt, non obeſt ſed prodeſt reipublicæ, & propter hanc utilitatem inducta eſt, cur ſolis in ſacerdotibus, templis ac rebus divinis hoc ſit venenoſum & ſonticum? Omnia proſunt reipublicæ, etiam ſcelera, imo neceſſaria ſunt ad rempublicam *beatam* faciendam, ut ſupra nobis Mandevillius medicus dixit: Sola quæ DEO ac DEI cauſa fiunt, dantur aut ordinantur, nihil proſunt reipublicæ, ſola nocent. Qua fron-

74. Profanæ etiam res inalienabiles.

fronte hujus generis pſeudo-politici nomen Chriſti gerunt, aut quomodo vel tenuis cognitio Dei illiusque dominii in ipſorum pectoribus vigeat, plane non video. Gentes & barbari, quos dicimus Deum non agnoſcere, propter *nomen* ſaltem Dei idolis ſuis tributum plurima ac ſeſe ipſos proniſſima voluntate conſecrant: & Chriſtianorum aliqui omne id, atque ſolum id credunt *periiſſe*, quod Deo vero ejusque causâ non ipſi dant ſed ab aliis datum eſt, quem quidem Deum verbis dicunt ſe credere, imo agnoſcere.

ut Fiſci

Res Fiſci & plures aliæ inalienabiles ſunt, quamquam ſæpe injuriis auctæ & innocentum expreſſo ſanguine: non dico injuriis principum aut ſummorum imperantium, ſed ultimorum ſervorum & apparitorum. Illæ autem ex politicorum virorum decreto non reipublicæ nocent ſed unice proſunt. Contrà res Deo ac ſacerdotibus Dei cauſa conceſſæ non ad faciendum injurias, ſed ad avertendum, aut commiſſas expiandum, hæ res ex decreto aliquot iterum politicorum nocent rei publicæ, non jam quia inalienabiles ſunt, (ſunt enim tales etiam res fiſci & plures aliæ, quæ tamen proſunt) ſed quia Dei causâ datæ ſunt.

75. An ſacerdotes ſemper acquirant, nunquam amittant?

Verum, ais, hac ratione iniqua lege vivunt ſacerdotes: *ſolum acquirere poſſunt, perdere nunquam poſſunt.*

Reſpon-

Reſpondeo 1. Si hæc lex fiſco aliisque reipublicæ partibus non eſt iniqua ſed æquiſſima, rationem peto cur Deo dicatis ſit iniquiſſima?

℞. 2. interrogando: Juſtumne eſt, rei publicæ aut civitatis cauſa multa millia hominum bello ad certum interitum exponere? Si hoc juſtum eſt, ut eſt ſane juſtum, conſidera, tot illa mortalium millia omnino perire rei publicæ, nunquam recuperari poſſe, in æternum alienari tam à familiis ipſorum, quam à tota republica, & nemini amplius uſui fore. Si hoc non eſt iniquum, civitatis cauſa tantam partem reipublicæ viventis ponere & ejicere extra uſum rei publicæ: ne hoc quidem erit iniquum, partem rerum mortuarum & vilium non perdere & deſtruere, ſed ita ſeponere, ut non aliis uſibus quam his ſerviat: & ut ob hoc ipſum majores uſus præſtet rei publicæ, & eidem certius conſervetur, melius excolatur, & magis fructificet in commune: quod per eccleſiaſtica prædia Catholicorum fieri ampliter deinde docebimus. Verbo, ſi juſtum eſt propter ſocietatem mortalem ſive propter civitatem deſtruere totos exercitus hominum nunquam amplius redituros ad uſus civitatis; juſtum quoque erit, propter Dei & animarum æternam ſalutem aliqua prædia donare ac ſeponere ad Dei cultum & ad alimentum Dei miniſtrorum, ita ut illa prædia nunquam amplius revertantur ad profanos civitatis uſus, hoc eſt, ita ut ſint ab uſu ſacro inalienabilia. Revera Dei causâ licet, juſtum & ſanctum eſt, quasdam res omnino de-

Aliquid perire Reipublicæ juſtum eſt & bonum.

deſtruere & extra uſum totius generis humani ponere, ita animalia, quibus veſci poteras, cremari & in cineres redigi, ſanctum eſt, ſi fiat ad teſtandum Dei in omnia dominium. Ita pii homines ceras, oleum, thus faciunt conſumi cum commemoratione divini Numinis, quamvis conſumpta nullum alium & tunc & deinceps uſum præſtent: neque hoc nocet reipublicæ. Quanta enim ſunt quæ divitum luxus fere ex petulantiâ conſumit? Quanta quæ conſumuntur tantum ad oſtendendam magnificentiam? Si hominum dominio conteſtando penitus conſumuntur theſauri, non video cur Dei cauſa conſumi *nihil* debeat.

℞. 3. Prædia, ut ſupra dixi, ſacerdotum non ſunt extra uſum reipublicæ poſita. Falſum eſt, ſacerdotes acquirere tantum & nihil perdere ſeu dare? dant enim: imo & perdunt ſæpe, quando ingratis dant, aut male utentibus. Imo ne tunc quidem ipſi perdunt, ſed perditio ingratorum eſt, non ſacerdotum.

76. Quæ dantur ſacerdotibus non moriuntur reipublicæ.

Tamen iniquum eſt, ais, ut è nobilibus quidem ac ceteris prædia conferri poſſint in ſacerdotes, nulla autem à ſacerdotibus conferantur in nobiles ac ceteros. Ergo juſtiſſime introducta eſt lex *ammortizationis*, vetans ſacerdotibus vendi prædia aut relinqui hereditates.

℞. 1. Etſi verum eſſet, à nobilibus poſſe prædia tranſire ad ſacerdotes, quin poſſint redire ad nobiles: falſa tamen videtur conſecutio utraque, ſive injuſtitiam hic

inferas,

inferas, ſive nocumentum rei publicæ. Nam ſi *injuſtum* hoc eſt in ſacerdotibus, debet eſſe injuſtum etiam in aliis inalienationibus; quia hos homines ſacerdotes eſſe *materiale* eſt ad hoc: imo non materiale ſi ſacerdotum reſpectus ad Deum habeatur; hic enim reſpectus eſt formalis cauſa cur populi inalienabilitatem talem pro ſacerdotalibus poſſeſſionibus agnoverint, non pro nobilibus. Quodſi hinc inferas *nocumentum* rei publicæ: Debes mih ſolvere argumentum de fiſco & aliis. Turcæ aliter ratiocinantur. Illi admittunt, omnia eſſe in fiſco principis & inalienabilia. Nocet hoc reipublicæ? ex Turcis interroga, non ex me. Quin tu forte ex eorum es numero, qui ſuſtinent, etiam in Chriſtiano ac libero populo omnia civium eſſe in fiſco principis, ita ut nulla alienatio à principe locum habeat, & quidquid cuiquam is dederit, poſſit revocare ad ſe, ut accipere poſſit tantum, non perdere? Et tu, ſi hac in ſententia es, tuo te gladio jugulas. Inalienabilitas enim tuo judicio non tantum eſt æqua ſed utiliſſima reipublicæ, quia tu fiſcum pro re publica habes.

77. Multa à Sacerdotio revertuntur ad laicos.

℞. 2. Falſam autem eſſe objectionem jam oſtendo. Nemo eſt vir politicus, qui ignorat, magnam prædiorum ampliſſimorum vim in omnibus Europæ terris Catholicis aliisque poſſidere nobilitatem ſummam, mediam, atque infimam, acceptam in *feudum*, ab Epiſcopis, Abbatibus aliisque Prælatis & Collegiis. Lege Curiam Feudalem Fuldenſem à Schannato editam. Lege Falckenſteinii

 codi-

Codicem Diplomaticum; lege Lunigii Spicilegium eccleſiaſticum, Hiſtoriam Friſingenſem Meichelbekii, aliaque Diplomataria & Hiſtorias. Hic ubi multa videris, crede multo plura revera eſſe; non enim edita ſunt omnia cetera: lege, ſi potes, in libris feudalibus eccleſiaſticorum Principum, Monaſteriorum, &c. vel vide, ſi lubet, moriente quodam principe eccleſiaſtico, quanti alii veniant ad feudorum ſuorum à ſucceſſore petendam, quam vocant, inveſtituram. Atque certum eſt, Principes eccleſiaſticos fere plura prædia in nobilitatem contuliſſe, quam ipſi ſuæ poſſeſſioni atque uſui reſervaverint Qui plura ex acceptis reddit aliis quam ipſe ſibi retineat quomodo incuſatur iniquitatis, tanquam accipere tantum volens, perdere nunquam volens?

78. Prædia ſacerdotalia poſſunt alienari

Ad extremum denique non ita rotunde affirmandum eſt, prædia eccleſiarum & ſacerdotiorum per omnia eſſe inalienabilia. *MALE alienari*, diſtrahi, divendi ut non debent, ita non poſſunt; ut ſi Prælatus inertia, luxu aliisque viis non bonis, venditum eat atque dilapidatum poſſeſſiones. Quid, oro, eſt ſanius atque juſtius? an ut permittatur? an ut coërceatur, aut facta etiam reſcindantur? Eccleſiæ, ac Dei ſervitio ac cultui dicatas res ut dilapidet is qui earum Dominus non eſt, juſtum nullo modo fuerit, tam parum quam fiſci procurator res principis vendere jure poteſt.

in neceſſitate ſufficienti.

Contra cum neceſſitas ipſius eccleſiæ, aut publica urget, quam aliter non avertas, tum vero licet alienare, hac

hac tamen adhibita cautione, ut & vera neceſſitas ſit, & uſus redactorum laudabilis. Quod ut deprehendatur certius, legibus omnis generis cautum eſt, ut eccleſiæ illius reliqui ſacerdotes, ſeu capitulum in rem conſentiant, ut principi terræ ſuæ ſint in hac re partes, atque ut Pontificis maximi venia adſit.

Adhæc aliis modis *utilitatem* ex poſſeſſionibus eccleſiæ concedi & tranſcribi in alios, principes, nobiles, &c. eccleſia omnis libenter admittit, ut emphytheuſes precarias, infeudationes feudorum antiquorum, donationes etiam honeſtas & decentes. Quo in genere quam liberale ſit fueritque ſacerdotium, publice conſtat, ut ſupra conſiderandum ſuaſimus.

Utilitas ex iis veniens poteſt aliis concedi.

EXAMEN DECIMUM. TERTIUM.

AN REIPUBLICÆ NOCEAT, POSSESSIONES SACERDOTALES SUBESSE ARBITRIO SUMMI PONTIFICIS ET SS. CANONUM.

Uno ore affirmant heterodoxi; & ab his inconſiderate abducti aliqui politici. Quid? Pontifici, *alicui ſacerdoti extraneo* in regno & regione noſtra arbitrium de prædiis? Ubi eſt res publica? ubi eſt independentia? Periit res publica, ſi hoc admittimus. Naſcitur *Status in ſtatu*, quo nihil in orbe terrarum monſtroſius.

79. Heterodoxa eſt hæc cantilena.

De ſophiſmatibus Puffendorffii, cum iſta vociferatur, paucis actum eſt in *Larva juris naturæ* detracta.

Quemadmodum etiam de *ſtatu in ſtatu* vaniſſimum terriculamentum deteximus ibidem, cum oſtendimus ſtatum in ſtatu rem eſſe non impoſſibilem & chimæricam, ſed quæ actu extiterit, exiſtat, & deinceps exiſtet; quæ etiam ſit neceſſaria, & aliter nos jam vivere non poſſe, niſi ad primum, ſi quis fuit, ſtatum ſylveſtrem & ſolitarium redeamus.

Hebræorum res publica everſa eſt ex principiis Pufendorfianis.

Hebræus populus habuit rem publicam. At hic ſummus ſacerdos arbitrium à regni jure plane ſeparatum habuit, etiam in prædia ſacerdotalia, in Levitas, in decimas. Ergo non implicat ſtatus in ſtatu ſed eſt realis. Cum regnum diviſum in duo fuit, ſacerdos ſummus in regno Juda reſidens Jeroſolymis, poteſtatem ſuam exercuit in Levitas regni Iſraël decem omnino tribus complexi. Politici regum Iſraëlis non dixerunt, ſtatum in ſtatu monſtroſum eſſe, nec terrificam rei publicæ Israëlis *alicujus extranei ſacerdotis* poteſtatem.

Equidem aliqui reges Iſraël, ne ſui ſubditi ad templum Jeroſolymitanum, vel potius ne ipſi ad illud accederent, *Excelſa*, hoc eſt aras in ſuis montibus exſtruxerunt, videnturque Jeroſolymam cum templo ac ſacerdotibus tanquam extraneos habuiſſe. Verum quid factum eſt inde boni in rempublicam non dico omnium Hebræorum, ſed harum decem tribuum? Hoc neque *propter ipſa hæc excelſa* & propter templum ac ſacerdotem ſpretum primùm omnes decem tribus in captivitatem cum ipſis regibus abductæ ſunt; deinde eidem exitio naturaliter etiam reliquæ duæ

duæ tribus involutæ ſunt, ac tota res publica. Adeo utile rebus publicis eſt conſilium Puffendorffianum de Sacerdote, ut inquit, extraneo, hoc eſt de Pontifice maximo ſpernendo: adeo belle terriculamentum ipſius evanidum de *ſtatu in ſtatu* tendit ad caſum & ruinam ſtatuum etiam à DEO ordinatorum. Dependiſſent decem tribus, vel potius reges illarum decem tribuum, à ſacerdote extraneo Solymarum, nec excelſa ædificaſſent, nec Puffendorffiani fuiſſent; vincula effugiſſent & opprobria: nunc cum faciunt quod Puffendorffius etiam experientiâ non emendatus ſuadet, cum rempublicam ſuam in tali independentia conſiſtere ſibi perſuadent reges iſti, regno excidunt ipſi, & omnis populus regum ſtulto conſilio perditur, res publica perit. Ut in hos etiam conveniat illud Poëtæ:

Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Ceterum *STATUS* eſt certa conditio vitæ. Status *naturalis* hominis eſt conditio vitæ illa, quam homo ex ipſa nativitate ortuque ſuo habet. Status *hypotheticus* eſt conditio vitæ quæ oritur ex *facto* proprio vel alieno. Ut homo naturaliter liber, ſi ab alio capiatur, vel ſi alteri ſe liget in ſocietatem. Status hypothetici varii ſunt. Socialis *œconomicus*, ubi vivitur in familia conjugali, vel etiam ſine uxore, ut fit in collegiis & monaſteriis, & ut factum eſt olim in ſchola prophetarum, apud Eſſenos &c. Socialis compoſitus ſtatus eſt *civitas*, compoſita ex familiis. Socialis decompoſitus eſt v. g. ſyſtema civitatum 80. Status in ſtatu explicatur.

fœ-

fœderatarum, ut res publica Batavorum, Helvetorum & grandis talis ſtatus Imperium Romano-Germanicum. Item multo grandior Status talis eſt Eccleſia catholica ſub uno Capite, cum Hierarchia militans Chriſto DEO, cui adjunxere ſe multæ civitates & regna.

Jam qui ex alio priore ſtatu tranſit in poſteriorem facto ſuo, is priorem ſtatum non amittit, ſed in aliquibus circumſcribit, in aliis perficit & eidem aliqua addit. Sic ex ſtatu naturali tranſiens ad œconomicum, circumſcribit libertatem, addit obligationem erga conjugem vel ſocios, antè non habitam, acquirit autem auxilium ſociorum quo & antè carebat. Per hæc autem non perdit omnino ſtatum naturalem, nec illius lure privatur omnino, nec ejus obligationes exuit omnino, ſed modificat. Rurſus per hoc ſtatum œconomicum non ſtatuit in ſtatu naturali, ſed contrà naturalem conſtituit & deducit in œconomicum: & ſtatus in ſtatu quidem eſt, non autem œconomicus in naturali, ſed viciſſim. Ita cum regna varia tranſeunt ad Eccleſiam Catholicam, ſtatum novum acquirunt: non autem per hoc Eccleſia fit ſtatus in regnis, ſed regna ſunt ſtatus in Eccleſia. Eſt ſtatus in ſtatu, ſed toto cœlo diverſus à phantasmate Puffendorffii, quo terrere homines vult. Sapientes non terret. Hæc alibi ſatius expoſita fuerunt.

81. Quidquid id eſt, ſeu ament heterodoxi cum aliquibus politicis per ipſos imbutis Pontificis auctoritatem ſeu oderint; ſeu fingant ſibi ſtatum in ſtatu, ſeu is revera exi-

exiſtat, hoc nihil facit ad rem præſentem. De nocumento rei publicæ hic agitur, quod permittent nobis iſti dimetiri non ex odio hoſtium, nec ex eorum ideis confictis, quas ſcholaſtici *Entia rationis* & *hircocervos* dicunt, ſed ex rebus. Ex rebus autem oſtendam ego paucis, hanc Pontificis in poſſeſſiones ſacerdotales poteſtatem non obeſſe rei publicæ, utcunque illam acceperis. Nocumentum rei publicæ.

Vel enim tendit poteſtas pontificis ad prædia eccleſiarum eccleſiis illæſa ſervanda; vel tendit ad eadem prædia ab eccleſiis transferenda in manus & uſus non eccleſiaſticorum? nullo modo ſequitur ex Papæ poteſtate.

Si Papæ poteſtas ad hoc tendit, ut prædia eccleſiarum eccleſiis ſerventur integra, tendit Papa ad id, quod hæc prædia poſſunt efficere in republica: At prædia eccleſiarum in republica nullum efficere poſſunt nocumentum, ſi ſerventur integra ad uſus illos legitimos, quos etiam Pontifices cum conciliis præſcripſerunt. Hoc enim tota hac commentatione probatum dabimus. Quin prædia ſacerdotalia ſic conſervata ingentes utilitates præſtant reipublicæ. Quapropter ne Pontificis quidem in hæc prædia poteſtas nocere poteſt, ſi hæc poteſtas tendit ad prædia, reipublicæ tam utililia, integra conſervanda.

Quodſi vero poteſtas Pontificia tenderet ad prædia eccleſiarum transferenda ſine modo ad manus non eccleſiaſticorum, politici in ſuo ſyſtemate non poſſunt dicere; Pontificem ſic nocere, quia ipſorum ſyſtema eſt, utile fore reipublicæ, ſi prædia ſacerdotalia aliis dividerentur.

Eadem eſt ſententia ſi non de prædiis ipſis, ſed de eorum fructu proventuque agatur.

82. **Papa ſæpe jubet ſuccurri rei publicæ.**

Quoties ac quantis pecuniarum ſubſidiis juſſit Pontifex ſuccurri principibus per ſacerdotes ſive ad bellum turcicum avertendum aut reprimendum, ſive ad religionem Catholicam adverſus hæreſes tutandam, ſive ad calamitates publicas leniendas? Non loquor res populis ignotas, quamquam ſacerdotes ipſi non multa de his paratragœdientur. Neque hic in numerum mitto provincias neque illas de nomine appello, ne exprobrare videamur, quod ad *legitimos piosque uſus* libenter conferunt ſacerdotes, Pontifice jubente.

83. **ad legitimos uſus.**

Ajebam tamen: ad *legitimos uſus.* Quodſi vero videant ſacerdotes (neque enim talpæ ſunt) pecunias Dei cultui, pauperibus, ac ſuæ mercedi deſtinatas ac debitas, perperam forte ab aliis diſpergi, quid mirum ſi id non probent, ſi apud ſe aut inter ſe modeſte plangant? Non ſolis ſacerdotibus hoc dolet: imo dolet & populis & colonis, ſudores ſuos, quos DEI cauſa ſacerdotibus lubentes contulerant vane profundi; dolet pauperibus, panem ſibi ſacerdotalem arctiorem fieri non ſine cauſa metuentibus. Dolere id deberet ipſis etiam Politicis, ſi vere curam reipublicæ, ac boni publici habent.

84. **Pontifex *poteſt* abuti;**

Sed inquis; Pontifex poteſt abuti hac poteſtate: igitur hæc ei prudenter admitti non poteſt.

ſicut omnes alii.

℞. 1. Singuli poſſunt abuti facultatibus ſuis, etiam mercatores, etiam nobiles, etiam reges. Rurſus poſſunt abuti

abuti non facultatibus modo externis, ſed etiam corporis & animæ viribus. Quid tum? Ergo prudenter non poſſunt admitti hominibus corpora & animæ, non mercatoribus pecuniæ, non nobilibus prædia, non principibus arma? quia hi omnes poſſunt inſtrumentis iſtis abuti, ſicut omnes homines poſſunt abuti membris ſuis, intellectu ſuo, ſuaque voluntate. Hæc philoſophia tua ſi opus eſſet mundo, unà omnibus migrandum eſſet forte in lunam aut Saturnum, rogandusque D. Wolffius ut in illis orbibus nobis aſſignet territoria, ea tamen conditione pacta, ut *non poſſimus* facultatibus his novis acquiſitis abuti.

℞. 2. Etiam non omnia ſunt abuſus, quæ politicis quibusdam videntur, ſuum cerebrum præ omnibus majorum inſtitutis præque religionis hierarchia magni facientibus: quin contra multa, quæ politicis interdum probantur, revera abuſus ſunt, & non raro ad interitum rerum publicarum tendunt ea, quæ ipſi ſuaſerunt tanquam ad rem publicam unice neceſſaria. Græcum Imperium nihil magis perdidit & extinxit, quam inobedientia erga Pontificem, cum tamen ipſi exiſtimarent, ſalvam ſibi rempublicam non fore, ſi penderent à Pontifice.

EXAMEN DECIMUM QUARTUM.

AN PERIERIT REIPUBLICÆ QUOD SACERDOTIO DATUR? AN SACERDOTUM MANUS SIT MORTUA?

85. Loquemur hic naturaliter ſine fuco & phaleris, ut res habet; quamquam exiſtimo, me etiam hactenus ſatis ex natura fuiſſe locutum.

Quid ſit perire reipublicæ

Ante omnia decernendum eſt, quid ſit hoc, *PERIRE aliquid rei PUBLICÆ?*

Naves, quæ charybdi vel naufragio abſorptæ cum auro, argento, mercibus & annona abierunt in profundum maris, illæ omnino videntur periiſſe reipublicæ.

Ita ſylvæ Pyrenææ antiquitus exuſtæ periere tum quidem Hiſpanis. Sed DEUS radices ſervavit, è quibus prognatæ paulo poſt aliæ, quæ hactenus ſuffecerunt.

Semen non perit.

Semen tritici, quod terrâ contegit agricola, perit & moritur, neque ex eo panem conficias: mortuum eſt, ut inquit Chriſtus. Verum paulò poſt reſurgit, & niſi prius moreretur, non reſurgeret. Nec ſimplex reſurgit ſemen & ſolitiarium, ſed cum fœnore ingenti. Reddit enim aliud centuplum, aliud trigecuplum. Niſi periiſſet, non redderet, non ergo vere periit.

nec cibus

Quæ in ventriculum conjicitur annona, perit & per ſeceſſum ejicitur, non quidem ſine omni uſu futurum, cum

cum in agris & vineis tum in re medica & alias. Verum ne reliquum quidem periit, ſed melior illius pars converſa eſt in ſubſtantiam aliam adhuc meliorem, nempe in ipſum hominem, in chilum, in ſanguinem, in carnes, oſſa, medullas, cerebrum, ſpiritus vitales, & nobiliſſimarum actionum inſtrumenta. Certe frumentum, ex quo tam pretioſum aliquid factum eſt, non periit, æque parum credo ac perierit aurum, ex quo matula facta eſt delicatæ fœminæ.

Curtius eques (ſi vera hiſtoria eſt, & credo veram eſſe) in barathrum deſiliens armatus & ornatus, periit Urbi. Verum cum peſtifera ſcrobs clauſa eſt, & mephitis ceſſavit corporum tabem ſpagere, non periit urbi Curtius, ſed urbem Curtius ſervavit, & lucrum fructusque Curtii fuere multa civium millia. Nec videtur periiſſe Curtius: vixit in reliqua multitudine ac diutiſſime ſuperſtes fuit.

Decem, viginti, triginta millia, qui in acie occubuerunt coram hoſte, illa perierunt. Sed eorum mortibus averſus eſt hoſtis, aut retardatus, ut interim reciperent ſe reliqui in tutiora, aut majorem defenſionem pararent. Non perierunt hi certe: Servati enim omnes ceteri his debent ſeſe ac ſua. nec miles in acie necatus.

Quæ igitur tellus dehiſcens vorat, aut mare glutit, aut ignis depaſcitur ita, ut nec illa uſui cuiquam amplius ſint, nec ex iis fiant alia, nec per ea ſerventur alia, hæc *perierunt*.

Quæ vero ita eſſe deſinunt, ut reliquias utiles habeant, vel ut pro reliquiis habeant ea omnia quæ per ipſorum deſtructionem ſervata ſunt, illa ſane *non perierunt* reipublicæ.

86. Holocauſta non pereunt reipublicæ.

Quin & hoc merito addo, ſi per Puffendorffium licet. Ea quæ igne exuruntur usque in cinerem, ita ut nil eſui veſtituique hominum reliquerint, non tamen perierunt, ſi DEO immolata ſunt, & in ejus dominii ſummi ſignificationem deſtructa.

Sic pretioſum unguentum à peccatrice infuſum ſalvatori non periit; nec periiſſet, etiamſi tam Simon epuli præbitor quod hoſpites omnes & miniſtri catarrho ſpiſſo laborantes nihil ex ejus fragrantia voluptatis percepiſſent.

Non enim parum utilitatis videtur hominibus ceteris etiam Irokis (præter Atheos) habere ſignificatio ſubjectionis erga creatorem agnitum; etiamſi nihil ex illo ipſo ſacrificio in nos & cibum amictumque noſtrum rediret, etiamſi nullum aliud bonum pro hoc ipſo ſacrificio redderetur.

87. Etiamſi Deus pro ſacrificio nihil redderet.

Ceterum homo, qui non eſt Atheus ſed agnoſcit, à DEO ſe accepiſſe annonas, amictus, corpus, animam, plenum mundum divitiarum: is homo ad utilitatem captandam non debet exigere, ut DEUS pro hoc cremato ſacrificio aliquid aliud reddat; neque debet cogitare, ſacrificium inutile eſſe ac periiſſe, ſi nihil pro illo reddatur. Quamvis enim nihil penitus pro hoc ſacrificio redditur, tamen hoc ipſum ſacrificium non de ſuo dedit, ſed de acceptis

ceptis à Deo: & hoc habet ſatis utilitatis, quod relinquantur ipſi cetera tam multa.

Exemplum accipe. Rex tibi, qui pauper eras, & aliquot centones habebas, dedit prædium decem millium reditu. Frueris illo annis viginti, tum incipis recognoſcere beneficium: atque, ut gratitudinem teſteris, accendis ignes artificiales ſpecioſos & multi pretii cum exploſionibus bombardarum, facibus, vini perpetuo fluentis multis amphoris, cujus major pars defluat in terram & effundatur. Exemplum aulici.

Jam ſi nihil tibi pro hac impenſa reddat rex (neque reddet certe) interroga de teipſo politicos, num inutiliter perierint hi ſumptus, hi ignes, hæc vina? præſertim num tibi perierint? Num reipublicæ nocueris?

Rogem te, ut tenue hoc exemplum æqua mente conferas cum hominibus Dei beneficio exiſtentibus: & judicium feras, quod vel Hottentotæ non rideant aut deteſtentur.

His eum in modum generatim expoſitis, quæro jam: opes, quæ templis, ſacerdotiisque ob Dei reſpectum utendæ dantur, perierunt? 88. Sacerdotibus data non periiſſent, etiamſi nihil inde reverteretur ad datores.

Non periiſſent etiam ſi omnia iſta in rogos impoſita flammisque voracibus data præda fuiſſent, altove mari demerſa; modo id divini Numinis cauſa, amore cultuque accidiſſet.

Non periiſſent etiamſi nullus ex iis mortalium aleretur.

Non periiſſent, tametſi Deus ob hæc ſacrificia ac pro illis nihil aliud redderet.

Non periiſſent, ſi ſacerdotes iis uterentur in ſuam ſolorum utilitatem; & nemini mortalium ex hiſce vel obolum impertirentur, vel panis buccellam.

Nunc autem vix non omnia data revertuntur ad datores.

Nunc autem quomodo perierint illa bona, etſi ſacrificia non eſſent: cum ſacerdotes minima eorum parte utantur, pleraque omnia alendis ceteris impendant, & detractum ſibi ab ore panem præter illa quotidiana largiter conferant in communes rei publicæ neceſſitates?

89\. Exemplum gentilium laudatum à Calviniano.

Recte igitur in aliquot tales politicos tam parum æquos convenit id, quod auctor acatholicus de Chriſtianis in comparatione gentilium & infidelium queritur. Is eſt *Alexander ROSS* Anglus, qui ſcripſit librum Anglicum, Gallice dein interpretatum ſub titulo: *les Religions du Monde*, in cujus præfatione num. 3. ſic profatur. *In exponendis omnibus religionibus poſſum advertere, filios bujus mundi ſapientiores eſſe in generatione ſua filiis Dei. Illi enim quidquid ipſis per eorum ſacerdotes & ſapientes præcipitur, nihil detrectant aut parvi pendunt, nullum laborem, nullum onus. Non eſt ullum medium quod non exquirant, ut ad beatitudinem pervenire poſſint. &c. Illi parum ac leve exiſtimabant, quidquid in ſervitio falſorum ſuorum deorum impendiſſent: At nos exiſtimamus, quidquid impendimus in ſervitio DEI veri, id omne periiſſe. Illi obediebant & reverebantur ſacerdotes ſuos: nos vero contumeliis afficimus noſtros, nec obedimus. Illi feſt-*

feſtorum multitudinem honoribus idolorum ſuorum colebant: nos murmuramus, ſiqua dies donanda eſt ſervitio veri Numinis. &c, Hæc Anglus.

90. Chriſtianam religionem inquinant politici.

Profecto quid exiſtimabunt Turcæ ac barbari, ſi intelligent, Chriſti ſacerdotibus invideri eleemoſynas & labores ſuos, datasque ab aliis, auferri ab aliis idque Chriſtianis? Si hoc per Chriſti religionem ac reverentiam licet, dicent Latrocinium eſſe chriſtianam religionem. Si per Chriſti religionem & reverentiam id non licet, videant illi, qui forte tali deſiderio aliquando laborabunt, quid Chriſti faciei ſint reſponſuri.

91. Argumentum à Turcis.

Quodſi contingeret, ut Turcæ ea, quæ in ſacerdotes religionis ſuæ impendunt, pro perditis haberent & pro detrimentis rei publicæ, ſive ut impenſa antiquitus iisdem auferrentur ex toto vel ex parte, certe diceremus, religionem Turcarum eſſe inſtitutam tantum propter temporalia hujus vitæ bona, non propter æterna; eſſe religionem falſam; non mereri ut ejus miniſtris hæc merces tribuatur; nec ut per eorum manus tranſeant eleemoſynæ ad alia rei publicæ membra; talem ſacerdotem talis religionis quemlibet eſſe & eſſe poſſe; ipſos Muſelmannos parum fidere religioni ſuæ, cujus religionis miniſtros eum in modum haberent; aliaque multa diceremus. Eadem autem ipſa dicere facimus Turcas de religione chriſtiana, ſi hujus religionis miniſtris eadem facimus.

Tandem etiam *MANUS* ſacerdotum quales ſint, videamus, *vivæ?* an *MORTUÆ?*

92 Sacerdotes certa ratione mortui ſunt,

Equidem *mortuorum* appellationem refugere ſacerdotes chriſtiani non debent. Divus enim Paulus Apoſtolus eos anteceſſit, qui eos hortatur: *Rogo vos, imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti.* 1. Corinthior. IV.v.16. qui paulo ante de ſe Collegisque ſuis dixerat v. 9. *Puto enim, quod Deus Apoſtolos noviſſimos oſtendit tanquam MORTI DESTINATOS,* Et II. Corinthior. VI. v. 8. de iisdem dixit præter alia: *Quaſi morientes, & ecce vivimus, ut caſtigati, & non mortificati: quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes & omnia poſſidentes.*

Si vel nihil aliud, mortui ſunt, qui nullum ex ſe bonorum heredem procreant, ſed ita omnia relinquunt aliis, ac ſi ipſi in mundo nunquam fuiſſent.

93. aliter tamen quam dicant politici

Ceterum, qui de *MANU MORTUA* Cleri loquuntur, non hoc ſenſu, quem nos diximus, mortem illam accipiunt; nihil ad eos attinet neque de manibus neque de pedibus ſacerdotum: vivant illæ an ſint mortuæ, quid refert iſtorum?

qui putant agrum mori cum datur ſacerdotio,

Non igitur manibus mortem tribuunt, ſed iis rebus terrenis, quæ ad ſacerdotum manus deferuntur. Habes argentum o civis, o mercator, o colone? vivit, viget, valet, ſi vis etiam ſaltat, loquitur, cantat, ridet. Deſers illud ad altare, aut in manum ſacerdotis deponis? mirabile dictu, eodem momento omnis argento exceſſit vita, exanime jacet, cadaver eſt. Habes agrum? vivit, quotan-

quotannis enim germinat, meſſem reddit. Donas eum eccleſiæ? moritur, & tam Archæus ſive anima mundi, quam anima vegetativa nulla eſt amplius neque in tellure illa neque in ſegete.

Idem tamen nummus ſacerdotis, & idem ager ſi deinde aliquis calculum divitiarum ſacerdotalium ſubducit, non tantum duodecim obolos valet ſed alterum tantum; non triginta modios pro uno reddit ager ſacerdotis, ſed centum; adeo magnæ & nimiæ videntur ſacerdotum opes. Niſi forte ea diſcrepantia non tam in rebus eſt quam in diverſis perſpiciliis, quibus homines utuntur. Cum nummum ab aliis ipſi accipiunt, perſpicilio concavo eum intuentur, quod objecta minuit: cum ſacerdoti eundem nummum dant, aut eum is poſſidet, intuentur illum microſcopio Anglicano dicto, quod auget non rem ſed ſpeciem rei. Sic quidem interdum & ab aliquibus fieri videmus atque judicari. 94. Rurſus putant eundem vivere, ſi numerum opum eccleſiaſticorum ineunt.

Verum miſſis iſtis ſerio jam loquamur animoque fraterno. Volumus primo atque optamus, ut ſacerdotes nihil deſpiciant aut parvi pendant; omnem obolum cum gratiarum actione recipiant & pro magno habeant; quippe eſt ſacrificium Deo præſtitum, tametſi ſimul ſit merces juſtitiæ; nam Dei cauſa hæc merces datur, hæc juſtitia exercetur à fidelibus. 95. Sacerdotes decet omne donum magni facere.

Deinde Chriſti fideles ſacrificia ſua, ac mercedes Dei causâ & in Chriſti nomine datas non debent pro *perditis* 96. Fideles non decet pœnitere dati.

ditis habere. Sic enim corrumpunt omne quod dederunt, ſic oſtendunt, ipſos pœnitere dati, & quomodo hinc poterunt à Chriſto ſperare mercedem & mercedem tantam quanta eſt illa invitatio Chriſti judicaturi: *Venite Benedicti patris mei*, ad percipiendam mercedem, & quidem mercedem pro potu etiam aquæ frigidæ uni ex minimis Apoſtolorum porrectæ in nomine Chriſti aut in nomine diſcipuli tantum. Matthæi Cap. X. & Cap. XXXV. Quodſi vero dati eos pœniteat, aut data ab aliis invideant ipſi ſacerdotibus, minuique vel auferri optent, neſcio quam mercedem accipient. Sacerdotes autem ne his quidem debent optare mercedem malam; ſed pro eorum ſalute Deum obſecrare.

97. Manum *mortuam* dicere idem eſt ac *periiſſe* ea quæ in illas manus dantur.

Recte igitur conſiderantibus rem, ii, qui *mortuas* eſſe *res* terrenas dicunt, quando ad ſacerdotum & collegiorum piorum manus deveniunt, re ipſa idem dicunt, ac iſta terrena tunc *periiſſe* rei publicæ, *periiſſe* populo, ex uſu humano eſſe ſecreta & excuſſa, ac toti provinciæ vel regno nihil amplius prodeſſe.

De hac male rationabili ſententia jam forte ſatis diximus: reſtare tamen videntur quædam objectantibus reſpondenda.

98. An *mortua* manus ideo, quia ex his nihil revertitur?

Igitur objectant: *Mortuas* dici res ſacerdotibus datas aut ab his emptas, quod eorum nihil deinde revertatur ad alios populares, ſed ſint inalienabiles.

℞. 1. His jam ſatisfecimus ſuprà de inalienabilitate loquentes. Num. 72.

℞. 2.

℞. 2. Demus verum eſſe, nihil ex fundis reverti ad alios: at fructus fundi largiter ſane ad alios fere omnes revertuntur, & largius atque conſtantius quam ex aliorum fundis. Atqui res publica, populus omnis, non tam ex fundo vivit, quem nemo manducat, quam ex fundi fructibus, quos Deus adhibito labore jubet produci ex fundo. Quamobrem vera reipublicæ utilitas omnino manet in prædiis ſacerdotalibus nec mortua eſt, ſicut nec in fundis ceterorum, agros per ſe vel per alios colentium. Quin ſi ſacerdotum œconomiâ & induſtriâ fundi magis excoluntur & ad magis fructificandum adornantur, fundi ſacerdotales magis vivent quam reliqui. Vivacior enim ager eſt, qui plus fructificat: plus fere fructificat, qui plus excolitur.

Sed largiter redit fructus.

99. ℞. 3. Sed revera multa ſacerdotum prædia redierunt ad alios. Nullum enim invenies ſacerdotale collegium antiquum, quod totam fundationem ac dotem ſuam amplius poſſideat: multa hinc abſtracta in aliorum devenere manus. Deinde quanta, ut jam ſupra diximus, nobilitati fruenda data ſunt jure clientelari, ita ut omnis inde utilitas non ad ſacerdotes ſed ad nobilitatem redundet; eaque ſe utilitate ſacerdotes ultro ſpoliarunt. Demum Coloni antiquorum ſacerdotiorum fere fuerunt mancipia & ſervi, nihil dominii nihil proprietatis habentes in fundis aliiſque rebus ullis, neque in fundi fructibus; ſed alimentis ſolis contenti mancipiorum jure ſerviebant: eamque ob cauſam usque fere ad medium ſeculum decimum ſextum, ſive poſt annum Chriſti milleſimum quingenteſimum

Redeunt etiam ipſa prædia ad alios, ſive injuriis temporum, ſive feudis, ſive emphytheuſi &c.

Coloni olim pauperes terræ ſimum vulgo non aliter appellati ſunt, quam *PAUPERES TERRÆ, die armen Leuthe.* Lege Trithemii Chronica & alias hiſtorias ejus ævi, lege chartas archiviorum innumeras in eandem ſententiam ſcriptas. His autem ipſis ſervis frequenter fundi in vitalitium dati, ac denique plerique in hereditatem tranſcripti ſunt, reſervato ſacerdotibus annuo exiguoque canone, reliquo fructu omni in colonos collato. *nunc dominis ditiores* Ex quo tempore plurium provinciarum coloni divitiis aucti ſunt, dominis pauperioribus factis. *Etiam ob cenſus imminutos mutata moneta.* Adhæc domini in iſtorum cenſuum & Canonis perceptione, ſi pecuniarius eſt, in hunc usque diem defraudantur. Pepigit enim ante 300. vel 400. annos Dominus aliquis ſibi annuos à colono nummos ſeu *denarios* triginta: hodie quidem accipit triginta non denarios ſed miſerabiles nummulos ſeu obolos *Pfenning*; quorum nummulorum triginta vix unum denarium illius ævi conficerent. Cum enim in libris cenſualibus antiquis vernaculo ſermone ſcripti ſint triginta Pfennig (denarii) hodie pro triginta denariis penduntur triginta miſeri oboli. Quippe denarius illius temporis argenteus fuit æqualis non tam magnitudinis quam valoris cum hodiernis groſſis Bavariæ vel Auſtriæ. Sed hæc hoc loco depingere accuratius intempeſtivum foret; nec ſolis ſacerdotibus ſed & nobilitati idem evenit.

100. *Sacerdotes an arment militem.* *Objicis.* Sacerdotum Opes & manus ideo *MORTUÆ* habentur, quia ex illorum fundis non armatur miles.

R. I.

℞. 1. Id mihi videri haud ſatis ex vero dictum. Nam militem armare non tantum eſt loricam ei circumdare, imponere galeam, manus implere bombarda: ſed qui principi pendit argentum, præbet annonas, pabula, quibus princeps arma comparet, militem nutriat, is ſatis armat militem, & melius armat ad vires reipublicæ quam ſi ſinguli colonos ſuos inſtruerent. Armare militem quid ſit?

℞. 2. Ad hanc reſolvendam objectionem opus eſt ſcire diſcrimen inter militiam noſtri ac præteriti ævi. Olim ingruente bello princeps excitavit reipublicæ ordines & prædiorum poſſeſſores. Horum coloni, & civitatum populus ità erant in libris deſcripti, ut præter annuum canonem pecuniarum aliorumque fructuum, ad juſſum domini ſe ſiſterent armatos & corpore etiam ſervirent: opimiores quidem ſiſtere ſe debebant armatos galea, lorica, enſe, & haſta: adhæc currum ſeu plauſtrum grave debebant de ſuo adducere junctum equis quatuor cum neceſſariis ferramentis. Tenuiores autem comparebant inſtructi ſolis haſtis & enſe, & cum curru leviore bijugo. Sic enim leges in libris cenſualibus tam nobilium quam monaſteriorum & ſacerdotiorum, v. g. *Hanns Partel Baur auf dem Püchel iſt dem Stüfft zugethan mit Mannſchafft Zeug und reiſigen Zeug zu Feld und Hof &c. Erſcheint mit Sturmhaube, Spieſs &c.* hoc eſt: Joannes Partel colonus in colle ſubjectus eſt monaſterio viritim ſeu corpore ſuo, armatura, & *vectura &c.* hoc enim eſt *der Reuſige Zeug*, ſeu armatura equeſtri, aut curulis ad itinera promovenda. Illo igitur tempore monaſteria viros armabant Olim militia ex colonis armata.

ipſa

ipſa, hoc eſt colonos ſuos ex fructibus agrorum ſacerdotalium armatos ad ſe evocabant, illosque dein tradebant ductoribus. Ubi manifeſtum eſt, fundos traditos monaſteriis illo tempore in prædicto ſenſu non fuiſſe mortuos, ſed *vixiſſe*, & armatos perperiſſe, certius quam Thebanus ager Cadmi ſocios.

Sed Steuræ nullæ à Colonis datæ

Adverte etiam, illis temporibus tributa ſeu *ſteuras*, à colonis nullas aut nonniſi raras & modicas fuiſſe penſas, quia corpore & ſanguine & armis ſuis militabant expoſitis periculo etiam familiis ſuis. Neque Provinciarum ordines, interque hos primi ſacerdotes & Abbates ad bella conferebant æs, niſi rogatu principis &c. Attamen Epiſcopi & Abbates Imperii cogebantur fundorum ſuorum cauſâ ipſimet exercitum ſequi vel curiam Auguſti comitari: non omnes quidem, ſed aliqui *regales* dicti. Atque ſic rurſus nihil pendebant neque Imperatori. quippe cui & ſeipſos & vaſallos ſuos colonosque adducebant. Hæc ita habuiſſe non ignorant rerum veterum periti. At locus hic anguſtior eſt, quam ut documentis prolatis demonſtrare poſſimus ſingula.

Nec æs à Dominis collatum ad bellum.

Hodie colonus multa pendit in militem, in detrimentum dominorum.

Hodie vero poſtquam perpetuum militem alunt Germaniæ provinciæ ac principes, & vagi tantum fere, otioſique homines adhibentur gregariæ militiæ, ac voluntarii, alia eſt rerum facies. Ea autem facies fundorum dominis neutiquam proficua eſt, & ipſis colonis civibusque non ſemper jucunda. Hoc autem detrimenti genus exponere huc non pertinet. Id tantum explicabo, quomodo fa-

cer-

cerdotes hodieque militem arment. Olim belli tempore armati ibant ſacerdotum coloni: bello plerumque poſt tertium quartumque menſem finito revertebantur domum ſuperſtites. Nunc pro corporibus ſuis coloni pendunt æs, ſeu Steuras, nec in quatuor tantum menſes ſuffecturum uni militi ſed in annum integrum. Idque pendunt non cum bellum ingruit, ſed toto pacis tempore ac ſemper, ſeu militis perpetui multum alatur ſeu parum. Sæpe præter æs etiam pendere coguntur annonas, & pabula & vecturas: ſæpe nihilominus una cum ære debent corpora objicere, aut filios addicere militiæ, quæ vocatur, provinciali; Ex quo prædia fiunt deteriora, cultu difficiliora, & fundorum dominis canones annui ſubtrahuntur aliquoties in multos annos ſine ſpe recuperandi. Præterea ipſi fundorum domini, maxime ſacerdotes, ſive bellum ingruat ſive quid aliud premat, æs non modicum conferunt; aliàs quidem non illibenter cum cauſa juſta agnoſcitur & ſpes boni probique uſus affulget, aliàs autem ægrius, quando contrarius eſt metus.

Non ego hic Steuras reprehendo, non conferendum à ſacerdotibus æs, non militem perpetuum, omnium autem minime rempublicam vel Principes. Valeant iſta omnia, utilia ſint, ſint neceſſaria: hoc vero manifeſtum hinc me feciſſe opinor, objectionem, in qua ſolvenda verſor jam, his eſſe penitus ſolutam. Sacerdotia quemadmodum præteritis temporibus virilem portionem ex agris ſuis reipublicæ accommodaverunt, ita eosdem eandem portio-

nem hodierno ævo multo auctiorem præſtare, atque adeo ſatis pro republica vitæ habere.

101. Sacerdotes etſi ipſi non militent,

Non opinor, mihi objicet aliquis, *Mortuæ* tamen manus ſunt ſacerdotes, quia ipſi non pugnant nec procedunt in bellum.

non tamen mortuas manus habent,

Reſponderem enim *Primo* : Ob id tamen non nocituros reipublicæ, ſi ſanam politicam ſequimur: quemadmodum Sacerdotes & Levitæ Hebræorum non procedebant ad bellum pugnandi cauſa, ſed portandæ tantum arcæ fœderis: nec ob id nocuere reipublicæ Hebræorum, nec manus habere mortuas.

℞. 2. Regula ſatis vulgata eſt: *Quod quis per alium facit per ſe ipſum facere cenſetur.*

℞. 3. Imo forte magis nocerent ſacerdotes ad bella prodeuntes, bella non edocti, neque ad hoc ſive à Deo ſive ab hominibus conducti.

Quando militent ſacerdotes?

℞. 4. Cum tamen religionis res eſt, aut cum extrema neceſſitate luctatur res publica, etiam arma ſacerdotes quanti poſſunt arripiunt, muniaque belli obeunt.

Nec nobilitas militat, niſi novis ſtipendiis

℞. 5. Ne civitatum quidem tribules, nec coloni nec nobiles ad bella procedunt ipſi fundorum ſuorum nomine, niſi ſtipendiis novis conducti. Igitur & hi mortui dicendi ſunt omnes, & omnes reipublicæ nocere: aut etiam ſacerdotes abſolvendi ab hoc crimine ſunt & inter vivos cum ceteris annumerandi.

Hic

102. De Clero in Gallia. ex Limnæo.

Hic autem non mihi vitio vertas, Lector chriſtiane, ſi, quid in Galliarum regno Chriſtianiſſimo hac in re conſtitutum ab antiquo ſit, exſcribam. Utor autem hic *Limnæi* libro, quem de Regno *Franciæ* ſcripſit ita copioſe, ut Galli mirati fuerint, fieri potuiſſe, ut homo Germanus tam clare perſpicere potuerit Galliæ res à Germanis haud parum abeuntes.

Sic igitur habet in *NOTITIA REGNI FRANCIÆ Lib.* III. Cap. V. Sciendum eſt, Eccleſiaſticorum bona in Gallia permagna eſſe, horum tamen reditus variare ſecundum annorum fertilitatem & tempora pacis bellive: variare etiam in utrorumque deſcriptione illos, qui ſummam numerant. *Alii ſemiſſem* proventuum regni: Haillan Liv. I. de l'Etat des affaires de France pag. 75.

Quanti ſint reditus Cleri in Gallia? variæ opiniones.

Alii ejusdem *quadrantem* bonorum: Bret de la ſouveraineté du Roi Liv. I. Ch. XIV. pag. 110.

Alii *duos fere trientes*: Bodini: de Republ. Lib. V. C. II. p. 830.

Alii *duas quintas*: Nic. Machiavelli part. II. oper. p. 122.

Alii plus quam *centum milliones aureorum*: Le Cabinet du Roi Liv. I. pag. 4. & 5.

Alii *longe plures*: apud eundem Liv. I. p. 12.

Alii, longe *regios proventus ſuperare* : & quidem centuplo plus quam regem accipere eccleſiaſticos. Taboetius inter Paradoxa Reg. Sect. I. p. 4. Quo fit, ut ſi hodie proventus regis æſtimatur, *centum quinquaginta millionibus*, proventus eccleſiaſticorum conſtent *quindecim millibus millionum*, atque id tantum ex prædialibus facultatibus & profanis reditibus. Idem auctor numerat Galliæ *vicies centum millia*, hoc eſt *duos milliones parochiarum*.

Alii aſſignant *ſex milliones aureorum*; La relation de l'Etat de la religion Chap. III. pag. 198.

Alii *quindecim*. De la Noüe aux Diſcours politiques & militaires Diſc. IV. p. 140.

Alii *octodecim milliones libellarum* Turonenſium. Ranchin Tom. II. de la deſcription de l'Europe lit. Royaume de France, Artic. Richeſſes de ce temps. p. 27.

Alii *viginti milliones libellarum* pronuntiant: Da la Noüe Diſcours XX. p. 509.

Annotavit nonnemo tempus, quo imminuti eccleſiaſticorum Galliæ reditus fuerint viginti octo millionibus & amplius. Memoires des affaires du Clergè de France miſes en lumiere par de *Taix* poſt præfationem.

Alius eos ad extremam usque miſeriam inciſos memorat. Relation de l'Etat de la Religion. Chap. III. p. 198.

Hacte-

Hactenus ex collectaneis induſtriâ Limnæi. Ubi obſervabis non tantum varietatem judiciorum per ſeſe maximam: ſed attentione in auctores facta deprehendere facile potes momenta ac pondera, quibus quisque actus ita judicaret. Vide enim Bodinum, Machiavellum, Auctorem incognitum *du Cabinet du Roi*, quam belle canant. opiniones ex invidia profectæ

Cujus auctoris quam ſana ſit ratio & politica, illud prodit, quod Clericos hoc etiam nomine traducit, quia ipſi è terris ſterilibus, paluſtribus & petræis eliciant utilitatem, unde alii nihil ſperarent educere. Quæſo, Politici & ſani politici eſt hoc damnare? aut hoc facientibus vel invidere vel eos traducere & aliis invidendos exponere? Rurſus idem auctor jactat, unum abbatem ex officina ferraria magnam ſummam redegiſſe: & ad ejus exemplum alios etiam Clericos velle iſtius modi officinas facere, quamvis jam nimias habeant. Quos & *ſanguiſugas* vocat, & plangit ab ipſis tantum butyri & caſei conſumi.

Verum nos meliore jure ſequemur Auctores modernos *Du Spectacle de la Nature*, viros non tantum callentes, ſed probos, ut ſatis apparet, & æquos. Illis videtur, proventus Cleri redigi poſſe ad *quintam partem redituum regni*: non proventus ſolorum fundorum, ſed omnium ſacerdotalium redituum. 103. Verior ſententia. Clerus *quintam partem* redditũum regni habet.

Ceterum Limnæus Lib. II. Cap. IX. litt. *m. m.* ex Breto adducit, Eccleſiaſticos, Nobiles, Commenſales ſeu 104. Eſt immunis à contri-

butione ordinaria ſeu domeſticos regis, reginæ, principum &c. immunes eſſe à contributionibus ordinariis talliarum, quæ ex eorum fundis non penduntur.

105. Nihilominus nec Nobilitas nec Eccleſiaſtici deſunt opi Regis ac regni. Nobilitas quidem regi nihil pendit ex fundis, quia Corpore ſuo defendit regnum ac militat. *Limnæus* Lib. IV. Cap. III. litt. *bb.* ex Loyſeau.

Pendit tamen reipublicæ

Eccleſiaſtici vero præter miniſterium ſacrum omne, quod univerſo populo præſtant in doctrina, aſſiduis orationibus diu noctuque Divinitatem deprecantur & placant. Præterea autem ad manus regis argenti aliquem modum deponunt jam ordinarium, jam extra ordinem.

Decimam moderatam,

Ordinaria præſtatio vocantur *decimæ*, conceſſæ regibus olim ad compeſcendos vi hæreticos, vi utentes contra regem & eccleſiam. Limnæus Lib. II. Cap. IX. ubi de tributis & vectigalibus Franciæ agit, adducit ſequentia ex L. *du Crot*, qui peculiari libello deſcripſit *les aides tailles & gabelles* pag. 7. & ſeq. *Reges Franciæ ſæpe levarunt decimas ab omnibus ſibi ſubjectis ſine diſcrimine, ad magnas neceſſitates publicas, tam ab eccleſiaſticis quam ab aliis. Sub Philippo Pulcro & aliis ejus ſucceſſoribus, decima hæc ſæpius iterata fuit, ſed moderatius, ſecundum occurrentias & neceſſitates noſtrorum regum; donec ad extremum eccleſiaſtici ſe eximere ab illis per quendam favorem & moderationem volentes, & agnoſcentes ſe illis ſemper obnoxios fuiſſe, nec poſſe contradicere, quin vi-*

Hiſtoria hujus decimæ

de-

derentur contra Deum ita jubentem & ordinantem murmurare, tractarunt cum rege Franciſco I. ſeque obſtrinxerunt ad ſolvendam ipſi ejusque ſucceſſoribus regibus certam quotannis ſummam nominatam LA TAXE PASCALINE, quæ erat decima ordinaria leviter æſtimata, quam ipſi impoſuerunt in ſingulos beneficiarios pro portione redituum beneficii. Id quod apparet ex litteris patentibus & transactionibus factis anno milleſimo quingenteſimo decimo ſexto ſub minorennitate ejusdem regis Franciſci I. & novo ejus ad coronam adventu. Cum autem deinceps viderent, hanc ordinariam decimam duplicari ac quadruplicari ſecundum occurrentes belli & alias neceſſitates, invenerunt modum convertendi has decimas & amortiſationem aliaque jura regi debita in aliquod genus recognitionis ac conſtitutionis SEDECIES CENTENORUM MILLIUM LIBELLARUM annuarum, ſuper quo legitimus contractus initus eſt in Poiſſy anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo, ſub minorennitate regis Caroli IX. ſicut fecerant & practicaverant idem in ingreſſu regni Franciſci I. quem contractum deinceps variis temporibus renovarunt, & adhuc hodie continuant. Atque hoc eſt quod vulgo dicunt RENTES DU CLERGE, REDITUS EX CLERO.

Sedecies centena libellarum Francicarum millia valent circiter *ſexcenta quadraginta millia* florenorum hodiernorum. Quam ſummam ſi compares cum ſumma proventuum annuorum Cleri, quomodocunque illam ac- decima 640000 floren.

accipias, non eſt magna quidem ſed tamen ſufficiens, opinor, ut manus ſeu fundi eccleſiaſticorum non poſſint dici *mortui*. Nam ſi ponas, hanc ſummam eſſe vere decimam partem omnium proventuum Cleri, proventus hi aſcendent ad ſex milliones & quadringenta millia florenorum. Quodſi ſupponis, Cleri *omnes* proventus conficere alterum tantum ſeu tredecim milliones florenorum ſumma illa penſionis annuæ erit *vigeſima* pars redituum, non pars decima, id eſt *quinque pro cento*, ut vulgo loquimur.

Accuratius, ſed etiam prolixius hanc decimarum hiſtoriam exponit *Loyſeau* tractatu des droits d'Offices Liv. II. Chap. IX. apud Limnæum Lib. II. cap. VII. litt. *c c c c c* Semper has decimas à pontifice maximo conceſſas fuiſſe, aut ultro à prælatis regis rogatu penſas. Sub Carolo IX. primum fuiſſe factas annuas ob continua tunc bella contra Hugonotas. Anno 1580. Clerum conſenſiſſe in ſex annos, ſingulis annis 1300000 libellas. Anno 1586. continuarunt in annos decem eandem ſummam, ſemper cum proteſtatione indebiti.

Has autem decimas & extraordinaria etiam ſubſidia exigere in neceſſitate Regibus Galliæ indultum à Pontificibus eſt propter ſingularia beneficia Gallorum in Pontifices, qui ſemper apud hos Aſylum repererunt contra ſuos perſecutores. Vide Limnæus Lib. II. Cap. VII. Litt. *d d d d d.*

Ex-

Extra ordinem autem non pauciora ſed etiam majora contribuêre Regi Eccleſiaſtici Galliæ. *Limnæus* Lib. II. Cap. X. quando agit de expenſis regis Franciæ, ex Scriptore Gallo de *Taix*, qui edidit monimenta rerum Cleri Galicani pag. 69. hæc affert. „ *Ab Anno* 1560. „ *uſque ad annum* 1575. ſub regno Henrici II. inventum „ eſt, expenſas regias confeciſſe *centum & octoginta* „ *quinque milliones*: de quibus Rex adhuc anno 1576. te- „ nebatur obſtrictus debito *centum & unius millionum*, „ qui adhuc ſolvendi reſtarent. Eccleſia, durante hoc „ tempore quindecim annorum, pro ſua parte contule- „ rat & exſolverat ſexaginta milliones: munerum vendi- „ tio reddiderat viginti milliones. Et nihilominus præ- „ dictum debitum adhuc reſtabat. 106 Extra ordinem plus pendit Clerus ultro,

Ubi obſervare potes: Expenſas regias fuiſſe 185. millionum, quos milliones totum regnum in Regem contulit. Quotam ergo partem contulit Clerus in ſexaginta ſuis millionibus? nimirum TERTIAM.

Ponamus igitur verum eſſe quod aliqui finxerunt, Clerum tenere tertiam partem proventuum regni. Quis potuit juſte conqueri de noxa Clericorum, ſi partem vectigalium ſuæ portioni congruentem accurate ſolverunt?

Obſerva deinde, Clerum immunem eſſe à talliis & tributis, & nihilominus pendere totum: ut injuriam ei facias, ſi dicas; Clerum mala in rem publicam voluntate eſſe: imo ſunt voluntate meliore quam ceteri, quia ſolvunt etiam id, à quo exempti ſunt non uno ſed multis titulis etiam oneroſis.

Pendit autem duplo plus quam non immunes.

Præterea cùm ſit falſum, tertiam partem reddituum cadere in Clerum, ſed quintam (computatis etiam eleemoſynis & mercedibus) proportio penſi adhuc ſit major. Quodſi enim totum penſum 185. millionum dividas in partes quinque, unicuique parti conveniunt milliones *triginta ſeptem.* Hos igitur triginta ſeptem milliones pendere debuiſſent Clerici ſi non fuiſſent exempti. At nihilominus, & cum eſſent exempti, penderunt tamen milliones *ſexaginta*, hoc eſt alterum fere tantum quam quod pendebant non exempti. Dico fere alterum tantum: nam ſeptem milliones qui ultra dimidietatem ſeu ultra 30. ſuperſunt, detraho propter eleemoſynas & mercedes ſacrorum, quos tributo ſubjicere inhoneſtum foret. Poſt hæc omnia aliaque, quæ dici etiam plura poſſent, Te Lector benevole pro conſcientia tua oro, edicas coram honeſto orbe toto: fuitne Cleri Gallicani manus mortua? nocuere reipublicæ Cleri opes?

107. In Germania Clerus non minus pendit.

Cumque hæc ego de Galliæ regno enumeravi, ubi Clerus penſorum ſuorum rationes in commune conſcriptas habet ut ignorari non poſſint; certus tamen ſum, de Clero Germaniæ me dicere poſſe non minora, tametſi in eorum expenſas in publicum factas non ita promptum ſit venire, eo quod ſinguli rationes apud ſe privatas nec in commune ſubducant, ut ſciri talia ad unguem non poſſint, niſi ſingulorum Commentariis inſpectis, quod nemini facile contingit.

De

De privatis ſacris Collegiis ſcio, intra annos non multos incredibilem auri vim in principes collatam fuiſſe, quanta intra eosdem annos nunquam conferent alii ſeu nobiles ſeu ignobiles, qui vigeſies tantum reddituum habent. Idque collatum eſt tantum in extraordinariis.

Imperii noſtri matricula ante omnium oculos verſatur. Epiſcopi aliique Principes & Prælati eccleſiaſtici non vacant ſua parte vectigalis ſeu opis in commune conferendæ. Non igitur *mortua* ſunt eorum territoria, aliorum vero vivunt. Sunt fideliter ſcripta illorum nomina in libro viventium, hoc eſt *contribuentium.* 108. Imperii matricula eſt liber vivorum, in quo ſuus locus eccleſiaſticis

Et hi plerumque hilares datores ſunt & vivaces, adeoque *bis* dant; cum alii ordines ſæpe velint & non velint, & poſt longam tergiverſationem denique patiantur nomina ſua ſcribi in libro mortuorum debitorum, ex quo nulla fit redemptio.

Neque hoc ſolum pendunt Principes eccleſiaſtici, quod in eorum partem contingit. Quoties enim contigit, ut Imperatores ſolutis omnibus, quæ ex imperii decreto debebantur, adhuc mitterent legatos, qui ſacerdotum præcipue loculos tentarent & elicerent ultra? nec receſſere vacuis manibus, quas impleverant manus hæ *mortuæ.* 109. Qui etiam extra ordinem ſollicitantur

Deinde Epiſcopi aliique Prælati quot pro imperio obierunt legationes aliaque id genus munia, ubi Imperii Imperatorumque ac Regum fulgorem & majeſtatem ſuarum maxime eccleſiarum ære ſumptuque ſuſtinuerunt? Ne di- 110. Officiaque pro re publica obeunt &c.

cam de conſiliis & prudentia. Fecerunt id etiam alii viri principes & nobiles: ſed rari ſuis ſtipendiis: Et ſi vel idem feciſſent, ingrata tamen res publica, quod abſit, foret, ſi aliorum quidem obſequia reciperet tanquam vivorum, Prælatorum autem beneficia contemneret tanquam canum *mortuorum.*

III. Eccleſiaſtici pro portione plus penderunt quam ſeculares ao. 1431.

Sumamus exempli loco Matriculam Imperii, ſecundum quam anno milleſimo quadringenteſimo triceſimo primo ſub Imperatore Sigismundo Imperii ordines ad bellum contra Huſſitas Imperii vaſtatores gerendum contulere ſubſidia, quam matriculam exhibet *CORTREJUS* Juris publici Tomo I. Parte V. de Matriculis Imperii. pagina ſeptima ſeqq.

In hac matricula ſtudioſe collegi numeros ſeorſim eccleſiaſticorum Principum & Abbatum, ſeorſim etiam ſecularium Principum atque Comitum, omiſſis interim civitatibus Imperii.

Eccleſiaſtici contribuerunt huic bello - -	2300
Seculares - - -	5000

Ubi vides dimidiam partem contributionis, quam ſeculares penderunt, penſam fuiſſe ab eccleſiaſticis. Ex quo, ſi æquo utrinque jure viveretur, ſequeretur, eccleſiaſticos etiam dimidium ejus agri obtinere, quem obtinent ſeculares, quod longe contra eſſe hiſce oculis videmus.

Igitur eccleſiaſticorum ager eorumque manus adeo non ſunt Imperio *mortuæ*, ut *duplo vivaciores* ſint, cum ad largiendum venitur, quam ſint manus ſecularium.

Rur-

Rurſus anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo, cum Imperator Fridericus III. imploraret Imperium ad tutandas adverſus Turcam provincias Auſtriacas ſimul & Imperii fines, matricula ejus collectæ, ab eodem Cortrejo exhibita pag. 10. oſtendit, Eccleſiaſticos contribuiſſe

Equites	965
Pedites	2503

Seculares vero contribuerunt, non computatis civitatibus Imperii

Equites	2778
Pedites	6107

Unde apparet, Eccleſiaſticos tertiam partem ejus ſummæ dediſſe, quam dederant ſeculares.

Verum attende, qui fuerint illi ſeculares, & qui illi eccleſiaſtici? Eccleſiaſtici quidem fuere Archiepiſcopi & Epiſcopi modica tenentes terrarum ſpatia, in quibus Chiemenſis, Lavantinus, Gurcenſis.

Contrà inter ſeculares fuere primum ipſe Imperator potentiſſimus Hungariæ Bohemiæque Rex. Fuit inter hos Tota Domus Auſtriaca latifundia in Imperio ab oriente ad occidentem protendens. Fuit Dux Burgundiæ. Fuit Dux Sabaudiæ. Fuit Dux Lotharingiæ.

Pro ſolo Imperatore, Sabaudo, Lotharingo, Geldrenſi & Burgundo aſſignati fuerant *equites* 1300. *pedites* 2550.

Quodſi hos potentes detrahas ex ſumma ſupradicta ſecularium, videbis quantillum contribuerint ceteri Imperii Electores, Duces, Principes atque Comites. In hunc modum.

Omnium ſecularium equitatus	2778
Equitatus Potentiorum detrahendus	1300
Manet equitatus Electorum, Ducum &c.	1478

Cum hoc Electorum ac ceterorum ſecularium confer equitatum eccleſiaſticorum, videbis,

Eccleſiaſticos dediſſe equites	965
Seculares vero dederunt equites	1478

attenta autem proportione terrarum utrinque & fundorum, agnoſces utique, quam belle onera è ſecularibus humeris tranſpoſita fuerint in eccleſiaſticos. Quodſi Seculares, qui reſpective parum dederunt, non habuerunt manus mortuas ſed vivas; cur emortuæ dicantur manus eccleſiaſticorum, qui reſpective dederunt triplum vel quadruplum?

Idem plane deprehendes in *peditatu.* Detracto enim peditatu potentiorum 2550, qui forte etiam datus nunquam fuit, à ſumma tota 6107. Remanet pro Electoribus, Ducibus, Principibus & comitibus peditatus. 3557.

Itaque *Seculares* dederunt peditatum	3557
Eccleſiaſtici dederunt peditatum	2503

quæ rurſum proportio contributionis nimium quantum excedit proportionem reddituum, & demonſtrat, multa ſane

ne vivacitate opus eſſe manibus eccleſiaſticorum, ut plus agere poſſint ipſæ tenues, quam manus aliorum craſſæ & pingues.

112. Dederunt tantum quantum reliqui ſimul

Iterum vivæ ſane fuerunt manus Eccleſiaſticorum ordinum cum anno 1486. aliud ſubſidium pecuniâ æſtimatum conceſſum eſt. Cortrei. pag. 23.

Tres Electores Eccleſiaſtici dederunt	46800 florenorum
Epiſcopi dederunt	66700
Abbates dederunt	19400
Eccleſiaſtici ſimul dedere	132900
Seculares tres Electores dederunt	46800
Omnes Archiduces, Duces, Comites &c.	85200
Summa	132000

Ubi vides, ſolos Eccleſiaſticos plus dediſſe quam omnes illas regias & opulentiſſimas domus.

Percurre omnes Matriculas & Contributiones Ordinum Imperii à prima usque ad noviſſimam, idem deprehendes in omnibus: nimirum, ſi modo hic liber matriculæ eſt liber viventium, in hoc libro fideliter deſcripta eſſe nomina Eccleſiaſticorum. Et ſi gratiam debet Imperium ſecularibus Principibus ob ſubſidia in publicum collata, non video, cur æquum ſit, odium mereri Eccleſiaſticos non minus bene facientes?

113. Pro Camera Imperiali

Nec diſſimili ratione in alia matricula pro *Camera Imperiali Spirenſi* ſeu Wezlarienſi fideliter pro virili ſua con-

quid dent Eccleſiaſtici? contribuunt Eccleſiaſtici. Ex illa enim matricula, quam Cortrejus exhibet pag. 193, apparet, pro ſimplici quota Status *Seculares* omnes, Electores, Duces, Principes, Comites cum ipſis Imperii civitatibus conferre circiter florenos 23000

Eccleſiaſticos autem Electores, Epiſcopos, Abbates conferre circiter florenos 12000

Idque pendunt ex fundo multis vicibus anguſtiore, forte etiam deteriore. Siqua igitur manus ***mortua eſt***, Eccleſiaſticam dixerim præ ceteris vivere.

At nos hic maluimus tantum veterioribus matriculis uti, quamvis potuiſſemus ex recentioribus collectis reipſa præſtitis Imperatori vel Imperio vel utrique ſimul pulcra ſane *vitæ indicia* proferre. Sed recentia magis ſunt invidioſa.

114. An quod œconomi ſint ſacerdotes, ſint tondendi? Quodſi denique exhauſta objectionum pharetra tibi placet dicere: Sacerdotes boni ſunt œconomi, ſciunt è fundis ſuis multum fructum elicere, ſciunt parcendo rem familiarem augere; lanam multam geſtant hæ oves; igitur tondendæ ſunt:

Non pro lubidine, *Reſpondeo* his *primo*. Si pro lubitu tantum eris tonſor, lanamque pro libidine in vana & noxia velamenta convertas, non tantum ſacerdotes hoc plangent, ſed honeſti omnes, & ſani politici omnes. DEUM interim omittamus.

115. Sed pro neceſſitate, ℞. 2*do*. Si reipublicæ ſeu nuditati protegendæ, ſeu vitæ ſervandæ, ſeu religioni tuendæ vere neceſſaria eſt hæc lana

lana libenter ea carebunt oves, ſi ſic tondeas, ut ſuccreſcere poſſit. Sin aliter, & oves peribunt & res publica nudior manebit. Quod enim accidit, ſi reliquus populus nimium oneratur tributis, Id accidere etiam debebit, ſi (abſtrahendo ab omni jure, & prædia omnia æqualia faciendo) nimium oneretur illa reipublicæ pars, quam objectio hæc dixit meliori œconomia pollere. De Regno Galliæ quid acciderit ſuo tempore, Loyſatus libro des Ordres Chap. VIII. deſcribit paucis, apud Limnæum Lib. II. Cap. IX. „ Francia noſtra, inquit, „ hodierno tempore referta eſt mendicis validis propter talearum exceſſum, qui cogit operarios, ut omnia potius derelinquant & fiant vagabundi ac mendici, ſicque vivant in otio & ſine cura, impenſis ab aliis ſubminiſtrandis, quàm ut continuis laboribus fatigentur nec tamen quidquam ſibi parare poſſint, ſolâ taleâ omnia devorante. Cui rei niſi tempeſtive remedium applicetur, duo naſcentur mala ex permagna & quotidiana multiplicatione hujus hominum fæcis: nempe agricultura ceſſabit, non extantibus qui eam velint exercere, nec itinera erunt tuta peregrinantibus, nec domus ſecuræ villaticis. Hæc ille. Quodſi dein eadem immoderatione (abſtrahendo ſemper ab immunitate) obruantur etiam eccleſiaſtica prædia, quæ hactenus pauperibus alendis, præter duplum in rempublicam auxilium, præ ceteris liberalius ſe impenderant, neceſſe erit calamitatem fieri univerſaliorem: & tunc demum apparebit manus alias vivas clericorum eſſe mortificatas, ut ita dicam.

Nimiorum tributorum calamitas

augetur ex oppreſſione Cleri

116. Eccleſia an malis artibus ditata?

Objicit autem etiam Lymnæus aliquid non modo de Clero Gallicano, ſed de omni in univerſum, cum Lib. III. Cap. V. ſcribit: *Non nego, eccleſiam multa optimo titulo præſertim eo tempore, quo adhuc in religione & actione caſta & pura erat, ſibi acquiſiviſſe: at his longe plura eſſe novi, quæ malis artibus præſertim Roma ſibi paravit.* Et adoritur deinde *donationem Conſtantini.* Qua non opus habent Romani pontifices, ſatis tuti donationibus Pippini, Carolique magni, repetitis ab Ottone Imperatore ac Rudolpho Habsburgico Rege.

Accuſatio probanda eſt.

℞. 1, Limnæus & qui eadem dicunt poſſunt injuriarum poſtulari à ſacerdotibus. Aſſerenti incumbit probatio. Probentur *malæ artes.*

℞. 2. Quodſi vel *dubium tantum* eſt, malas adhibitas artes fuiſſe, nec ulli tituli oſtendi poſſent ab eccleſia, decidendum eſſet pro eccleſia, eaque ex poſſeſſione ſine injuſtitia dejici non poſſet, niſi probationes luce meridiana clariores afferrentur. Hoc volunt omnia notiſſima jura. Nam ſi ſuſpicari ac injuria verba jactare ſufficit ad poſſeſſione quemquam depellendum, in toto terrarum orbe nemo unus diem ſecurum habebit poſſeſſionis ſuæ, & pulcris ſcilicet principiis innituntur heterodoxorum ac politicorum doctrinæ.

℞. 3. Etiam cum his probationibus neſcio an non præſcripſiſſet eccleſia civile dominium & civilem immunitatem quintuplicata longiſſimi temporis præſcriptione: quæ *certe* in *civilibus* locum habet, etſi *inter gentes* ſive

ve jure gentium nunquam futura ſit certi juris. Eadem namque de univerſis fere hominibus dici poſſent, nimirum maximam illorum partem aliorum injuriis ſibi peperiſſe aliquid.

℞. 4. Et quis hic erit de malis artibus judex, contra quem non exceptio?

℞. 5. Limnæus ipſe allegat pulcram Erancifci I. Galliarum regis reſponſionem, ex Florimundo Ræmundo de origine hæreſum Lib. IV. Cap. XI. quam ſic ipſe interpretatur: *Cum aliquando magni duo viri ſui temporis, Caſtellanus & Budæus præſente rege Franciſco magno ſermones miſcuiſſent de origine & mediis, quibus eccleſia divitias ſuas obtinuiſſet, Rex in hæc tandem prorupit verba: Ecce egregios titulos, quibus Petrus bona ſua tenet! ſi omnia documenta, quæ in theſauro meo recondita, titulique omnes maximorum Principum orbis evolvantur, vix dabitur reperire tam antiquos & authenticos. Habent enim pro fundamento DONATIONES perantiquas & liberalitates Imperatorum, regum, principum ac populorum; Iſti vero acquiſitiones bello factas, aut potius USURPATIONES & violentas occupationes majorum noſtrorum.* Hæc rex & magnanimus & doctor & juſtus. Regis Galliæ ſententia de jure Eccleſiæ, meliore quam Principum.

℞. 6. Limnæus auctores & teſtes calumniæ ſuæ allegat maximæ, ſcilicet, fidei auctores *BODINUM* eccleſiæ manifeſtum hoſtem: Henricum *STEPHANUM* Calviniſtam infenſiſſimum: *SLEIDANUM* etiam, quem Carolus V. Imp. mendacem declaravit: denique *SIL-* Accuſatores Cleri non idonei.

HONEM politicum de *aliquot* ſacerdotum avaritia ac Simonia loquentem. Qui adeo non perhibet teſtimonium calumniæ Limnæi, quæ aſſerit *Longe plura* malis artibus quam bonis acquiſita ſacerdotio fuiſſe. Sceleratos quosdam, & aliquando multos ſacerdotes fuiſſe, qui pecuniæ inhiarint, etiam rebus ſacris dlvenditis, ſi permitteremus Lymnæo; Verum prædia eccleſiæ *longe plura* ſacrilege parta fuiſſe, ut probet Limnæus vel alius, exigunt ſacerdotes; idque tabulis aut teſtibus idoneis.

Solatium pro hoſtibus Cleri

℞. 7. Solari ſe doloremque ſuum Lymnæi aliquis diſcipulus per hoc interim poteſt: quod non tantum illis pravis ſacerdotibus ſed etiam toti bono proboque ſacerdotio amiſſa jam ſint plurima, non tantum pecuniæ per aliquorum avaritiam male corraſæ, ſed etiam prædia ſanctiſſimorum virorum meritis maximis olim donata. Sicut ergo ſolatium aliquod eſt bonis, ſi viderent fœneratorem, prædonem, oppreſſorem pupillorum facultates male partas iterum amittere; ſic Limnæus frui potuiſſet hoc ſolatio, quod multa etiam prædia amiſſa fuerint prædonibus & ſacrilegis ſacerdotibus, quos dicit.

117. De Eccleſiæ antiquæ probitate cavillus Lymnæi.

℞. 8. Quod in univerſum ait, Eccleſiam olim probam fuiſſe & tunc optimo titulo acquiſiviſſe multa; videtur hoc velle, Eccleſiam poſtea degeneraſſe, quæ vetus eſt hæreticorum cantilena. Sed hic Limnæus non animadvertit, ſi degenerationem etiam concedimus, ipſius etiam jugulum peti. Nunquid enim ſoli degeneraverint ſacerdotes, reliqui autem in vita apoſtolica cum Limnæo per-

permanſerint? Magnum miraculum hoc foret: vulgo enim *ſicut populus ſic & ſacerdos.* Quid ergo objicit Catilina Cethego? Deinde Lutheri tempore ſimilis facta eſt eccleſia eccleſiæ antiquæ, ſed diverſo ſane à Limnæo ſenſu. Nam ſicut in veteri eccleſia primo, altero ac tertio ſeculo ex eccleſia exierunt magno numero hæreſes; ita ad claſſicum Lutheri ab eccleſia deſciverunt magno numero hæreſes variæ antiquis ſimiles ut ovum ovo. Verum contrà o Limnæe accipe & aliam comparationem eccleſiæ modernæ cum antiqua. Sicut eccleſia antiqua bona fuit & bona agnoſcitur ex hoc, quod diverſa à ſe ſentientes à ſe & Chriſto extraneos ſemper agnoverit, & ſe in identitate ſollicite conſervaverit, ita eadem eccleſia, quæ eosdem hodie errores damnat, agnoſcitur eſſe bona ac proba. Et ſi vetus eccleſia bene acquiſivit ſua ex hoc capite, ut aſſerere videtur Limnæus; quia bona fuit; eccleſia moderna non minus bona æque bene acquiret, ſi per Limnæi gratiam licet. Verum eccleſiaſtici non petunt novas acquiſitiones: veteres ſalvas volunt. Veteres acquiſitiones (ſic fatetur Limnæus) bonæ ſunt. Hæ ergo ſi jus aliquid valet, ſervandæ.

EXAMEN DECIMUM QUINTUM.

AN PAUPERIES COMMUNIS CESSATURA ESSET, SI SACERDOTIBUS DETRACTA IN RELIQUOS DISTRIBUERENTUR?

118. Pauperies invaleſcens

SÆpe multæque exaudiuntur querelæ de univerſali hodie pauperie & inſufficientia rerum.

Fundantur illæ querelæ in magna multitudine mendicabulorum: in magno paſſim ære alieno, quo oneratæ ſunt non minus totæ provinciæ & regna, quam cives ſingulares: præterea in aliis rebus.

dignus eſſet politico ingenio campus.

Pulcherrimus fateor hic eſſet campus, & dignus politicorum aliquorum ſtudio magis, quam indagatio viarum omnium, quibus accidantur cives, & pauperum numerus exaugeatur. Et debilior ſum ego vir abſconditus, quam ut ſententiam de his feram. Neque hoc loco ſpatium ſufficit libri, aliàs jam magis voluminoſi quam eſſet propoſitum.

119. Sed horum præpoſtera conſilia pauperiem augent:

Quoniam vero nemini, qui homo ſit, debet eſſe prohibitum modeſte aliquid proferre quod ad ſalutem hominis quoad utramque partem pertineat, licebit & mihi hoc ſolum jam dicere, mihi videri, plerasque vias, quas ineunt aliqui, à ſcopo longe abducere & potius in paupertatem deflectere.

ut commercia,

Aliqui pro remedio ſuadent *mercimonia:* at mihi perſuaſum eſt, hanc potiſſimam eſſe cauſam paupertatis, quæ

quæ Europam cum reliquis orbis partibus comprehendit ab aliquo tempore, magisque comprehendet quo magis mercimonia iſta excreſcunt. Paradoxum hoc ſit primum.

120. nova tributa,

Alii pro remedio pauperiei univerſalis excogitant novos ſemper modos eliciendi pecunias. Hoc ſi dixero ad pauperiem tendere, non videbor paradoxum adeo quid loqui. Bellum hujus exemplum de Gallia habet *Limnæus* Regni Franciæ Lib. II. cap. VII. Lit. *y y y y*.

121. Cleri emunctiones.

Alii denique exiſtimant, cauſam paupertatis publicæ eſſe, quod Eccleſiaſtici tot prædia poſſideant: Ergo hac ſublata causâ & prædiis eccleſiarum aut ademptis & inter reliquos homines diſtributis, vel alias attritis ac per contributiones exhauſtis, ceſſaturam eſſe paupertatem & publice reditura aurea ſecula. Quod videt ſibi polliceri Sophiſta *ſpiritus legum* auctor.

Auctores *Spectaculi Naturæ* hanc iſtorum opinionem exponunt, ac reſpondent: *Se certos eſſe, ex hoc conſilio non tantum non redituras publice divitias & ſufficientiam, ſed PAUPERIEM PUBLICE FORE MAJOREM:* Quod tamen ad alia properent iſti auctores nempe ad conſilia, quomodo pauperes ab otio abſtrahendi & alendi ſint: reſponſionem ſuam non exponunt uberius.

Enimvero poſſum mihi forte blandiri, ex toto hoc Commentario meo, tametſi de hac quæſtione nihil ſeorſim dicerem, apparere tamen aliquantum poſſe, ſacerdotum facultates non nocere reipublicæ, nec eſſe cauſam pau-

paupertatis publicæ, atque adeo non ceſſaturam paupertatem, ſi vel *nulla* plane ſint ſacerdotum prædia.

122. Ante Sacerdotium chriſtianum magna fuit pauperies.

Verum ego hoc loco id aliquot argumentis manifeſtius reddere ſeorſim debeo, quia id intereſſe reipublicæ exiſtimo.

Primum Argumentum hoc eſt. Antequam ſacerdotium Catholicum prædia ſibi ſervaret, & illo tempore, quo Apoſtoli dicuntur pauperes ſine ſacculo & pera miſſi fuiſſe omnium egeni, mundus de paupertate querebatur, & revera pauperum erat magna copia, & magna miſeria: idque in illis regionibus, quæ inſtitutæ fuerunt ad normam hodiernorum politicorum, nempe in commerciis, in diſciplinis, in commodis hujus vitæ. Tales autem regiones fuerunt Græcia, Italia, Aſia, Ægyptus. Quas regiones pauperibus & proletariis abundaſſe ex hiſtoriis diſcere potes. Non igitur in univerſum paupertatis cauſa ſunt divitiæ ac prædia Clericorum: neque adeo ſublatis his divitiis ceſſabit cauſa paupertatis: neque ceſſabit ipſa paupertas.

123. Apoſtolorum ævo omnes Chriſtiani pauperes.

Dico 2. Illo Apoſtolorum initio omnes Chriſtiani erant modo quodam pauperes cum ipſis ſacerdotibus ſuis ſive Apoſtolis & Presbyteris. Nec paupertas Apoſtolorum fecit Chriſtianos *divites*. Ita ne nunc quidem paupertate ſacerdotum *ditabuntur* Chriſtiani.

Apoſtoli divites facti fecerunt, ne egerent.

Dico tertio: Apoſtoli non fecerunt Chriſtianos *divites*, fecerunt tamen *ne egerent*, hoc eſt *ne eſſent pauperes*; eumque in modum non cauſa paupertatis fuit hic ſacer-

ſacerdotium, ſed cauſa ſufficientiæ, & paupertatem ſuſtulit. Nam in actibus Apoſtolorum poſt primam B. Petri concionem tria ſtatim millia converſi *omnes erant pariter & habebant omnia communia: Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus prout cuique opus erat.* Cap. II. v. 44. Non Apoſtoli vendebant poſſeſſiones ſuas, qui jam reliquerant omnia: ſed ceteri Chriſtiani. Quodſi igitur hodierni Chriſtiani volunt ſacerdotes redigere ad paupertatem Apoſtolorum, debent etiam ſeipſos reſolvere ad imitationem illorum Chriſtianorum, & ſubſtantias vendere, ut pauperes poſſint ali, idque per Apoſtolorum manus, ſeu ſacerdotum. Nam ſi Apoſtoli nihil habent, ipſisque nihil datur à divitibus, nihil illi poſſunt in pauperes diſpenſare, *& pauperes manebunt pauperes.* Audi autem ex ipſo ſacro Codice cauſam cur per Apoſtolos paupertas ſublata ſit. Actor. Cap. IV. v. 34. ſic habetur: *Neque quisquam egens erat inter illos.* Cur vero aut quomodo? Reſpondet: *Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat.*

124. Cur veteres Chriſtiani non ipſi diſtribuerunt ſua

Cur vero non ipſi poſſeſſores ſtatim dividebant? cur Apoſtolis afferebant, ais? hoc eſt contra politicam. Hoc modo Apoſtoli fiunt divites. Apoſtoli pauperes eſſe debent juxta regulam politicæ, ſi Apoſtoli divites ſunt, multi erunt pauperes in republica: Apo-

ſtolorum divitiæ ſunt cauſa paupertatis publicæ: auferendæ ſunt apoſtolis divitiæ.

Sed per Apoſtolorum manus?

Non: reſpondent veteres iique boni Chriſtiani. Divitiæ afferendæ ſunt ad Apoſtolorum pedes. Divitiæ Apoſtolorum facient paupertatem evaneſcere. Si volumus ut nulli ſint inter nos egentes debemus ſubſtantias noſtras afferre ad Apoſtolos, ut & ipſi inde vivant & alios inde vivere faciant.

Quia fides Apoſtolis major.

Cur autem ipſi non diſtribuerent Chriſtiani, variæ potuerunt eſſe cauſæ. Unam ſtatim prodit ſequens caput V. Actorum, ſic incipiens: *Vir autem quidam nomine Ananias cum Saphira uxore ſua vendidit agrum & fraudavit de pretio agri conſcia uxore ſua: & afferens partem quandam ad pedes Apoſtolorum poſuit. Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate? Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus homini ſed DEO. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit.* Cauſa igitur una, cur ad Apoſtolos afferrentur, hæc fuit, quod ceteris non poterat tanta haberi fides. Si enim illi ipſi qui ſua devoverant DEO, ut Ananias, tam facile cedebant tentationi, & partem ſibi appropriabant; quomodo non facilius huic tentationi cederent alii, qui forte ad hæc dividenda conſtituerentur? In Apoſtolis autem omnes habebant magnam fiduciam; quia ipſi erant incitatores & origo hujus operis: ex

ex Apoſtolorum prædicatione & hortatu factum eſt, ut opes afferrentur diſtribuendæ egentibus: quomodo igitur non libenter optaret omnis multitudo, ut opes ſemper ad Apoſtolos deferrentur, tanquam depoſitarios pauperis turbæ?

125. Sicut hodie major ſacerdotibus quam aliquibus politicis.

De hodiernis rebus ſi loqui neceſſe eſt, loquamur. Si ſacerdotes omnes pauperes facies & nihil ad eos ſuperfluum afferes, ceſſabunt ipſi eſſe, nulli amplius erunt ſacerdotes; quia ex aura veſci nemo poteſt. Cum ſacerdotes eſſe deſierint, deſinet cum ipſis etiam prædicatio & adhortatio. Hac ceſſante ceſſabunt Chriſtiani eſſe liberales in eleemoſynis: ceſſantibus eleemoſynis invaleſcet pauperies & miſeria.

Quodſi vero eleemoſynas non debent ſperare pauperes è manu ſacerdotum ſed tantum profanorum hujus farinæ qui ſunt ſimiles Ananiæ, actum erit de pauperibus. Quid enim fidei ſperent ex his, quorum corda neſcio quis Deus tentat, ut non tantum de ſuo retineant, ſed ſacerdotibus ea etiam eripienda ſuadeant, quæ dederunt alii, quæ alii Deo devoverunt in manus ſacerdotum, graviſſimis diris execrantes interverſorem? Et quid ſpei ſit pauperibus in iſtis, ſiqui uſpiam ſunt, qui nec æternis fundatorum maledictionibus abſterrentur à cupiditate contrectandi opes ſacerdotibus conceſſas ad pauperi turbæ melius ſubveniendum?

126. Alia cauſa, contentio, invidia.

Alia cauſa cur ad Apoſtolos afferrentur pauperum eleemoſynæ, proditur Actorum Cap. VI. nempe invidia & con-

contentio inter diverſæ conditionis Chriſtianos, ad quam impediendam Apoſtoli ipſi ac *Diaconi* ab ipſis conſtituti diſtributionem fideliter fecerunt. Diaconis fides habebabatur, in his ceſſabat invidia & murmur: hi enim manuum impoſitione ad hoc conſecrati erant.

Ex abundantia Apoſtolorum res publica non evaſit pauperior.

℞. 4. Ex his vides, jam tum communitatem hominum per hoc, quod Apoſtoli multis ſibi ſuperfluis divitiis augerentur, non fuiſſe pauperiorem redditam ſed paupertatem potius ceſſaſſe, quamdiu largiter afferretur ad Apoſtolos. Ante Apoſtolos vero apud Judæos & gentiles regnabat pauperies ideo; quia deerat utrisque *potens motivum* ad ſeſe ſpoliandum ſuis, ut alteri egenti darent. Apoſtoli autem valere in populo fecerunt hoc motivum à Chriſto acceptum: nempe Chriſtum ipſum & regnum Dei.

127. *Objic.* Apoſtoli miracula addiderunt.

Neque petas, ut noſtri etiam ſacerdotes iisdem quibus Apoſtoli mediis motivum hoc valere faciant, nempe miraculis & ſignis.

Reſponſio

Nam reſpondeo nihil referre, quibus mediis id noſtri ſacerdotes efficiant, modo honeſtis, & ut pauperes in ipſis præſidium inveniant ſicut invenerunt in Apoſtolis: quod ſane etiam inveniunt. Deinde reſpondeo, ſi non omnibus iisdem mediis utuntur noſtri ſacerdotes, quibus Apoſtoli, nempe prodigiis, ſaltem utuntur aliquibus, nimirum prædicatione & exemplo, quod ſufficit. Ceterum ſi prodigia petis, videtur id minime deeſſe. Nonne enim prodigii loco haberi poteſt, quod

Miraculum, inter

Cle-

Cleri opes inter Catholicos in hanc diem conſerventur inter tot conſilia & inſidias eorum, qui ſe ac populos in quibus degunt, Catholicos eſſe poſſe exiſtimant tametſi Sacerdotia emungant? tot inſidias ſacerdotio ſervatas opes.

128. Catholica religio non manebit ubi ſacerdotium diripitur

Videtur autem contrà, nullum regnum manere poſſe Catholicum; ubi ſacerdotum opes diripiuntur vel ita attenuantur, ut pauperes in iis præſidium non inveniant. Chriſtus iſtius modi res melius intellexit: quam aliqui à Machiavello Bodino vel Puffendorffio edocti. Chriſtus prædixit Apoſtolis de pauperum turba ſolicitis, & eorum ſucceſſioni: *Semper pauperes habetis vobiſcum, & cum volueritis poteſtis illis bene facere, me autem non ſemper habetis.* Marci XIV. v. 7. Hoc autem non dixit Chriſtus de illis ſolum temporibus ſed de futuris & noſtris etiam: ſtatim enim ſubdit: *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit Evangelium iſtud in univerſo mundo, & quod fecit hæc* (mulier ungens pedes Salvatoris) *narrabitur in memoriam ejus:* & conſequenter etiam narrabitur veſtra contradictio ac mea prædictio de pauperibus ſemper vobiſcum manſuris, & de ſufficientia veſtra ad illis ſuccurrendum ſi volueritis. Non ceſſent *velle* ſacerdotes, Chriſtus non ceſſabit *facere* ut *poſſint.* Ubicunque ergo verum Evangelium prædicatur & valet, ſpes eſt, ſemper ſacerdotes futuros ita opulentos, ut pauperibus ſuccurrere largiter poſſint: contra eſt metus, ne ii qui ſacerdotibus hanc facultatem eripiunt, verum Evangelium à ſe excludant & repellant.

Jam autem neceſſe eſt reſpondere illis, qui ſperant, pau- 129. Si prædia

ſacerdotii diſtribuenda ſint, quæritur: cui danda ut pauperies ceſſet? an fiſco? pauperes nullos fore, ſi prædia ſacerdotum accipiantur, & diſtribuantur inter ceteros.

Verum mihi *Primo* ſtatim loco occurrit fabula de pelle urſi dividenda. Nam *Cui* illa prædia debent cedere? Fiſco? ſed fiſcus non eſt res publica, ut ſuprà oſtendimus: non ergo video, quid hoc pauperiei publicæ profuturum ſit.

an Nobilitati? Si Nobilitati inquis eſſe tranſcribenda prædia ſacerdotalia, ut ea pinguior ac ſplendidior fiat: rurſus nihil magnæ ſpei præbes pauperibus. Tametſi enim omnes nobiles effeceris eſſe S. R. Imperii Principes, credo nihilominus ſatis pauperum ſuperfuturum, imo forte plus.

an oppidanis aut Colonis? Ut prædia inter oppidanos aut colonos diſtribuantur, aliunde nulla ſpes eſt: & ſi id vel fieret, hi ipſi oppidani aut coloni tali modo evaderent in nobiles & majore luxu vellent vivere; per hoc autem plures facient pauperes, & eos qui jam ſunt deſtituent.

an ipſis pauperibus? Omnium autem minime ſpes eſt, ut eadem prædia inter ipſos pauperes diſtribuantur. Nec forte conſultum id eſſet: quia *aſperius nihil eſt humili, cum fertur in altum.* Hi, ſic metuo, divitiis repente aucti, impotentes ſui, ceteros etiam devorarent.

130. Adverſarii, ſi doctrinæ modum æquabilem non verſicolorem tenent, debent dicere, reipublicæ nociturum hoc eſſe, ſi bona ordinis eccleſiaſtici transferantur ad alium ordinem ſive pauperum ſive nobilium. Cum enim bona nobilium aut civium aliqua transferuntur ad ordinem Eccleſiaſticum, dicunt politici noceri reipublicæ;

quia

quia hæc bona moriuntur ceteris ordinibus, quamquam hoc ſit plane falſum: Ergo viciſſim cum bona Eccleſiaſtici ordinis transferuntur ad alium ordinem, dicere debent, hoc nocere reipublicæ, quia hæc bona moriuntur ordini eccleſiaſtico. Niſi ſic dicant, manifeſta apparet inæqualitas principiorum res non conſiderantium quales ſunt, ſed quales affecta voluntas fingit.

Quid vero, ſi prædia ſacerdotalia viritim diſtribuantur, ut ſuam partem fiſcus, ſuam nobilitas ceterique ſuam adipiſcantur, ſicque pomœria ſinguli dilatent? 131. an viritim dividenda?

Ad hoc reſpondeo, mihi videri hoc nihil juvare rempublicam, ſi uni ejus membro detrahas & addas alteri. Sicut ſi manus dextra aliquid imponat ſiniſtræ, homo ille nihilo ditior fiet. Deinde quid hoc juvaret pauperes, pro quibus ſperabam ſolicitos fore Puſfendorffianos, quos nunc video ſuæ potius non pauperum cauſæ ſervire? Omnes illi qui ſacerdotum prædia acciperent, dicerent: nos ex illis prædiis damus tantum eleemoſynæ quantum dederant ſacerdotes, non plus. Et ſupponamus illos ſtare promiſſis, ac revera tantum dare quantum ſacerdotes. Quid inde conſequetur? ceſſabit paupertas publica? Si quantum ſacerdotes dant ſufficeret ad paupertatem publice tollendam, jam nunc nulla eſſet paupertas. Sed nunc manet paupertas publice, tametſi dent Sacerdotes quod dant: Ergo maneret publice paupertas etiam tunc, quando ceteri cives acciperent prædia eccleſiæ, & ex illis darent tantum quantum ex illis modo dant ſacerdotes.

Hoc nil juvabit rem publicam.

Probatur.

Idem

Idem quod de omnibus Civibus dictum eſt, intelligendum etiam eſt de ſingulis illorum ordinibus. Si Princeps vel fiſcus accipiet omnia vel aliqua prædia eccleſiarum: dabitne ex illis erga pauperes plus quam dederant ſacerdotes? neſcio an id ſperes. Si idem tantum dabit, non ſufficiet hoc ad tollendam publice pauperiem. Hoc ipſum dic etiam de Ordine nobilium, civium & colonorum.

132. Respublica ut conſideranda? Sed jam ad ipſam reipublicæ conſiderationem accedo, unde demonſtrem, pauperiem aut majorem aut nihilo minorem hoc conſilio futuram.

De ſuo aluntur *Domini* & *Coloni.* Duo ſunt, ſi recte rem teneo, in republica hominum genera, qui de ſuo aluntur, *Domini* fundorum, & eorundem fundorum *Coloni.* Domini ex fundo ali debent, quia fundi ipſorum ſunt; cujus enim eſt res, ejusdem eſt etiam fructus rei; ſive illam rem ſua manu adaptet ad fructificandum, ſive alteri elocet. Coloni autem ex fundo ali debent, quia hæc eſt ipſorum merces. Et hac conditione acceperunt fundos à dominis, ſive illos acceperint in emphytheuſin ſive in precariam, ſive in hereditatem, ſemper tamen dominis recognoſcendam & obnoxiam.

Ceteri ab illis aluntur. Ceteri omnes cives pauperes eſſent, niſi ab his duobus alerentur, nempe à dominis & colonis. Nam Coriarius exempli cauſa, utcunque graviter deſiccaſſet & paraſſet tergum bovis, & corium optimum feciſſet, ex eo tamen corio vivere non poſſet, corium nec eſui eſt, nec fructum parit. Igitur vadit & à ſutore, dato ſuo corio

rio

rio, accipit argentum. Sed inter ipſos argento turgentes ſaccos eſuriret. Vadit ergo jam ſecundo emitque panes à piſtore, qui eorum panum ſubſtantiam dato ſimiliter argento paraverat vel à colono, vel à coloni domino.

Colonorum genus ſemper manebit idem. Dominorum autem genus & poſſet eſſe unum, & poteſt eſſe varium & multiplex. Verum id rei publicæ non refert, modo nequid nimis & ne quid parum.

133. Domini ſunt aut *Sacerdotes* aut *Nobiles*.

Ut nunc res apud nos ſunt, tria Dominorum genera reperio. Primum Eccleſiaſticos prælatos, aut etiam privatos quosdam Curiones.

Alterum Nobiles variorum graduum. *Tertium* aliquos ignobiles prædia tamen ruſtica poſſidentes. Verum horum poſtremorum cum ſint non admodum multi non magnam ſeorſim habebimus rationem, ſed nobilibus, bona horum venia illos accenſebimus, non dignitate, ſed dominio ſaltem hoc iis ſimiles.

134. Facultates Dominorum, Colonorum, Oppidanorum.

Incipiamus nunc facultates omnes reipublicæ diſtribuere in omnes cives. Prædia quidem ad ſolos *dominos* pertinent: Sed fructûs eorum pars ad *colonos*: quæ autem in fructibus & de fructibus ulterius laborantur per infinitas artes, illa vendunt cives & *oppidani* dominis & colonis, hacque induſtria ſua ſibi merentur partem ſuam ex facultatibus tam dominorum quam colonorum.

135. Facultates Dominorum inæquales.

Rurſus moderna rerum conditio inde à diluvio vel forte etiam ab ortu hominum fert, ut facultates non viritim æqualiter diſtribuantur, ſed providentia ſuprema con-

conſtituit inæqualem ordinem hominum, ut alteri plus accedat, alteri minus. Quod qui recte examinat, deprehendet, hoc eſſe occaſionem multorum mirabilium effectuum, quos hic exponere peramplum foret. Aliqua attigere Auctores *du Spectacle de la Nature.*

136. Qui plures nutriunt, plura debent habere.

Fere autem ita ratio ſuadet, ut ii plus de facultatibus ad ſe accumulent, qui ſuper plures homines curam habent. Non ex eo, quod iſti ipſi domini plura in ventrem ſuum abſcondere poſſint ac debeant; ſed quod cura in alios ſuſcepta quotidie jubeat aliorum etiam rebus, ubi forte afflictæ fuerint, proſpicere.

137. Ergo numerus par colonorum non debet habere tantum quantum numerus par Dominorum

Ex his conſequitur, quamquam ordines hominum in republica ſint numero impares, & numerus colonôrum longe excedat numerum dominorum, non tamen ob id majorem facultatum omnium portionem attribuendam eſſe colonis quam dominis; quia ipſi coloni paucorum curâ tenentur: Sed ſufficere ipſis ac honeſte cum ipſis agi, ſi toti ipſorum numero tantum attribuatur, quantum & ipſorum dominis, licet paucis. Quamquam probe ſcio, in aliquot provinciis colonos majorem tenere facultatem quam dominos. Neque id temere factum crediderim, ubi eſt factum.

138. Duo ordines ſunt Dominorum, *Sacerdotes* & *Nobiles*

His ita conſtitutis diſtribamus totam rei publicæ ſubſtantiam & facultates æquis partibus in quatuor ordines civium, duos dominorum, & duos manu laborantium. Duo ordines dominorum ſunt *Eccleſiaſtici & Nobiles*: Duo

Duo ordines laborantium manu ſunt *Oppidani* & *Coloni.* duo laborantium oppidani & coloni.

139. Quintus ordo eſt Pauperum.

Quintus ordo erit pauperum, qui nec dominio nec labore aliquid habent, vel non habent quantum eſt neceſſe. Hos cum appenſa mola in mare demergi humana conditio vetet, vivere debeat. Cumque de ſuo nequeant, vivant de alieno; quod adeo alienum non eſt amplius, ſed ipſis debitum. Igitur ut hi vivant, reliqui quatuor ordines de ſuo contribuere obligati ſunt jure naturæ hanc ſervitutem erga providentiam numinis jubente. qui jus habent, ut à reliquis quatuor alantur.

140. æqualiter habentes æqualiter deberent conferre:

Quodſi jam, ut cœpimus, quatuor illi ordines æquales reipublicæ portiones poſſident, videtur æquum, ut de ſibi ſuperfluente æquales etiam partes ad ſuſtentandum pauperes conferant.

141. Sed nos Sacerdotio majorem partem eleemoſynæ imponimus, quam aliis duobus ſimul ordinibus.

Verum nos non ita ad unguem obſervabimus *medium rei*, quod dicunt, & æqualitatem omnino: ſed faciemus Eccleſiaſtici ordinis conditionem ultro deteriorem. Aſſignabimus ei æquales proventus cum nobilitate vel civibus: ſed eleemoſynas aſſignabimus inæquales, nempe pro portione majores. Et revera æqui æſtimatores agnoſcent nos id aſſignaſſe, quod revera facit ſacerdotium. Nemo enim facile negaverit, à ſacerdotio jam nunc majores eleemoſynas derivari quam ab aliis.

Ponamus igitur, ut ad rem deveniatur, rempublicam parvam: nam hac bene examinata idem erit judicium de magna; quia ratio ac proportio manet eadem. Si enim dico, rempublicam conſtare octo millibus homi-

Res publica parva *octo millium* exemplum eſſe poteſt cujusvis magnæ reipublicæ.

num, & habere octo millia reddituum, ea diviſa æqualiter in quatuor ordines, dabunt cuique ordini proventuum millia duo. Si vero dicam rempublicam conſtare, octo millionibus hominum, & habere octo milliones reddituum, in ſingulos ordines facta diſtributione cadent duo milliones: nec proportio membri ad membrum alia eſt, quam proportio prioris diſtributionis.

142. Reſpublica 8000 hominum: Cujus ſubſtantia 3200000 partium in quatuor ordines æqualiter diſtributa cuivis ordini dat 800000 partes. Eleemoſynæ à ſingulis Ordinibus pendendæ.

Sit reſpublica conſtans octo millibus, quæ habeat tricies bis centena millia nummorum, qualescunque nummos tu voles: hæc ſumma æqualiter in quatuor ordines diſtributa cuilibet ordini aſſignat octies centena millia. Ex his redditibus debet deduci ſingulis aliquid ad conſtituendam portionem aliquam quintam, è qua alatur etiam portio quinta hominum, nempe pauperum, quos *mille* eſſe faciamus: & portionem nummorum eis aſſignemus viginti millia nummorum, ad quam ordo eccleſiaſticus conferat *millia octo*, reliqui, ordines ſinguli conferant dimidium tantum, hoc eſt *millia quatuor*. Diſtributione viginti millium in mille pauperes facta cuilibet capiti pauperi contingunt nummi 20, ſi æqualiter dividantur. Inæqualem autem diſtributionem eſſe certum eſt, ut minus indigentes accipient minus, pauperiores plus. Depingamus hæc omnia in tabula accuratius ac multo facilius intelligenda.

Ca-

	Capita	Reditus omnium	Reditus ſingulorum.	Eleemoſyna omnium	Eleemoſyna ſingulor.
Sacerdotes	1000	800000	800	8000	8
Nobiles	1000	800000	800	4000	4
Oppidani	2000	800000	400	4000	2
Coloni	4000	800000	200	4000	1
Summæ	8000	3200000	ſ	20000 pauperibus dividenda.	ſ

Omnes pauperes 1000
ſingulis dentur 20
Summa 20000

Ita nunc ponamus conſtitutam eſſe rempublicam: neque multum abludemus à vero: ſic tamen, ut ſuo loco oſtendere poſſimus, ordinis eccleſiaſtici conditionem eſſe anguſtiorem *pro ſe* ac *pro re ſua privata*, quam hic eam faciamus: *pro re publica* autem plures ex eo quam ex ceteris ordinibus utilitates fluere.

Sed venit politicus aliquis ac jubet mutandum eſſe aliquid. Quæro quid? Non facile jubebit mutari aliquid in tribus poſterioribus ordinibus, ii recte conſtituti erunt. Solus eccleſiaſticus ordo nunquam politico tali recte conſtitutus videbitur. Faciamus tamen, quoniam ſic jubet, mutationes varias, ut appareat num *Paupertati publicæ* melius conſultum eatur?

143. Politico videtur fors ſacerdotio tributa eſſe nimia: in ejus gratiam fit hic aliud ſyſtema.

	Capita	Reditus omnium	Reditus ſingulorum	Eleemoſ. omnium	Eleemoſ. ſingul.
Sacerdotes	- -	- - -		- - -	- - . -
Nobiles	1000	1600000	1600 -	12000	12
Oppidani	2000	800000	400 -	- 4000	2
Coloni	4000	800000	200	- 4000	1
Sum.	7000	3200000	-	20000	-

In hoc ſyſtemate ſacerdotibus nihil attributum eſt ex ſubſtantia reipublicæ.

Pauperes erunt 1000. alii & inſuper 1000. ſacerdotes, etiam ipſi pauperes, quia nihil ipſis ex maſſa rei publicæ aſſignatum eſt, adeoque Summa viginti millium nummorum haud ſufficiens erit ad duo millia pauperum alenda, præſertim non ad mille ſacerdotes, qui vacare ſtudiis, orationi & animabus debent &c-

ſed pauperum numerus hinc auctus:

Obſerva autem præter auctum hoc ſyſtemate pauperum numerum; non auctam eſſe eleemoſynam, itaque miſeriam creviſſe.

nec res publica ditata,

Obſerva rurſus, ex hac reductione non profeciſſe reipublicæ proventus, ſed manſiſſe tales quales fuerant, nempe 3200000.

adjumentaque illi ablata,

Præterea illos homines, qui rem publicam potuiſſent juvare & vires ſuorum proventuum conferre, numero fuiſſe imminutos & mille ſacerdotibus divitibus libenterque adjuturis ſubſtitutos fuiſſe mille inopes qui nihil juvant, & oneri ſunt. Proſuntne iſta rei publicæ? prodeſt paupertati publicæ, ſi ea adjecto etiam ſacerdotum numero augetur?

nec Nobilitas contenta.

Obſerva iterum, metuere me, ne Nobilium ordo mihi iraſcatur, qui eidem 12000. eleemoſynarum impo-

ſuerim

ſuerim, cum antea non dederint niſi 4000. Nempe impoſui ipſis portionem eleemoſynæ ſacerdotalis, quia iisdem etiam adjeceram portionem proventuum ſacerdotalium. Sed, inquiunt, nimium tamen eſt onus: antea ex octingentis millibus non dabamus niſi quatuor millia: & nunc ex aliis octingentis millibus non plus valentibus, vis nos dare octo millia? iniquum eſt. Ex octingentis millibus de novo adjectis non dabimus plus quam quatuor millia eleemoſynæ, non autem octo millia. Præterea vis nos ex iisdem proventibus ſacerdotalibus dare illa ſubſidia, quæ ſæpe dabat ordo eccleſiaſticus, quando decimas, æs collatum, vaſa etiam aurea & argentea dedit ad ſervandam rem puvlicam. Si hoc nos præſtare debebimus ex proventibus quos nobis adjeciſti, iſti proventus longe fient minores, & tu nihilominus duplam portionem eleemoſynæ noſtris humeris imponis? iniquus es.

Rurſus dicent nobiles, me eſſe lepidum hominum, liberaliter promittere octingenta millia reddituum de quibus vixerant ſacerdotes: non autem etiam memorare, ubi, quibus mediis eos debeamus obtinere. Nam ſi non idem faciamus, quod fecerant ſacerdotes, ne ſpes quidem eſt, nos eadem obtenturos. Debebimus ergo nos nobiles concionem pro ſuggeſtu docere, ſed ſi enſe præcincti aſcendemus, nempe fugient. Debebimus Miſſas cantare, nos qui interdum cantantes vix libenter audimus. Debebimus in ſacro tribunali colonorum noſtrorum peccata examinare: ſed tales pœnitentiarios ipſi nolent. Debebimus etiam uxoribus valedicere; ut poſſint nobis ad expen-

expenſas publicas & privatas ſufficere res. Habeto igitur gratiam bone vir pro benevolentia in nos tua. Aut certe nos quidem proventus ſacerdotales libenter retinebimus, onera autem illa tu fac ut in quosvis alios transeant,

Vides Lector; non ſine cauſa me ſupra aliquo loco (Num. 129. & 131.) timuiſſe, ne, ſi Eccleſiaſticæ opes tranſcribantur ordini Nobilium, hi ſe excuſaturi ſint ab eleemoſynarum proportionali onere, aliisque neceſſariis, quæ reſpublica & pauperes exſpectant & accipiunt ab ordine ſacerdotali. Easdem vero excuſationes facile invenient etiam oppidani, ſi ſacerdotalia in ipſos diſtribuas: ii nempe, qui ſemper in ore habent ſe eleemoſynis non poſſe gravari, ſed debere etiam magnis rerum pretiis alios vexare, quia cenſum ac tributa pendere debeant: *Sie müſſen Stiffe und Steur geben.*

144. Alia ſyſtemata, Tentabo igitur alteram aleam. Fiat hypotheſis alia

	Capita	Reditus omnium	Reditus ſingulor-	Eleemoſ. omnium	Eleemoſ. ſingulor.
Sacerdotes	1000	400000	400	4000	4
Nobiles	1000	1000000	1000	6000	- 6
Oppidani	2000	1000000	500	6000	- 6
Coloni	4000	800000	200	4000	1
Sum-	8000	3200000	-	20000	-

Pauperes 1000. quorum portio iterum 20000 & plus:

ALITER.

	Capita	Reditus omnium	Reditus ſingulor,	Eleemoſ. omnium	Eleemoſ. ſingul.
Sacerdotes	500	400000	800	8000	8
Nobiles	1000	1200000	1200	6000	6
Oppidani	2000	800000	400	4000	2
Coloni	4000	800000	200	4000	1
Sum.	8000	3200000	-	22000	1

Pauperes 1000. & *quingenti* pauperes ex ſacerdotibus facti, ablata ipſorum portione.

1500 pauperibus in 22000. eleemoſynæ diviſis contingunt ſingulis $14\frac{1}{3}$.

```
   (1
    3
  1 7
 220|00 (14 2/3
 155|00
    1
```

In prioribus autem hypotheſibus contigiſſent ſingulis 20. nunc contingunt pauciora. Aucta igitur eſt miſeria & auctus numerus pauperum, cum ſacerdotio detractum eſt. Præterea neſcio an, ſi prius vix ſuffecerunt mille ſacerdotes ad populi doctrinam & curam animarum, nunc ſuffecturi ſint quingenti? ſed hæ forte politico ultimæ curæ,

In his ſyſtematibus augetur miſeria pauperum.

ALITER.

	Capita	Reditus omnium	Reditus ſingul.	Eleemoſ. omnium	Eleemoſ. ſingul.
Sacerdotes	500	200000	400	4000	8
Nobiles	1500	1200000	800	8000	$5\frac{1}{3}$
Oppidani	2000	1000000	500	5000	$2\frac{1}{2}$
Coloni	4000	800000	200	4000	1
Sum.	8000	3200000	-	21000	

Pauperes 1000. dividendi inter 21000. nummorum. Non juvatur nec ceſſat pauperies.

horum ſyſtematum incommoda in Nobilibus,

Deinde nobilium quidem auctus erit numerus, ſed ſingulis non erit ſatis factum: ſicut enim habebant ſinguli *octingenta* annua tunc quando ſacerdotes erant multi & divites, ita etiam nunc poſt imminutos & ſpoliatos ſacerdotes ſinguli rurſus non habent niſi *octingenta*.

Adhæc cum ſinguli non habeant jam plus redditum, ſinguli tamen jam debent majorem eleemoſynam pendere quam ante. Ante dederant 4. nunc $5\frac{1}{3}$.

in Sacerdotibus,

Denique ſcrupulus ille de non ſuffecturo numero dimidio ſacerdotum, nondum exemptus eſt.

in Reipublicæ neceſſitatibus,

Ne hoc quidem dubio vacat, num *ſexcenta* illa *millia*, quæ ſacerdotibus quingentis adempta & quingentis nobilibus adjecta ſunt, in *communem* emergentem reipublicæ neceſſitatem æque fructificaturæ ſint, ac in manibus ſacerdotum. Nobiles enim quingenti non omittent prætendere neceſſitatem privatam quingentarum nobilium uxorum, duorum millium prolium nobilium, tot equorum &c. Con-

Conſidera etiam quid hoc ſit pariturum reipublicæ, ſi in hac hypotheſi cuilibet oppidano veniunt reditus *quingentorum* nummorum, cuilibet autem ſacerdoti tantum *quadringentorum?* Debebunt igitur ſacerdotes plus vacare rei familiari curandæ vel opificiis exercendis, ut ſaltem tantum obtineant, quantum honeſtus oppidi civis: aut debebunt rurſus aliis eſſe moleſti. Sacerdotum numero dimidio ablato dimidium laboris accreſcit parti reſiduæ, quæ adeo duplicato labore gravabitur; & tu dimidiatum tantum ſtipendium illis numeras. Labor anterior erat ut 2. poſterior labor erit ut 4. Merces autem erit ut 1. *tribus* itaque *quadrantibus* defraudas ſacerdotem. Quod plane enormiter lædere eſt. Et ſi hoc inhoneſtum eſt in quovis meſſore & fabro, quale erit in ſacerdote? Inhoneſtam, injuſtam vis inſtituere rempublicam. iterum in ſacerdotibus.

145. Hypotheſis alia *plauſibilis*, pauperiem extirpans funditus.

Neceſſe eſt autem adhuc ſemel hypotheſin aliquam confingere ac deinde hunc campum relinquere peritioribus, qui excogitent hypotheſes quibus deſpolient ordinem eccleſiaſticum: ita tamen, oramus, ut certa ſpes ſit, ex hoc magis juvari rempublicam, & pauperiem publice fieri *minorem* ſi non omnino *tolli*. Vide ergo demum, ſi lubet, hypotheſin ſequentem plauſibilem.

Capita		*Reditus omnium*	*Reditus ſingulorum*	*Eleemoſyna*
Sacerdot.	1000	450000	450	
Nobil.	1000	1000000	1000	
Oppidani	2000	850000	450	*Nulla*
Coloni	4000	800000	200	
Pauperes ditati	1000	100000	100	

 Spe-

Speciem iſta hypotheſis non parvam habet. Primum quod ſacerdotum numerus minutus non ſit. Deinde quod eleemoſynæ ceſſent, magnum in oculis politicis emolumentum. Denique quod pauperes redacti ſint non quidem ad divitias, ſed ad tenuem ſaltem fortunam & tolerabilem.

Multa ejus incommoda,

Verum mihi conſideranti iſta in oculos incurrunt nonnulla: peritioribus occurrent facile plura.

in reipublicæ neceſſitatibus

Primò ſi à ſacerdotibus exigis, ut deinceps etiam tanta præſtent in rem publicam fortunis ſuis collatis, quas parſimoniâ recondunt & ſervant in neceſſitates publicas fruſtra id petes, quia fieri non poterit. Quippe redacti ad fortuuam mediocrium oppidanorum non poterunt plus præſtare quam oppidani.

in colonis, oppidanis, &c.

Secundo ceſſare etiam debebit omne id, quod ſacerdotes hucuſque exhibuere boni privatis reliquorum ordinum civibus ex nobilitate, ex oppidanis & colonis. Coloni durius haberi debebunt à ſacerdotibus. Sacerdotum collegia rigidiora erunt in exigendis hereditatibus ſuis: pauciores eſſe debebunt erga artifices omnis generis, aut debebunt ipſi artes exercere in præjudicium aliorum, vel mercatui ſe dedere in detrimentum occupationis ſacræ Verbo rei publicæ decedit quod eccleſiaſtico ordini detrahes.

146. in pauperibus ipſis,

Tertio. Id quod pauperibus adjicis, forte etiam nimium eſt. Colono tribuis ducenta, pauperi tribuis centum,

tum, id quod pro portione nimium eſt: Quodſi enim pauper tantum dimidio fortunæ diſtat à colono; magna pars colonorum malet è pauperum eſſe numero quam è colonorum. Pauperes enim ſine labore & periculo acquirunt centum, cum ſe ſolos his nutriant, aut forte duos tres ve; cum colonus magno labore & periculo acquirat nonniſi ducenta, & ex iis debeat tot ora hominum & animalium paſcere, tributa pendere reipublicæ, cenſum hero, decimas ſacerdoti, dotem filiæ, hoſpitium militi &c. Quodſi vero plures coloni in numerum abeant pauperum, incommoda ſequuntur, non levia. Colonorum minuto numero minuetur annona, augebitur fames: augebitur pauperum numerus iisque ſua portio non ſufficiet, & iterum incipient eleemoſynæ. Otium etiam invaleſcens parturiet ſeditiones malaque innumera.

Quarto. Ex ea etiam portione, quæ pauperibus in hac ultima hypotheſi adjicitur, nihil opis in communem reipublicæ neceſſitatem convertetur: quia hæc portio non fructificabit, cum maximam partem ab otioſis conſumatur. Et ſi de illis aliquid expetet reſpublica, nihil obtinebit, cum nihil abundet ipſis. iterum in reipublicæ neceſſitatibus.

147. *Quinto* quod eleemoſynæ hoc modo præcise ceſſaturæ ſint, imaginarium eſt; ſed niſi alia inſuper ac melior politicorum cura acceſſerit, eleemoſynœ ab otioſis, prodigis ad incitas luxu redactis, aliisque indignis paſſim extorquebuntur, & fient pro eleemoſynis ſalutaribus, latrocinia, mala poſteriora pejora prioribus. Ceterum frustraque ſperatur, ceſſaturam paupertatem.

eleemoſynas ceſſare in magno aliquo populo inter *DESIDERATA* numerandum exiſtimo. Quin eleemoſynæ bonæ ſunt; eleemoſynis redimuntur peccata, exercetur Charitas, cœlum expugnatur: & propter hæc divinus Salvator iis, qui ſunt de parte ipſius, prædixit, ſemper pauperes habere ſecum.

Æqualitas laudabilis: ſed reipublicæ modernæ non utilis,

148. *Sexto.* Æqualitas illa ad quam hypotheſis prædicta reducit, per ſe non eſſet vituperanda. Sed ſi æqualitas ceteris reipublicæ neceſſitatibus non reſpondet, præſtat his neceſſitatibus providere & inæqualitatem introducere. Quippe ſi hoc valeret, optimum omnium eſſet ſyſtema hoc naturæ puræ & abſtractæ convenientiſſimum, ut octo hominum millia æquis portionibus inter ſe diſtribuerent ſua triceſies bis centena millia: caderet enim in ſingula capita ſors quadringentorum

```
3200 000
        ) 400
   8 000
```

& alios homines quam nunc ſunt exigit.

Faciant æqualitatis experimentum pri-

Et quid deinde referret utrum hos vel illos dicas nobiles utrum colonos; nihil enim differrent ſubſtantiâ externa: interna autem hominis eſſentia per ſe non diſtarent. Verum hæc conſilia alios quam nunc ſunt homines deſiderant: inter iſtos enim qui & quales nunc ſunt, hoc introduci non poteſt; et ſi hodie introducatur, cras majora mala pariet donec in eandem inæqualitatem denuo reverteremur. Faciant hujus rei periculum primi in ſe ipſos politici, & introducant æqualitatem in ſuo ſolo ordine, ita ut omnes nobiles, omnes aulici inter ſe ſint æqua-

quales. Si hic conatus bene ceciderit, fortaſſe exemplum ſequetur ordo oppidanorum & colonorum. Nam de ordine eccleſiaſtico non id fieri debet quod ipſi inter ſe eccleſiaſtici, multo minus quod aliqui politici volunt: ſed quod ex intentione Chriſti & ejus interpretum Apoſtolorum manat. Præterea magnum hic intercedit diſcrimen. Nobilium ordo in quolibet regno poteſt conſtituere aliquam inter ſe æqualitatem aut inæqualitatem pro lubitu: nihil hoc tangit alia regna vel populos. Verum Eccleſia vera cum neceſſario ſit una, extenditur in plura regna, quæ in hac eccleſia conſentiunt, etſi de rebus ceteris perpetuo deprælientur. Ex quo conſequitur, miniſterium hujus religionis certam normam & ſubordinationem atque adeo inæqualitatem in miniſtris habere debere. Verum hæc non hujus ſunt loci.

mi in ſemet politici! Æqualitas in ſacerdotio non ex ratione politicorum, ſed ex Chriſti inſtituto dimetienda.

EXAMEN DECIMUM SEXTUM.

AN SIT VERUM, *SACERDOTES NUTRIRI* EX QUARTA PARTE PROVENTUUM ALICUJUS REGNI, UBI REVERA QUARTA PARS SACERDOTIBUS SUBEST?

In hypotheſibus hactenus conſtitutis largus ſane fui: ſemper pro conceſſo admiſi, mille ſacerdotes eſſe ſolos, qui ex octingentis millibus ſubſtantiæ regni alantur.

149. Vix pauciſſima ex divitiis veniunt in uſum ipſorum ſacerdotum.

Sed longe contrà eſt. Ad quod explicandum moneo, me in hypotheſi illa diviſionem non tam in capita

fe-

In ſyſtemate præmiſſo *Mille Sacerdotes* ſumendi cum familiis

feciſſe, quam in ſtirpes. Id eſt: Non præciſe ſacerdotum mille corpora ex hac portione aluntur, nec præciſe mille corpora nobilium: ſed mille familiæ: hoc eſt mille ſacerdotes una cum appendice ſervorum & familiarium. Sic etiam mille nobiles una cum appendice familiæ.

Ad rei hujus ſtatum enucleandum, neceſſe eſt de familiæ numeroſitate aliquid determinare in ſingulis Ordinibus rei publicæ.

I. *FAMILIA SACERDOTALIS* à me determinatur ad *capita viginti* vel *quindecim*, præter ipſum ſacerdotem.

Uni ſacerdoti adduntur alendi *viginti* familiares.

Equidem ſunt ſacerdotes prædiis carentes, qui nullum famulum habent. Alii habent duos, tres.

Alii, qui agros & vineas habent, ut monaſteria, ditiores parochi, Canonici, habent in ſingula ſacerdotum capita famulos decem, ſed ita, ut inter hos ſit unus & alter famulus qui iterum pro ſe familiam cum uxore liberis & ancillis habeat, quæ tota alatur ex ſacerdotis ſtipendio & annona. Alii porro majoris ordinis ſacerdotes habent famulos vel familiares centum, alii ducentos, trecentos, mille: & ita quidem ut ſint inter illos plurimi cum totis familiis, cum aliis iterum eorum famulis iterum familias habentibus.

Quocirca demum ſtatuamus, numeri rotundioris cauſâ, *in una ſacerdotali familia inveniri VIGINTI CAPITA* alenda ex portione eccleſiaſticarum facultatum.

II.

II. *FAMILIÆ UNI NOBILI* demus totidem capita nempe *VIGINTI.*

Totidem uni nobili.

III. *FAMILIÆ UNI OPPIDANI*, aſſigno capita *DECEM.*

Uni oppidano *decem* familiares

In his enim familiis oppidanis non eſt tanta differentia numeroſitatis: præter propter æquales ſunt. Et revera videretur potius ſufficere, ut uni tali familiæ adſignentur capita *octo:* ſed nos liberales ſimus & concedamus potius plures homines ab ordine oppidanorum ali, quam pauciores.

IV. *UNI FAMILIÆ RUSTICÆ* adſigno capita itidem *DECEM.*

Uni Colono etiam decem.

Iſtaque omnia in tabula depicta hic exhibeo.

Familiæ	Capita familiæ.	Reditus omnium.	Reditus in capita æqualiter diviſi
Sacerdotales 1000	20000	800000	40. uni capiti
Nobiles 1000	20000	800000	40, uni capiti
Oppidani 2000.	20000	800000	40, uni capiti
Coloni 4000	40000	800000	20. uni capiti
Summæ Capitum	100000	3200000	2.

tota hæc reſpublica conſtat centum millibus capitum.

Hæc cum ita ponimus, nec præter rationem, opinor, habemus ex octo millibus familiarum *centum millia capitum*, quæ omnia ſuſtentantur tricies bis centenis millibus, ſive *tribus millionibus ac ducentis millibus*

150. *Ex quibus non niſi mille ſacerdotes ſunt.*

Quæro autem, ex illo toto numero quot ſunt ſacerdotes? nempe ſoli *MILLE SACERDOTES* aluntur ex tota maſſa reipublicæ. Nam *viginti millia* capitum, quos in familiis ſacerdotalibus numeravimus, non ſunt utique ſacerdotes, ſed ſunt famuli, ancillæ, hoſpites. Igitur cum in mille domibus ſacerdotum manducatur & bibitur, manducant *viginti millia laicorum* & mille tantum ſacerdotes.

Palpabile eſt ergo, Laicos fere totis opibus eccleſiæ frui.

Quapropter denique palpabis, falſum eſſe, quod *ſacerdotibus* nimis magna pars ex maſſa reipublicæ ceſſerit: ceſſit ea non - ſacerdotibus. Et non *quarta* redituum reipublicæ parte aluntur ſacerdotes ſed *centeſimâ* tantum: nam quod ſacerdotibus ultra ſuum victum & veſtitum ſupereſt, id omne convertitur in alendos laicos, & in neceſſitates reipublicæ.

151. *Coloni vivunt vel ex fundo Nobilitatis*

Verum nondum ſatis examinavimus rem: reſtant quædam expendenda. Qui ſunt illi coloni? aut quorum fundos tenent ac colunt? Alii coloni fundos ſuos acceperunt à nobilitate variis modis, reſtrictionibus, utilitatibus. Et revera ex nobilitatis fundis colonus vivit ac ſæpe ditatur, nobili pauca retribuens.

vel ex fundo ſacerdotii.

Porro alii coloni fundos acceperunt ab epiſcopis, abbatibus, Canonicis &c. Hi quoque coloni vivunt ex fun-

fundis ſacerdotum, & magis etiam ditantur quia mitius plerumque habentur, atque id etiam decet. Non autem poteſt quiſquam contendere, colonos quidem nobilitatis vivere de fundo nobilitatis, colonos vero ſacerdotum de fundis ſacerdotum non vivere: hæc contendere nimis eſſet affectatum.

Statuamus autem nobilitati ac ſacerdotio æqualem utrinque numerum colonorum cum eorum familiis: ſacerdotium ergo alit 2000, colonorum & 20000. familiarium ruſticorum: quemadmodum Nobilitas alit 2000. colonorum & viginti millia familiarium ruſticorum.

152. Op pidan vivunt

Rurſus etiam exploremus, unde alatur *ordo oppidanorum*, hoc eſt variorum artificum, ſcribarum, mercatorum?

Equidem hi inter ſeſe mutuo ſibi auxilio ſunt, & alter alteri faceſſit negotium emendo, vendendo, fabricando, laborando. Sed hæc leviora ſunt, & bonâ oppidanorum veniâ in noſtro calculo negligentur, ut numeris paribus & rotundis poſſimus uti.

partim ex ſacerdotio, partim ex Nobilitate.

Dico igitur oppidanos ali atque ditari partim à Sacerdotio, partim à Nobilitate: idque fit duobus modis: *Primo* ipſi nobiles ac ſacerdotes ab oppidanis ſibi fieri faciunt aut emunt veſtes; ciborum & aromatum multa genera; arma & inſtrumenta ad uſum belli, venationis, vectur æ, agriculturæ; Vaſa omnis generis terrea, ærea, ſcortea; ſuppellectilem & ornamenta templorum, aularum, cubiculorum, hortorum; ædium, palatiorum, eccleſiarum,

primus modus hujus rei.

 rum,

rum, altarium, campanilium ſtructuras, picturas, & quidquid denique humana induſtria manuque confici vel neceſſitas jubet, vel ſuadet decor, vel quibusdam inſpirat vanitas: hæc pleraque omnia oppidani faciunt Sacerdotio ac Nobilitati, itaque pro labore ſuſtentantur ab iisdem utrisque jam pecuniâ jam annonâ præbita. Et hæc eſt prima via, qua alimonia à ſacerdotio & Nobilitate præbetur Ordini Oppidanorum. *Altera* via eſt per Colonos. Coloni enim operam requirunt opificum inferioris ordinis, ut fabrorum, coriariorum & ephippiariorum aliorumque. Item ob ipſorum indocile plerumque ingenium alunt ruſtici perpetuis ſuis altercationibus judices, advocatos, ſcribas, accenſos: quos in oppidanorum numero nos reponimus, quod ex fundis non immediate vivant. Magnam revera faciunt impenſam coloni, maxime ubi bonos fundos à dominis tenent, ubi mitius habentur, ut poſſint veſtiri non ſordide, bibere in popinis non parce, ludere ſortibus vel nobili viro non pudendis, quod in Boica noſtra non raro contingit.

153. Alter modus quo oppidani aluntur à Sacerdotio & nobilitate.

Hæc vero omnia cum redegerint coloni ex dominorum tam Eccleſiaſticorum quam Nobilium fundis; conſequens eſt, omnes has impenſas oppidanis affluere ex fonte Nobiiitatis & Sacerdotii. Nobilitas ergo & Sacerdotium per viam colonorum ſuorum alit etiam tertium ordinem oppidanorum.

Si dicamus, hoc contingere æquis portionibus (quod eſt probabile) oppidanorum capitum *decem millia* alentur ex Nobilitate, *decem millia* ex Sacerdotio.

Si

Si demum conſidero ordinem ſacerdotalem & Nobilem, certum eſt, ſacerdotium à Nobilitate accepiſſe plurima, idque grati ſemper debent agnoſcere, & merito damnes eos, ni faciant. Hoc quoque certum eſt, Nobilitatem rurſus multa recepiſſe & hodieque recipere à ſacerdotio, in feudis, in officiis honorariis non ſine pingui ſtipendio, in annuis penſionibus; in Canonicatibus quorum maxima parte ſoli fere nobiles jam fruuntur: quæ ſola ſufficiunt ad æquum rurſus animum erga ſacerdotes inſpirandum Nobilitati, tametſi non accederent beneficia illa quæ per ſacerdotes tanquam Chriſti Salvatoris canales derivantur in nobilitatem ipſam in eorum familias ineorumque colonos, qui per ſacerdotes, Numinis gratiâ, hactenus perpetuo conſervati in catholicæ fidei puritate, hoc ipſo etiam conſervati ſunt in perpetua quiete & obedientia erga ſuos dominos, maximeque Principes, quos teneriore hæc maxime natio charitate proſequi videtur. 154. Sacerdotium & Nobilitas vivunt ex *mutua* beneficentia, poſt DEUM.

Poſtquam hæc rite excuſſimus, calculos poſſumus fidenter ſubducere in hunc modum. 155. Dimidia pars populi alitur à ſacerdotio,

Sint in republica *centum millia* capitum

ſint *mille* ſacerdotes.

ſint *mille nobiles.*

Mille ſacerdotes alunt *quinquaginta millia* oppidanorum & colonorum.

Mille Nobiles alunt alia quinquaginta millia oppidanorum & colonorum. Dimidia à Nobilitate.

Rurſus ſi cogitamus de impenſis quæ in ſacerdotes

In ſacerdotes ipſos fit minima impenſa.

& nobiles, hoc eſt in propria ipſorum corpora fiunt, eæ ſunt perpaucæ, nec tanta invidiâ dignæ præſertim cum & cibus quem manducant & potus quam ſumunt, & veſtis qua corpus tegunt & ornant in ceterorum utilitatem & alimoniam redundent.

Quin potius pro invidia reddenda eſt gratia ſacerdotibus, & ceteri ordines conniti debent, ut ſacerdotium integrum ſervetur, etiam ob politicas ſolum rationes, quas hactenus expoſuimus.

156. Sacerdotium omnibus prodeſt

Si ſacerdotes aliud eſſent bipedum genus ex Severambis aut Cyclopibus & Lelegibus natum, forte minus irrationabilis eſſet invidia. Nunc autem quando ſacerdotes, Religioſi, Prælati, Canonici, Epiſcopi nutriuntur ex hac portione ſubſtantiæ, nonne nutriuntur veſtri filii, fratres, patrui, veſtra denique caro? Nullus eſt reipublicæ ordo, qui non in honorem ſacerdotii poſſit venire. Nobilitas per omnes eccleſiaſticos gradus it. Ex oppidanis rurſus omnium eccleſiaſticorum honorum ac bonorum multi fiunt participes, ut ſuos iterum egregie juvent. Ex colonis etiam quanti ad pinguia honeſtiſſimaque ſacerdotia virtute ingenioque pervenerunt? Contra Nobilitas ex ſe excludit oppidanos. Oppidani excludunt qui contribules non ſunt. Solum ſacerdotium omnibus honeſtis & idoneis ad ſe aditum præbet, *COMMUNE BONUM EST.*

Ergo hactenus demonſtratum dedi, ſi ſupponas, *quartam partem* reddituum poſſideri à ſacerdotibus, falſum

ſum tamen eſſe, ex hoc tantum nutriri paucos *ſacerdotes:* quin contra ex his proventibus nutriuntur *vigeſies* imo *QUINQUAGIES plures laici,*

Objicies autem, ob hoc nullam deberi gratiam ſacerdotibus; nam ſi alii hos proventus tenerent, alii totidem corpora reipublicæ alerent. 157. Objectio ingrati

℞. 1. Pauperis animi eſt hæc objectio, & omni ingratitudini laxans fores. Non hic quæritur, quis eos *aleret.* Sed quis jam *nunc alat?* ſic quilibet poterit dicere matri ſuæ: non debeo tibi gratiam: ſi tu me non lactaſſes, lactaſſet alia. Retunditur.

℞. 2. Eodem ergo jure poſſent ſacerdotes dicere aliis v. g. Si epiſcopus teneret Landishutum, ipſe aleret Senatum & Nobilitatem & cives: ergo non debent gratiam Principi ſuo qui eos nunc alit?

℞. 3. Suppeterent quædam aliæ reſponſiones minime falſæ aut dubiæ; ſed quoniam poſſent offendere, premendæ ſilentio ſunt.

Dicet denique aliquis: admitto, ſacerdotes eos, qui de prædiis & fundis vivunt, non obeſſe reipublicæ: prædia enim debent eſſe *alicujus;* & reipublicæ non admodum refert utrum is ſit ſacerdos, utrum magnus utrum parvus, niger an albus, modo multis hominibus ex eis ſuccurratur, & etiam rei communi. Verum *Religioſi Mendicantes* & alii de collecta ſtipe viventes inutiles & noxii ſunt reipublicæ, & membris moleſti: colonos enim aliunde vectigalibus & penſis oneratos vexant iterum ac tertio. 158. Mendicantes religioſi

℞. 1.

159. Si revera nocerent Reipublicæ, quomodo medebitur Politicus? occidet omnes. Nihil iuvabit.

℞. 1. Demus interim, vera hæc eſſe, mendicantes iſtos nocere reipublicæ: ineamus rationem, quomodo ſit medendum? occidere omnes, fas non eſt. Ais: morientur omnes, & poſtea in mortuorum locum nullus ſufficiatur: deſinent eſſe & vexare rempublicam.

Vana ſunt hæc: nam cum mortui fuerint iſti, interim in populo naſcentur alii, qui in clauſtra mendicantium conferrent ſe, ſi clauſtra exſtarent: ſi non exſtarent clauſtra, quo loco pones illos? Vides ergo hanc medicinam nihil valere, nec alleviari onus reipublicæ, ſi mendicantes religioſos omnes facias mori.

160. Fiant opifices.

℞. 2. Imaginemur nobis ad aliquot momenta, Religioſos mendicantes non eſſe ſacerdotes, non votis obſtrictos, ſed pure laicos, ita ut nulla jam ſit cauſa, cur iis eleemoſyna detur, exceptis debilibus. Quoniam ergo politicus contendit, hos in clauſtris noxios eſſe, ſi victum ſuum mendicato quærant, obſequamur politici conſilio, faciamus omnes religioſos mendicantes non amplius mendicare, quid ſequitur? aut fame peribunt, quod exſequi egregium eſſet politicum conſilium. Aut alii ultro eis afferent neceſſaria: ſed hoc vetat politicus; quia ſic jam viverent ex eleemoſyna, & nocerent reipublicæ. Aut faciamus ex illorum clauſtris officinas, ita ut alii horum exerceant textrinam, alii ſutrinam, artesque varias. Sed intercedent huic conſilio cives & oppidani: dicent, ſibi noceri; ſibi uxores ac liberos alendos eſſe; his omnibus panem præripi per iſtos, qui uxoribus careant

Plus nocebit reipublicæ? creſcet paupertas.

reant

reant, atque adeo viliori mercede laborare omnia poſſint, & ob id ipſum commercium omne ad ſe tracturi ſint. Dicent ergo cives uno ore omnes, ſatius eſſe ut artibus hi abſtineant. Jubebunt illos ad officium ſacerdotale redire, ac promittent ſe de ſuo libentius daturos aliquid ad eos alendum.

Quodſi politicus ad has civium querelas mitigandas jubebit uxores dari iſtis novis clauſtrorum artificibus, querela etiam creſcet. Agendum enim erit non tantum de ipſorum novorum artificum corporibus alendis, ſed etiam de numeroſa prole: & pro uno agmine, quod politicus dixerat reipublicæ grave eſſe, ipse ſubſtituit agmina quatuor & ſex, haud dubie quater & ſexies graviora futura. Ducant uxores? creſcet malum.

16. Religioſi mendicantes fiant milites?

℞. 3. Quodſi faciamus eos milites, & fiat ex illis perpetuus exercitus rei publicæ? Pulcrum conſilium, quia deinceps non erit opus multum laborare in cogendo milite, quod aliquando multo ære conſtat, aliquando etiam vi opus eſt. Nam deinde ſponte venient, & æs inſuper ſecum aliquod afferent. Quotquot enim juvenes nunc ſupplicant admitti in ordinem Franciſcanorum, Capucinorum, aliorum, ii deinceps, poſtquam Franciſcani facti milites fuerint, venient ad Capitula horum novorum militum & admitti petent. Et quemadmodum nunc Capucini, cum admittuntur, afferunt ipſi ſua breviaria & tunicas; ita deinceps admiſſi in hanc militiam afferent ipſi ſua arma, ſclopum, gladium, omnia. *Scilicet ut retro longam fert ruſticus haſtam.*

162. Nocebunt reipublicæ.

℞. 4. Quoniam vero hoc per ſe inane eſt & ridiculum, alia ratione reſpondendum eſt. Nempe ſi omnes mendicantes religioſos adjungis militi perpetuo qui nunc alitur, nihil lucrabitur res publica nec homines privati. Nam Capucini milites facti erunt adhuc bipedes, adhuc triginta dentes in ore habebunt, manducare volent. Alendi ſunt igitur, & quoniam mendicato vivere eos prohibes, alendi ſunt ex publico & nova tributa imperanda erunt populo. Exiſtimasne, populum lubentius daturum nova tributa pro Capucinis militibus quam ſuas eleemoſynas pro Capucinis ſacerdotibus? Haud equidem. Tributa in ære danda ſunt, eleemoſynas dant in butyro, ovis, hordeo. Tributa exiguntur vi; eleemoſynæ ſponte præbentur. Tributum exigetur duplo majus quam fuerit eleemoſyna: nimirum ut ſufficiat non tantum ad Capucinos novos milites alendos, ſed etiam ad eorum præfectos, ad tributorum receptores, quibus piceæ interdum manus ſunt. Deinde cum milites facti fuerint ex Capucinis, induent naturam militum; ſicut ceteri milites concutient colonum, & minis ac vi extorquebunt non pauca ultra victum ſuum & ultra tributum ipſorum causâ novum impoſitum. Rurſus igitur tam oppidani quam omnes alii cives venient, dicentque, nullum conſilium à politico fuiſſe ſuggeſtum; malle ſe Capucinos manere Capucinos quam fieri milites.

163. Religioſi mendicantes alunt multos laicos

Sed nos paucis oſtendemus, à mendicantibus iſtis religioſis rurſus multos alios laicos nutriri. Accede ad

illo-

illorum monaſteria, & videbis, quanti pauperes ab his pauperibus eleemoſynam & nutrimenta accipiant quotidie. Adde artificum numerum, quibus mercedem pro opificio pendunt. pauperes,

164. & divites,

Sed hoc parum videri poſſet; illud autem conſidera, in iſto mendicantium ordine eſſe permultos, qui aliquas & ſæpe multas divitias reliquerunt foris. Quis vivit ex illis, quæ hi reliquerunt? nempe ipſorum fratres, ſorores, nepotes & pronepotes. Hi Capucini facti victitant quotidie paucis numis, ut ſorores & nepotes vivant aliquot aureis. Hi ergo Capucini, hi mendicantes nutriunt illos divites, qui panem fratribus & cognatis Capucinis debitum large manducant. Hujus Capucini fuit illa hereditas, qua potuit vivere ſive domi ſive ruri. Idem eſt ergo, ac ſi Capucinus ille vel ejus monaſterium quotidie portionem illam mitteret ad fratres & ſorores Capucini, qua portione illi fratres & ſorores quotidie veſcuntur. ut fratres ſui vivant laute,

Concipe jam animo, inter mendicantes religioſos eſſe tantum ſextam partem talium, qui *annua centum* reliquerunt; & fac in aliqua republica eſſe ſex millia religioſorum mendicantium; *mille* ergo inter ipſos erunt, qui annua centum ſuis fratribus reliquerunt. Et hi quotannis *centum millia* florenorum vel aureorum impendere in fratres ſuos alendos vere dici poſſunt. Expenditur.

Sed ego jam, fateor, harum rerum laſſus ſum, & Lectorem meum dudum eſſe laſſum ſuſpicor. Ergo manum de tabula.

EXAMEN DECIMUM. SEPTIMUM.

AN SANA POLITICA EXIGAT, SACERDOTIUM SINE OPIBUS ESSE, VEL CUM PAUCIS TANTUM.

165. QUæ adhuc de opibus ſacerdotum dicta à nobis varieque verſata ſunt, ea videntur mihi rem conficere, atque probare, ſanam politicam id non exigere.

Sententia Politici *Silbonis.*

Politicorum Scriptorum multa hic poſſem proferre teſtimonia & argumenta, quæ longum eſſet legere. Deſcribam autem verba *Silbonis* Galli in libro *Miniſtre d'Etat*, ſive de Adminiſtro reipublicæ, ſeu Politico, Parte I. Lib: II. Diſcurſu XI. quæ etiam Limnæus de *Franciæ regno* deſcripſit & ſic interpretatus eſt: „ Quoniam „ Deus magnum iſtud opus redemptionis generis humani „ meditabatur, ac ipſemet volebat eſſe finis & medium „ felicitatis hominum, congruum erat, eccleſiam, quam „ fundare cogitabat, naſci pauperem : ac, ut mundus „ cognoſceret, opus hoc eſſe divinum, è re erat, illam „ creſcere mediis aliis quam divitiarum, quò de bonis „ triumpharet in paupertate, de ſublimitate in contem„ ptu, ac de ſapientia ſeculi in ignorantia rerum huma„ narum. Etenim ſi veniſſet in abundantia, ſi introitus „ ejus in mundum fuiſſet magnificus, ac doctrina quam „ ſecum ferebat ornatu Rhetorico & ſubtilitate philo„ ſophica reſplendens, nobis poſſet eſſe ſuſpecta. Nemo

„admi-

„ admiraretur progreſſus, quos fecit exiguo tempore, „ & quod ex angulo Palæſtinæ erumpens quaſi „ in momento perveniſſet usque ad extremitates or- „ bis, ac penetraſſet mundi illam partem, quæ à noſtra „ longiſſimis intervallis ſeparara. Nemini videretur in- „ ſolitum, quod avaritiæ dediti ad divitias properaſſent, „ ambitioſi ad ſplendorem, atque eloquentia ſimplices „ ad credulitatem pertraxiſſet. Famoſus ille impoſtor, „ quem perquam plurimi ſuſpiciunt, & cujus errores „ adhuc occupatas tenent duas tertias noſtri mundi „ partes, ſolus relictus fuiſſet, ſi paupertate laboraſſet; „ nec populos decepiſſet; niſi vi eos ſibi ſubjeciſſet. „ Neceſſe itaque erat, ut religio vere divina oſtenderet „ notas principii ſui, ut introduceretur *contra regulas* „ *prudentiæ humanæ*, ac conſtrueretur ex illis, *quæ eam* „ *deberent deſtruere.* Verum cum pro fine habeat „ amorem DEI & charitatem erga proximum, qua diſci- „ puli JESU Chriſti diſtingui debent à ceteris homini- „ bus, evenit, ut primi Chriſtiani bona ſua ad pedes „ Apoſtolorum detulerint atque ſe exuerint proprietate „ rerum ſuarum, quo illas communicarent aliis fratri- „ bus fidei Chriſtianæ. Non reſervabantur tamen hæc „ quæ collata erant, ut ærarii perpetui loco inſervirent „ ſed ſtatim dabantur aliis, & diſtribuebantur ſecundum „ menſuram qua illata erant, & ſecundum proportio- „ nem indigentiæ fidelium. Creſcente poſtea charitate „ cum numero eorum qui erant converſi, & ſic *in im-* „ *menſum auctis bonis, quæ quotidie eccleſiæ offereban-*

 tur,

„ *tur*, judicatum fuit commodum, reſervare oblata, ac „ diſtributionem redditnum inde provenientium ſufficien- „ tem eſſe ad ſuſtentationem paſtorum & ad ſubvenien- „ dum pauperibus. Hic ordo introductus fuit adhuc „ viventibus Apoſtolis, ut conjicere licet, aut certe „ paulo poſt eorum mortem. Deinde totum hoc æra- „ rium, quod unâ continebatur maſſâ, fuit diviſum in „ partes, atque portiones aſſignatæ illis, qui ſerviebant „ eccleſiæ, ac deſtinatæ ad alios uſus, ita, ne amplius „ unum redigerentur in corpus, aut iterum confunde- „ rentur. Perduravit ille ordo usque ad noſtra tempora; „ & ſive bonus ſive illicitus fuerit uſus bonorum eccle- „ ſiæ in manibus particularium perſonarum, eſt tamen „ ad minimum extra dubium, charitatem, quam exer- „ cuerunt collatores, fuiſſe pretioſam coram DEO, at- „ que eorum Zelum maxime meritorium. Præterea di- „ co, poſt ſeculum aureum Chriſtianismi & tempus il- „ lud beatum, ubi non ſciebatur niſi JESUS Chriſtus „ crucifixus, & ubi ex paupertate atque abjectione fi- „ delium ſurgebant miracula, *non fuiſſe inconveniens,* „ *Eccleſiam eſſe divitem*: Et quoniam deinceps media „ ſupernaturalia, quæ eccleſiam fundarunt, rara eſſe de- „ bebant inter homines, Deus quoque conſenſit, ut à „ rebus externis acciperet incrementa, quæ illam redde- „ rent magis venerabilem, & populum, qui ſolet fere „ reſpicere exteriora & ea quæ in ſenſus incurrunt, reti- „ nerent in debita reverentia. „ Hæc Silhonus.

Ad-

166. Alia ſententia Politici Silhonis.

Adjungere libet aliud ejusdem Politici judicium in eodem Diſcurſu XI. prolatum in hunc modum: „ Licet, „ inquit, reperiantur eccleſiaſtici vitioſi, propter divi- „ tias, & licet in pluribus licentia morum progeneretur „ ex abundantia bonorum, non inde tamen conſequi- „ tur eccleſiam bonis eſſe ſpoliandam. Hoc enim com- „ mune habent cum omnibus bonis rebus, ut à manu „ improba impendi in malos uſus poſſint. Deus non tol- „ lit formoſitatem, licet illa infirmis occaſionem præ- „ beat peccandi: Sacramenta non abolentur propterea, „ quod aliqui in illis committant ſacrilegia: ac nemo te- „ netur ſuos ſibi eruere oculos, ubi non ſtudent caſti- „ tati, ſed prohibitis objectis ſe mancipant, & curioſita- „ tati inhoneſtæ ſerviunt. Sunt inter eccleſiaſticos qui „ non eſſent corrupti, niſi eſſent divites. Sunt quoque „ inter eosdem, qui vitam agunt exemplarem & chari- „ tatis chriſtianæ plenam, quorum virtus in obſcuro la- „ teret, quorumque ſanctitas eſſet inutilis, ſi pauperta- „ te premerentur. At numerus (hoc objicitur) eccle- „ ſiaſticorum, qui abutuntur bonis eccleſiæ, ſuperat nu- „ merum eorum, qui illis recte utuntur: ac intentio illorum, „ qui bona iſta eccleſiæ obtulerunt, ſæpius negligitur „ quam obſervatur. Ad hoc reſpondeo: Poſito rem ita „ habere, non inde tamen infertur, eccleſiam ad man- „ ticam & incitas redigendam eſſe. Deus perfert ini- „ quitatem peccatorum & vitia hominum ob nonnullas „ actiones virtuoſas, quæ ab illis exhibentur: Sole ſuo il- „ luminat multitudinem nequiter viventium, propter ex-

„ exiguum proborum numerum qui ei decenter ſerviunt
„ Dediſſet veniam ſex millibus criminoſis Sodomæ &
„ Gomorrhæ, ſi in illis reperiſſet tantum tres innocen-
„ tes: nec fortaſſis diluvio, quod totum abſorpſit mun-
„ dum, tam ſeverum exemplum juſtitiæ ſuæ edidiſſet,
„ ſi vel decem tantum familias juſtorum tuliſſet orbis.
„ Sic habet ordo rerum; & providentiæ tenor nobis
„ perſuadet, non eſſe eccleſiæ adimendas divitias prop-
„ ter abuſum, cujus ſunt occaſio; quoniam eædem ſunt
„ cauſa multarum bonarum actionum, quæ in eccleſiâ
„ reſplendent: quoniam inſerviunt Charitati, quæ eſt
„ omnium Chriſtianarum virtutum præcipua. Et certe
„ ſi reverterentur illa bona in manus ſecularium, adhuc
„ magis noxie impenderentur, plus cauſarent noxæ &
„ minus boni quam nunc in manibus eccleſiaſticorum.„
Hæc Silhonus.

167. Sententia Politici Calviniani.

Politicus alius Acatholicus, tametſi aliter in ſua ſchola doctus, tamen poſtquam conſideravit omnium nationum religiones etiam falſas, reverſus ad ſe corrigit doctrinam quam in ſchola ſua didicerat, & fatetur, tam ad politicam quam ad ipſam religionem pertinere, ut in religionis externum ſplendorem fiant impenſæ. Is eſt jam ſuprà nominatus Anglus *Alexander ROSS* in libro de *Religionibus mundi.* In *Diviſione* enim *quinta* primo ſtatuit ſic: „ Religio eſt baſis ſupra quam quælibet res

Religio eſt baſis omnis reipublicæ.

„ publica eſt ædificata. Quamdiu baſis & fundamen-
„ tum firmum eſt, tamdiu domus manebit immobilis.
„ Verum ſi cæcus Samſon, ſi populus inſenſatus confi-
dit

„ dit in fortitudine ſua, & baſis illa religionis ſemel in-
„ cipit commoveri, ædificium totum regiminis rituba-
„ bit aut corruet, leges & diſciplina erunt penitus abo-
„ litæ. Huius rei exempla afferri poſſunt omnium ſecu-
„ lorum, ad oſtendendum, Statum ac Religionem eſſe
„ inſtar gemellorum Hippocratis, qui ſimul vivunt ſi-
„ mul moriuntur. Quamdiu religio in Judæa floruit,
„ pariter floruit res publica; una deficiente cecidit &
„ altera. Juda & Israël non fuere abducti in captivitatem
„ ante quam ipſi religionem infra pedes abjeciſſent.
„ Fortitudo Samſonis erat in capillis ejus: fortitudo rei
„ publicæ eſt in ipſius religione. Abſcinde hanc, &
„ Philiſtæi invaleſcent, ridebunt & ludibrio habebunt
„ quamvis potentiſſimam rempublicam, illamque ſubji-
„ cient. Hæc eſt Palladium, quo ſemel ablato urbs
„ quamvis munitiſſima prodi poterit hoſti: Imperium
„ Græcorum non deveniſſet ex Palæologorum manibus
„ in manus Turcorum, ſi religio chriſtiana firma perman-
„ ſiſſet Conſtantinopoli. - - Cicero confitetur, in-
„ ſtrumenta, quibus Romani ſubjecerunt orbem, non
„ fuiſſe robur & conſilium ſed religionem & pietatem.
„ Eaque de cauſa *Senatores ac populus Romanus cordi*
„ *habebant, adoleſcentes ſuos mittere in Hetruriam,*
„ *quæ illo tempore erat Academia religionis Romanæ,*
„ ut ibi inſtruerentur in fundamentis omnium illarum
„ ſacrarum & multarum ſcientiarum. Hac quoque de
„ cauſa Mecœnas apud Dionem Caſſium Lib. III. hoc
„ conſilii ſuggerit Auguſto, *Promoveret omnibus modis*

U *atque*

„ *atque omni tempore ſervitium divinum, idque juberet*
„ *etiam alios facere, neque pateretur irrepere ullam no-*
„ *vitatem aut mutationem in religione; cum ex hoc non*
„ *niſi conjurationes, ſeditiones & conſpirationes naſcan-*
„ *tur.* Religio eſt munimentum legum & auctoritatis,
„ teſte Platone: hæc eſt vinculum totius ſocietatis hu-
„ manæ, fons juſtitiæ & fidelitatis. Ubi hoc munimen-
„ tum prorueris, hoc ruperis vinculum, hunc fontem
„ occluſeris, poteris dicere: Valete leges, auctoritas,
„ unio, juſtitia, fides valete. „

168. Juventus nobilis in academiis heterodoxis quid diſcat?

Hæc ille. At multi ab aliquo tempore Nobiles Catholici filios ſuos miſêre non Romam aut alium in locum ubi in religionis fundamentis firmarentur, ſed ad religionis Catholicæ hoſtes, ut ibi perperam dictum jus naturæ, ſive ſub larva juris naturæ abſconditam hæreſin aliaque principia ad catholicum ſtatum ſubruendum idonea diſcerent: ut diſcerent *auctoritatem* ad rem publicam tantopere neceſſariam præ tumida ſua *ratione* contemnere & averſari.

169. Sine externa impenſa religio languet.

ROSSIUS deinde proſequitur commentationem ſuam, & à ſe dicta multis rationibus confirmat, quas exſcribere longum eſt: & ſunt hæc aliàs ſatis nota. Laudat deinde externum in religione ſplendorem & addit:
„ Obſervo, ubi deſunt cerimoniæ exteriores, ibi valde
„ parum eſſe reverentiæ ac zeli: & ubi fiunt impenſæ
„ etiam ad exteriora religionis, ibi ſe manifeſtat aliquis
„ religionis amor, ſicut Salvator noſter teſtatur, Mariam
„ Magdalenam plus diligere quam Simonem idque hoc
argu-

„ argumento probat, quod illa pedes ſibi laverit, capil-
„ lis terſerit, oſculata fuerit, unxeritque pretioſo bal-
„ ſamo quorum nihil fecerit Simon. „

Ad extremum quærit Roſſius idem: „ Quodnam fuit „ præcipuum fulcrum omnium religionum omni tempo- „ re? „ Et reſpondet: „Gloria, ſuſtentatio & augmentum „ ſacerdotii. Quippe quanto tempore ſacerdotium in „ honore eſt, tanto æſtimatur etiam ſervitium divinum: „ contempto ſacerdotio, vilipenditur ſervitium divinum: „ & tunc ſequitur Atheiſmus & Anarchia. Hoc enim „ advertentes ſapientes beneque conſultæ reſpublicæ „ omni tempore valde ſollicitæ fuerunt, ad alendos, ho- „ norandos promovendosque religionis miniſtros. Sicut „ enim niſi miniſtris rei publicæ concedatur poteſtas, ſuſten- „ tatio & honor, neceſſe eſt omne regimen omnemque „ obedientiam labefactari; ſic idem fiet in aliqua ſocie- „ tate, ubi ſacerdotii ratio exigua habetur. Legimus „ propterea, quam immodica ſuſtentatio à Judæis con- „ ſtituta fuerit ſacerdotibus & Levitis; quantum honorati „ æſtimatique fuerint à populo; & quomodo magnus „ ſacerdos non minus imo plus honoris acceperit quam „ Rex; cùm alterum ornaverit corona, alterum mitra, & „ uterque unctus fuerit. Invenimus apud paganos ſa- „ cerdotium ita magni factum fuiſſe, ut princeps deſide- „ raret honorari nomine & officio ſacerdotis: &c. „ Hanc ob cauſam ſacerdotes geſtabant coronam æque

170. Ejusdem Calviniani ſententia.

Fulcrum religionis eſt ſuſtentatio & augmentum ſacerdotii.

apud Hebræos,

& gentiles

Romanos maxime, „ ac imperatores &c. Omnes ſacerdotes apud Romanos erant exempti à vectigalibus, à militia, & à muniis civilibus. Pontifex maximus Romæ, ſicut Dionyſius teſtatur, certa ratione majori quam imperator prærogativa gaudebat: nec tenebatur rationem reddere à ſe geſtorum, neque Senatui neque populo. Et Cicero in oratione Pro Domo ad Pontifices agnoſcit, omnem magnitudinem & dignitatem reipublicæ ſitam eſſe in conſervatione, vita, & libertate omnis generis civium, & religionem deorum pendere à magnis ſacerdotibus. Mahumetanos, Inter Mahometanos nullus Muſulmannorum audet ſibi arrogare appellationem *Domini*, excepto Caliphe ſeu magno ſacerdote ſolo: & minimum ſacerdotum injuria quadam afficere, hic crimen eſt deteſtabile. Sacerdotes Martis, *Salii* dicti Romanis, tali erant in dignitate, ut inter eos nemo niſi patricius aſſumeretur, aut genere nobilis. Tyrios, Tyri ſacerdotes induebantur purpura & primo poſt regem loco erant. Germanos, Apud Germanos olim arbitrium & poteſtas criminoſos plectendi nemini præter ſacerdotes competebat. Tralios, *Tralii* nemini permittebant honorem palatii rege excepto & magno Sacerdote. Ægyptios, Apud Ægyptios ſoli Philoſophi ſacerdotes erant, & ex ſacerdotibus oportebat regem deligere: Mercurius Triſmegiſtus ſeu Termaximus hinc dictus eſt, quod tres ſummos magiſtratus gereret nimirum philoſophi, ſacerdotis & regis. Phœnices, Phœnicum ſacerdotes ſoli honore gaudebant deportandi poderem auro purpuraque diſtinctum, & in capite co-

„ ronam

„ ronam auream quam gemmæ diſtinguebant. Romæ
„ *flamen Dialis* ſive ſacerdos Jovis tanta erat auctoritate,
„ ut ejus ſimplex verbum vim jurisjurandi haberet, ipſius-
„ que præſentia pro ſanctuario eſſet: ſi quis reus ad ipſum
„ confugiſſet, in hac ſaltem die puniri non poterat: ea-
„ dem flamen, qua conſul, auctoritate pollebat, habitu-
„ que conſulari incedebat. Cumque nemini eſſet con-
„ ceſſum in Capitolium deportari in lectica, præter Pon-
„ tificem & ſacerdotes, apparet hinc, quanta eſſet ſacer-
„ dotii reverentia veteri Romæ. - - Apud Judæos
„ Heli & Samuel judices erant & ſacerdotes. Levitæ
„ quoque ſicut judices erant, eorum verbo omnes lites
„ dirimebantur: Deuter. XXI. Tempore Davidis ſex mil-
„ lia Levitarum erant judices. 1. Paralipom. XXIII. Et poſt
„ captivitatem aliqui ſacerdotum erant reges in Juda. In
„ eccleſia chriſtiana videmus quo in honore omni tem-
„ pore ſint habiti eccleſiaſtici. A Scriptura appellantur
„ *Patres*, *legati*, *amici Dei*, *homines Dei*, *Prophetæ*,
„ *Angeli* &c. Tertullianus libro de pœnitentia mon-
„ ſtrat, in primitiva eccleſia ſolitos fuiſſe pœnitentes pro-
„ ſternere ſe ante pedes ſacerdotum ſuorum; & aliqui ſcri-
„ bunt, conſueviſſe eos, ſacerdotum pedes exoſculari &c.
„ Verbo, Religio floret & defloret cum ſuis ſacerdotibus
„ & miniſtris, & vivunt moriunturque ſimul ut duo ge-
„ melli Hippocratis. Quamdiu ſacerdotibus paganis
„ conſervata eſt ipſorum ſuſtentatio, & honor tamdiu du-
„ ravit ſuperſtitio, etiam tempore Chriſtianorum impera-
„ torum: quamprimum vero Theodoſius his alimenta
ſub-

iterum Romanos,

iterum Judæos,

Chriſtianos veteres.

Religio *floret ac defloret* cum ſuis ſacerdotibus. ſimul vivunt, ſimul moriuntur.

Argumentum Experimentale. Religio ſervat rem publicam: Religionem ſervant ſumtus in ſacerdotiũ. Ergo rem publicam ſervant opes ſacerdotii. Sana igitur politica non exigit ſacerdotium pauper fieri. Falluntur igitur politici.

„ ſubduxit, Paganiſmus continue evanuit & extinctus eſt „ in modum Lychni conſumpto oleo emorientis.

Sic igitur ratiocinatur eruditus hic Anglus: Reſpublica ordinata conſiſtere non poteſt ſine religione ſaltem imaginaria & ficta quæ tamen pro vera habeatur; idque experientia omnium ſeculorum probatum eſt. At Religio ipſa conſiſtere nequit ſine impenſa in ſacra & ſine ſacerdotum honore; idque rurſus certum experientia fecit. Ergo res publica conſiſtere nequit ſine impenſa in ſacra & ſacerdotes. Sana itaque politica non exigit, ut ſacerdotium pauper ſit, ſed ut dives, maxime ſi divitiæ illæ rurſus redundant in publicos & privatos civium uſus. Ergo falſi ſunt illi politici, qui ex ſchola Puffendorffii & aliorum heterodoxorum juris naturæ ſic dicti Doctorum nihil fere aliud politicum didicerunt, quam ſacerdotii deſolationem.

171. Deinceps ſenſus communis gentium oſtendetur.

Sed quoniam duo poſſet aliquis quærere *primum*, utrum revera experientia doceat, gentes neceſſarias agnoviſſe impenſas tales? *ſecundo* an eodem ſenſu communi tam magnæ debeant eſſe impenſæ? operæ pretium me facturum exiſtimo, ſi ipſa gentium exempla ex omni tempore & loco produxero in medium. Legetur hoc à quibusdam non ſine voluptate, ab aliis etiam cum ſtupore. Ii qui hæc jam antè intellexerunt, hinc tamen voluptatem forte ingenuam capient hanc, ut recte ſe ſenſiſſe cum tot populis gaudeant. Proferam igitur magna teſtimonia maximorum in orbe populorum: quæ plus habebunt, niſi plane Davus ſum ego, ponderis quam pauci juvenes politici, Pufendorffii Tyrones, & Lutheri.

PARS SECUNDA

QUIS FUERIT *SENSUS COMMUNIS* ET *USUS COMMUNIS* OMNIUM FERE POPULORUM,

CIRCA OPES

IN RELIGIONEM ET SACERDOTIA IMPENDENDAS?

TESTIMONIUM PRIMUM

SACERDOTII FACULTATES IN RE PUBLICA POPULI HEBRÆI.

Quantum ejus fieri poteſt, brevis hic eſſe laboro. 172.
Sed vel ſic mihi perſuaſum eſt, viris pſeudo-politicis hæc forte lecturis longam viſum iri moram, neque hæc lecturos ſine ſtomacho, quem ne in ſacerdotium eo amplius exonerent metuo.

Paucis hic

Neque

non tam de poteſtate ſacerdotii, quam de opibus dicetur.

Neque hic dicam de ſumma rerum poteſtate, quæ apud Pontificem tanquam populi principem fuit, ſed de facultatibus tantum & ſubſtantia corporibus ac familiis ſacerdotum attributa, & pauca de donariis in templum & Dei locum.

ſine auxeſi,

Neque dicam hic omnia quæ in ſacerdotum penum illata ſunt. Neque exaugebo rerum multitudinem ac vim, ſed data opera calculis utar modicis, atque ita, ut Tu, lector pie, facile multis locis alterum tantum addere poſſis ad ſummam à me ſubductam.

Quid porro ſacerdotio ceſſerit, uno obtutu diſce ex verbis Domini Numeror. XVIII. v. 8. ſeqq. „ Locutusque Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi cuſtodiam primitiarum mearum. Omnia, quæ ſanctificantur à filiis Israël, tradidi tibi & filiis tuis pro officio ſacerdotali legitima ſempiterna. Hæc ergo accipies de his, quæ ſanctificantur & oblata ſunt Domino. Omnis oblatio & ſacrificium & quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi, & cadit in ſancta ſanctorum, tuum erit & filiorum tuorum. In ſanctuario comedes illud: mares tantum edent ex eo, quia conſecratum eſt tibi. Primitias autem, quas voverint & obtulerint filii Israël, tibi dedi, & filiis tuis ac filiabus tuis perpetuo, qui mundus eſt in domo tua, veſcetur eis. *Omnem medullam olei, & vini ac frumenti*, quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi: Univerſa frugum initia quas gignit humus, & Domino deportantur cedent

in

„ in uſus tuos: qui mundus eſt in domo tua veſcetur eis:
„ Omne quod ex voto reddiderint filii Iſraël tuum erit.
„ Quidquid primum erumpit è vulva cunctæ carnis,
„ quam offerunt Domino, ſive ex hominibus ſive de pe-
„ coribus fuerit, tui juris erit; ita duntaxat, ut pro ho-
„ minis primogenito pretium accipias, & omne animal
„ quod immundum eſt, redimi facias, cujus redemptio
„ erit poſt unum menſem ſiclis argenti quinque, pondere
„ ſanctuarii. - - In terra eorum nihil poſſidebitis, nec
„ habebitis partem inter eos. Ego pars & hereditas tua in
„ medio filiorum Iſraël. Filiis autem Levi dedi omnes de-
„ cimas Iſraëlis in poſſeſſionem pro miniſterio quo ſerviunt
„ mihi in tabernaculo fœderis. - - Nihil aliud poſſidebunt,
„ decimarum poſſeſſione contenti, quas in uſus eorum &
„ neceſſaria ſeparavi.

Hoc autem ordine rem omnem exſequar & dilucide ante oculos ponam. Ordo dicendorum

1. de *Civitatibus* Sacerdotum & Levitarum agam.
2. de *Primitiis.*
3. de *Decimis.*
4. de *Sacrificiis.*
5. de *Feſtis.*
6. de *Lepræ* judicio.
7. de *Purificationibus.*
8. de *Oblationibus.*
9. de *Votis*

10. de *Redemptione animæ.*

11. de *Donariis templi.*

1) DE CIVITATIBUS SACERDOTUM ET LEVITARUM.

173. Levitis nulla pars hereditatis in terra addicta.

Equidem in libro Numerorum & libro Deuteronomii ſæpe divinus ſcriptor repetit, Levitas nullam partem hereditatis in terra ſancta accepiſſe, & propterea illis adjectos eſſe proventus ſacrificiorum, decimarum, votorum, ut peccata populi ipſi portarent, & Dominus eſſet pars ipſorum.

quomodo hoc intelligatur?

Verum ùt hoc intelligat ſacer Hiſtoricus, alibi manifeſte prodit: Nimirum, ceteris undecim tribubus totam terram promiſſionis diſtributam iri per ſortes & funiculos: Tribum autem Levi non miſſuram ſortem cum reliquis, neque partem terræ ſeparatam à reliquis tribubus accepturam eſſe, ſicut tribus Juda acceperat ſuam ſeorſim, Nepthali ſeorſim, & ſic porro.

Levitæ habitabant mixti per reliquas tri us

Sed Deus Levitas non voluit uno loco aut provincia ſeorſim habitare, voluit autem eos habitare ceteris tribubus ita permixtos, ut quælibet tribus in medio ſuo haberet aliquas civitates ad Levitas pertinentes, & Deo ſacratas.

Totum vero hoc & ob Dei honorem, & ob animarum ſalutem & ob commodum ſacerdotii, denique etiam ob commodum ipſius populi ſeu reipublicæ terrenæ fuit inſtitutum.

Dei

Dei honori ita fuit conſultum: Quodſi enim Levitæ omnes à reliquis ſeparati habitarent in regione remota à ceteris, facile Dei obliti fuiſſent populi: ſicuti noſtri facile obliviſcerentur, ſi omnes ſacerdotes tantum habitarent in Italia. Levitæ autem & ſacerdotes quotidie obvii in ſingulis tribubus quotidie hortari, monere, corripere, Dei timorem docere, ad dandam Deo gloriam impellere poterant. Et ipſe aſpectus urbium Deo conſecratarum, hoc eſt Dei cauſa donatarum, admonebat Iſraëlitas officii ſui ac Dominii ſupremi Dei: quemadmodum hodie ipſe aſpectus collegiorum & monaſteriorum admonet non perverſos. ob DEI honorem.

Animarum ſaluti id profeciſſe ſolus negaverit irreligioſus homo ac carnis ſolius mancipium. Quid enim ſalubrius, quam aſſiduum ac perpetuum habere monimentum & adminiculum ad Dei memoriam, metum, amorem, & ad peccati abſtinentiam. ob animarum ſalutem.

Commodum id erat ſacerdotibus: primum ut meliora quæque, quæ Deus præcepit ipſis tribui, ſic facilius perciperent quam ſi in unum angulum compacti eſſent. Sic etiam facilius contrahebant decimas, primitias ceteraque. Sic commodius doctrinæ ac diſciplinæ ceterorum vacabant, quam ſi longis itineribus proficiſci ad plebem debuiſſent. Sic etiam magis diligebantur à ſingulis tribubus ii Levitæ qui in ipſa tribu acceperant civitates. Amplectebantur enim populi hos tanquam ſuos proprios cuſtodes, paſtores & patres; quemadmodum ob commodum ſacerdotii:

 hodie

hodie ſingulæ parochiæ ſuos paſtores tenerius amant, quam alienos, tametſi æque ſint ſacerdotes & religioſi ac pii. Nihil enim majore ſollicitudine quæſivit Deus, quam ut ſacerdotibus & Levitis bene eſſet & ut ii majorem in modum colerentur atque diligerentur. Lege Scripturam invenies me nihil adaugere.

ob commodum populi.

Quin id commodum populo fuerit, dubitare nos vetat vel ruſtica noſtra plebs, quæ tam eſſe ſolet petax, ut in quovis vico & villa mallent ſibi ab Epiſcopo dari ſacerdotem, cujus ab ore pendeant, & in quem peccata portanda conjiciant.

174. Civitates totius Iſraëlis.

Igitur de civitatibus terræ ſanctæ quas circiter *centum* atque *quinquaginta* numero in libro Joſue, maxime Cap. XV. & ſequentibus: ex his inquam civitatibus Levitæ acceperunt civitates *quadraginta octo*, quæ enumerantur in eodem libro Joſue cap. XXI.

Nos, ne quiddam augeamus, & ut computationem lectori faciliorem reddamus, numeris utemur rotundis.

fuerint *ducentæ*, è quibus Levitæ habuere 50. ſive quartam partem civitatum.

Ponimus igitur totius populi fuiſſe civitates *Ducentas*: Levitarum vero ex his *quinquaginta* civitates.

Quodſi jam omnes civitates diſcernas in aliquotas partes æquales, & quidem in partes quatuor, ſingulæ quaternæ partes habebunt civitates quinquaginta. Levitæ ex quatuor partibus acceperunt partem unam, hoc eſt civitates *quinquaginta*, totus reliquus populus accepit partes tantum tres civitatum, hoc eſt civitates *centum quinquaginta*. Civi-

Civitatibus numeratis ineamus jam numerum poſ- Inito numero populi,
ſeſſorum. Omnis reliquus populus numerabat viros à viginti annis *ſexcenta millia:* & hi acceperunt civitates *centum quinquaginta.* Calculo ſubducto, ſingulis civitatibus populi congruebant viri *quater mille* hunc in modum:

viri - - 600000 ⎰ 4000 viris obtigit una civitas.
civitates 150

Ineamus jam numerum etiam Levitarum. Illorum & numero Levitarum,
fuere, numero rotundo, *viginti millia* viri.

Viginti millia viri in civitates ſuas quinquaginta æquis portionibus diſtributi, conveniunt uni civitati tantum viri *quadringenti* hoc modo:

Levitæ - 20000 ⎰ 400 viri pro una civitate.
civitates 50

Proportio quadringentorum ad quater mille eſt ſub- apparet Levitas decuplum accepiſſe præ populo.
decupla. Quoniam igitur quater mille populares acceperunt tantum quantum, quadringenti Levitæ, conſequitur mille populares accepiſſe tantum, quantum accepere centum Levitæ: & centum populares accepere, quod decem Levitæ; ac denique decem populares accepere nonniſi id quod accepit unus Levita: ſive *unus* Levita accepit tantum quantum *decem* populares, idque tantum in civitatibus: etiamſi nihil aliud accepiſſent, cum tamen acceperint plurima eaque optima, & *medullam*, ut loquitur divinus ſpiritus.

275. Politicos noſtros in rabiem vertit talis diviſio.

Si noſtra ætate diviſio fieret talis, & in conſilium adhiberetur Puffendorffius, Wolffius, Pſeudoque politici, &c. quantum illi ſe excruciarent! certe veſtimenta ſua ſcinderent, capillos vellerent, & exclamarent: *BLASPHEMAVIT.* Quid diceret *ſpiritus legum?* *C'EST TROP* clamaret: hæc diviſio non tantum *fatigat* ſocietatem ſed plane enecat. Homo factus eſt ad ſe nutriendum, veſtiendum, & omnes actiones vitæ humanæ edendum, excepta contemplatione. Iſti autem homines decuplo plus ceteris ad ſe rapiunt: ſoli volunt vivere: *atterendæ* ſunt eorum opes: *barbarum* eſt, ſacerdotes *aliquid* in ſocietate valere, ne dicam valere tam enormiter.

C'eſt trop.

Puffendorffius autem, credo, etiam manum injiceret Joſuæ, & ignorantem juris naturæ penitus dixiſſet. Inſpiceret Joſue jus naturæ Puffendorffianum, ibi eum intellecturum, hæc inſtituta ſacerdotum ad ſocietatem civilem plane nihil facere, atque ideo jure naturæ obſtringi Joſuam ad hoc bipedum genus extinguendum. Quid enim ad ſocietatem civilem & ad commoda hujus tantum vitæ pertineat, Levitas thus pretioſum concremare in templo, quo potuiſſent Gynæcei cubicula perfumari? Quid profit templa boatibus implere & tubis, tympanis, organis, cymbalis, pſalmis facere ſtrepitus? quibus organis potuiſſet miles ad pugnam accendi, aut ſatrapæ conjugi conciliari dulcis ſomnus? Quam porro irrationale eſt tot hircos, tot agnos, arietes, boves, turtures aræ rogoque

que imponi ac penitus in cineres comburi, quo paſci tot ventres maximo commodo potuiſſent? Profecto apparet, ſacerdotum genus inſtitutum eſſe ad perdendum & diſſipandum: & Tu Joſue *decuplo* illos honore civitatum auges, præ tanto populo in ſudore vultus ſui comedente panem arctum? Inſanire Joſuam diceret Samuel. Quid de Samuele Puffendorffio dicendum ſit, alii judicanto.

Talia vero hisque ſimilia docere Puffendorffium ac ſpiritum legum, alibi nos oſtendimus.

Neque mihi dicat quiſpiam, Levitis datas fuiſſe civitates deteriores & tenuiores. Non enim permiſiſſet Joſue ſervus Dei violari hic præceptum Dei, qui præceperat; ex omnibus rebus ſacerdotio dari *optima* tantum, tanquam *partem Domini.* 176. Levitis datæ civitates meliores,

Manifeſtum id fit ex capite XIV. Joſue. *Caleb* vir juſtus, qui præter Joſuam ſolus meruit in terram ſanctam venire, eo quod dixerit verum, quando ad explorandam terram miſſus fuerat ante annos quadraginta. Hic igitur vir ob fidem ſuam haud dubie accepit partem ſatis opimam præ reliquis popularibus. *Calebo* ergo *benedixit* Joſue, & petenti *dedit Hebron in poſſeſſionem, quia ſecutus eſt Dominum.* v. 13. Hæc quidem gratia de Hebron ſingularis facta eſt Calebo de ſexcentis millibus homini uni: ut neceſſe ſit, Hebron ipſam cum oppidis ſuis & villis aliquid præcipuum fuiſſe, quod homini tam fideli electoque ſoli tribueretur.

Ita

aliorum ſanguine expugnatæ

Ita tamen hæc gratia facta Calebo eſt, ut non mox junctis poſitisque in ſinum manibus in eam immitteretur. ſed bellandum fuit, ſanguis animaque exponenda ſuorum, & hoſtis pertinax de gigantibus ducens genus, ejiciendus fuit. Joſue cap. XV. v. 14. & Judicum cap. I. v. 20.

Jam deinde, cum ſanguine proprio, ac jure belli (quod ſolum pſeudopolitici ſanctum agnoſcunt) acquiſita eſſet Calebo hereditas tam opima, quid fit? *De tribubus filiorum Juda & Simeon dedit Joſue civitates, quarum iſta ſunt nomina, filiis Aaron per familias Caath Levitici generis (prima enim ſors illis egreſſa eſt) Cariatharbe patris Enac, quæ vocatur HEBRON in monte Juda, & ſuburbana ejus per circuitum. Agros vero & villas ejus dederat Caleb.* Joſue cap. XXI. v. 9. ſeqq.

Idem igitur Joſue, qui optimo viro Calebo conceſſerat optimam partem terræ Judæ ab ipſomet Calebo electam, eandem partem expugnatam & ab hoſtibus penitus liberatam per Calebum, aſſignavit in hereditatem perpetuam filiis Aaron ſacerdotis ſummi.

177. Civitates Levitarum erant in perpetuam hereditatem datæ,

Erit forte, qui ſibi perſuadeat, civitates iſtas ita tantum datas eſſe ſacerdotibus, ut nudo duntaxat habitationum illarum uſu gauderent, quemadmodum Patres noſtri Capucini.

Equidem hoc certum eſt, quidquid aſſignatum eſt Levitis id revera in *ſorte Domini* & in proprietate Dei fuiſſe numeratum, ut Deus ipſe multis locis Levitici, Numero-

merorum, Deuteronomii conteſtatur. Atque hoc ſenſu Levitas potius fuiſſe adminiſtratores, eo fere modo, quo nunc Prælati ſunt adminiſtratores prædiorum eccleſiaſticorum. Nihilominus proprietas civitatum ad ipſos Levitas eorumque familias pertinebat *jure hereditario* ac *perpetuo.*

Namque Levitarum ædes non quomodocunque illis propriæ erant, ſed inſolubili vinculo ipſis obſtrictæ. Audiamus quod diſcrimen ſtatuerit Dominus inter ædes Levitarum atque ædes popularium. Levitici cap. XXV. ſtatuitur annus ſabbaticus & jubilæus ſive quinquageſimus. In anno igitur Sabbatico ſive ſeptimo quovis *Qui vendiderit domum intra urbis muros habebit licentiam redimendi donec unus impleatur annus. Si non redemerit, & anni circulus fuerit evolutus, emptor poſſidebit eam & poſteri ejus in perpetuum, & redimi non poterit etiam in jubilæo. ÆDES LEVITARUM, quæ in urbibus ſunt, ſemper poſſunt redimi: ſi redemptæ non fuerint, in jubilæo revertentur ad dominos, quia domus urbium Levitarum pro poſſeſſionibus ſunt inter filios Iſraël. Suburbana autem eorum NON VENEANT, QUIA POSSESSIO SEMPITERNA EST.* vers. 29. ſeqq. neque alienari poterant,

Quapropter non tantum domini urbium & ſuburbanorum erant Levitæ, ſed ſempiterni: eorumque poſſeſſiones *alienari* nunquam poterant: & ex poſſeſſionibus ædes utcunque venditæ, omni tempore poterant

 redimi,

redimi, ac demum etiam non redemptæ gratis redibant ad dominos in quovis anno jubilæo: ita ut, ſi hoc anno vendita domus eſſet, & annus inſequens eſſet jubilæus; domus jam tum deberet ſine lytro reſtitui. Neque attendebatur Puffendorffius forte clamans, contra ſuum jus naturæ hoc eſſe. Puffendorffius enim jus naturæ ſcribat *ſuis* civitatibus, ſi quas habet, Deus etiam ſcribit jura & ſuis civitatibus & Puffendorffii, quæ nullæ eſſent, niſi Dei eſſent.

178. Civitatibus adjecta ſuburbana.

Denique autumabit alius, nihil præter aridas civitates datum fuiſſe Levitis, nulla, quæ aliquid valerent, adjecta pomœria. Accipe. Numerorum cap. XXXV. verſu ſecundo ſic locutus eſt Dominus ad Moyſen: *PRÆCIPE filiis Iſraël, ut dent* Levitis *de poſſeſſionibus ſuis urbes ad habitandum & ſuburbana earum per circuitum, ut ipſi in oppidis maneant, & ſuburbana ſint pecoribus ac jumentis: Quæ à muris civitatum forinſecus PER CIRCUITUM MILLE PASSUUM ſpatio tendentur: contra orientem duo millia erunt cubiti: & contra meridiem ſimiliter erunt duo millia: ad mare quoque, quod reſpicit ad occidentem, eadem menſura erit, & ſeptentrionalis plaga æquali termino finietur, eruntque urbes in medio, & foris ſuburbana.*

Amplitudo ſuburbiorum expenditur.

Quantum id ſit ſpatii faciam comprehendere etiam Geometriæ & Algebræ ignaros. Faciam autem figuram cujuslibet pomœrii eſſe *quadratam*, ad hoc tantum ut facilior ſit cuivis calculus.

Sta-

Statuatur igitur in medio urbs Levitica, eaque concipiatur ſine ulla magnitudine inſtar puncti A.


Ab A. verſus B ſint cubiti bis mille, ſive paſſus communes bis mille.

Ab A. verſus D. item verſus C, & E. itidem ſint cubiti ubique bis mille: ut præcipit ſcriptura.

Ex his conſurget quadratum promœrium B, C, D, E. cujus ſingula latera ſint 4000. cubitorum ſeu paſſuum communium. Longitudo 4000. cubiti, latitudo item 4000 cubiti.

Conſtat autem, ſi longitudo ac latitudo in ſe ducantur, ſeu altera per alteram multiplicetur, productum multiplicationis eſſe aream quadrati, ſive productum exprimere numerum cubitorum quadratorum in tota area pomœrii comprehenſorum.

Fig. I.



--longitud. 4000 cubiti
--latitud. 4 000

productum areæ 16000 000 cubiti quadrati

Jam ſi 4000. multiplicas per 4000, productum inde facit numerum 16000000 hoc eſt ſedecim milliones cubitorum quadratorum.


Eſt autem cubitus quadratus ſpatium terræ, quod baculo ante pedes facile deſcribere potes: arrepto enim

baculo deſcribe in arena lineam longam cubitum ſive ulnam unam. Super hanc lineam erige rectà aliam à termino lineæ dextro, itidem longam cubito uno; & aliam à termino lineæ ſiniſtro erige itidem longam uno cubito. Deinde extremitates utriusque poſterioris lineæ conjunge linea ducta quarta; & habebis ſpatium cubiti quadrati his quatuor lineis clauſum.

179. *Aliter expenditur amplitudo ſuburbanorum.*

Sunt autem, qui tantum Arithmeticæ forte non callent, ut 4000 ſciant multiplicare: his ego digito monſtrabo quomodo in hoc pomœrio comprehendatur *ſedecim milliones* cubitorum quadratorum.

Figura II.



Sit deſcriptum quadratum pomœrium B, C, D, E, ita ut ex centro A ad omne latus pateant duo millia cubitorum.

Puncta diviſionum 1, 2. 1, 2. 1, 2. 1, 2. conjunge lineis transverſis, ita ut ope harum transverſarum linearum conſtituantur quadrata minora: Quæ quadrata minora ſi numeres, comperies eſſe *ſedecim*.


Dico,

Dico, quodlibet horum quadratorum minorum continet in ſe *unum millionem* cubitorum quadratorum, ut ſint in omnibus quadratis ſimul computatis *cubitorum milliones ſedecim.*

In ſingulis quadratis unum millionem cubitorum comprehendi facile eſt intelligere. Nam accipe præ te quadratum unum ex illis ſedecim.

Conſidera inferius latus A, B, diviſum eſſe in decem quadrata parvula. Horum ſingula debent valere & indicare centum cubitos *in longum* ac *centum cubitos in latum:* centies autem centum ſunt cubiti *decem millia* quadrati, quæ decem millia continentur in uno tali parvulo quadrato.

Figura III.



Longitud. decies centum i. e. 1000

Sunt autem in illa ſerie inferiori ab A verſus B decem talia quadratula. Igitur tota ſeries A B continet decies decem millia, hoc eſt centum millia.

Jam tandem conſidera ab A verſus C reperiri decem tales ſeries. Una ſeries valet centum millia, ut mox oſtendimus: Decem ergo ſeries valent decies centena

millia. *Decies autem centena* millia idem ſunt quod *mille millia* ſive *unus millio.*

Igitur digitis demonſtratum eſt, ſingula quadrata ex illis ſedecim figuræ ſecundæ valere unum millionem: ita demum totum illud quadratum majus figuræ primæ & ſecundæ valet *ſedecim milliones cubitornm quadratorum,* quod eſt *pomœrium unius urbis Leviticæ.*

180. Unum ſuburbanum continebat *viginti quinque milliones,* paſſuum quadratorum.

Verum in hoc computo ſuppoſuimus, urbem ipſam nihil eſſe niſi punctum, & omni extenſione carere. Quod cum ſit impoſſibile, ſupponamus jam urbem Leviticam eſſe quadratam & longam *cubitos mille*, latam etiam *cubitos mille.* Quod ſane non eſt nimium, & credibile eſt, non paucas urbium Leviticarum habuiſſe majorem extenſionem. Supponamus autem mille cubitos longitudinis & mille latitudinis. Ex hoc conſequetur, pomœrium unius talis urbis non jam *ſexdecim milliones* cubitorum complecti, ſed omnino *viginti quinque milliones* cubitorum quadratorum, quod in figura oſtendo;

Figura IV.

1	2	3	4	5
6	7	8	9	10
11	12	urbs	13	14
1	16	17	18	19
20	21	22	23	24

Vides hic in medio urbem quæ ſupponitur lata & longa cubitos mille.

Vides ab omnibus quatuor partibus pomœria protendi cubitis bis mille.

Vides

Vides etiam hinc conſurgere figuram continentem quadrata minora viginti quatuor ſuis numeris inſignita. Vigeſimum quintum autem quadratum eſt ipſa planta urbis.

Supra autem docuimus ac monſtravimus, ſingula talia quadrata minora valere *unum millionem* cubitorum quadratorum.

Quapropter denique evidens eſt, pomœrium unius urbis Leviticæ continuiſſe *viginti quinque milliones cubitorum quadratorum*, comprehenſo ſimul lecto urbis.

Fuere autem (numero rotundo) civitates Leviticæ *quinquaginta*.

Suburbana omnium civitatum Leviticarum continebant *mille ducentos & quinquaginta milliones* paſſuum quadratorum.

25 000 000
5 0
1,250, 00 0, 000

Quinquageſies repetiti viginti quinque milliones efficiunt inſignem numerum cubitorum quadratorum, ut vides in ſchemate multiplicationis. Nimirum *mille ducentos quinquaginta milliones* cubitorum quadratorum.

Mille milliones & inſuper *ducenti quinquaginta milliones* cubitorum quadratorum non ſunt nihil. Si quis Puffendorffius vel Pſeudopoliticus hunc numerum terræ aſſignare ſacerdotibus deberet; non dubito quin lacrimas non teneret. Heu tantum agri perdere!

Videa-

181. Videamus jam quantum *jugerum* id ſpatii comprehendat.

Sive jugerum *centum viginti quinque millia.*

Decernamus unum jugerum protendi in longum cubitos centum, in latum rurſus cubitos centum. Centies centum cubiti ſunt *decies mille* cubiti quadrati:

-- long. 100
-- lat. 1 00

area jugeri 10000 cubiti quadrati

Unius igitur *jugeris* area complectitur *decem millia cubitorum* ſeu paſſuum communium, ſeu ulnarum.

Reſtat videre, quoties iſta decem millia continentur in prædicto numero ſive ſumma omnium pomœriorum, quod deprehendemus ope Diviſionis arithmeticæ in hunc modum.

Summa quinquaginta pomœriorum Leviticorum, in cubitis quadratis.

Summa. - - 1256,, 000, 000 } 125000 jugera Le-
unum juger. 1 0 000 } vitica

Unum jugerum ſive decies mille cubiti quadrati continentur in Summa illa totali centies millies & inſuper vigeſies quinquies millies. Igitur tota pomœria Levitarum complectebantur *centies mille jugera, & inſuper viginti quinqe millia jugera,* ad paſcenda pecora Levitarum & Sacerdotum.

182. Pecora & divitiæ iu ſuburbanis.

Si cuivis jugero addamus in terra fluente lac & mel bovem unum, oves duas, forte & hœdos duos, habebimus pro Levitis

Boum

Boum	- - -	125000
Ovium	- - -	250000
Hœdorum	- -	250000
		625000

Quantum deinde putas in tot civitatibus extitiſſe argentum & aurum, mundum muliebrem, veſtimenti omne genus, purpuram, gemmas, ceteraque urbium ornamenta.

Quantam etiam pecuniam maxime cum Levitæ decimis & oblationibus nutriti multa ſuorum potuerint vendere?

Adde jam ſuppellectilem cortis gallinas, columbas delicatam Judæis avem: Adde ficus, vites, oleas, olera, poma, aſinos, & quidquid naſci in tanta tamque felici regione poteſt, cultum præcipue à viris induſtriis & rerum terrenarum cupidis: quantas conficies ſacerdotum divitias ex ſolis urbibus & pomœriis etiamſi nihil præterea ipſis contigiſſet. *C' eſt trop* dicet *ſpiritus legum:* Attenuari debent. & civitatibus.

Verum *C' eſt peu* dicit Dominus DEUS: parum hoc eſt: *augeri* debet. Debent enim adjici etiam ex reliqua populi terra ingentia adhuc, nec qualiacunque, ſed omnium *optima* & omnium *medulla*, pro ſacerdotibus nempe, qui ſunt Domini Dei corculum & pupilla, quamvis ſint ſpina in oculo Montesquioei, Puffendorffii &c.

183. Politici moderni judicia de hoc

Interim videor mihi videre quempiam Naturaliſtam aut Cleromaſtigen toto ore attonitum ſtupere tantas opes inerti

Dei mandato.

inerti ſacerdotio adjectas ob vile miniſterium accendendarum in uno unico templo ſeu tabernaculo lampadum, & lanienæ in oves & hircos exercendæ. Non ſatis poſſunt mirari ſtupiditatem Judæorum. Cur populus aut reges per tot ſecula non eripuerunt ventribus illis pigris majorem partem tot terrarum & opum, maxime cum Judæis anguſta fieret regio cetera ob ſobolis multitudinem? Cur non iterata tributa reges impoſuerunt his agris, his pecoribus, his decimis, his denique opibus, ſed *perire* permiſerunt omnia tanto tempore?

Levitis hæc debebantur ex *Juſtitia commutativa.*

His dicimus: ut hæc ſacerdotibus illis ſarta tecta manerent, non tantum fuiſſe rem præcepti & arbitrii divini, ſed etiam *JUSTITIÆ COMMUTATIVÆ.* Scrutemur ſcripturas.

Jacobo Patriarchæ & filiis ejus promiſſa fuerat à Deo terra Chananæorum, quam partim jam emerat Abrahamus ac poſſederat.

Jacob habui duodecim filios.

Erant autem Jacobo filii *duodecim* capita, & ſtipites totidem tribuum, ſeu ingentium ac numeroſiſſimarum deinde familiarum.

Omnes duodecim nati erant in Chanaan terra propria Jacobi: quam terram deinde in Ægyptum deſcendens reliquerat quidem corpore ſed non animo. Animo retinebat dominium: nec Chananæi interea terram illam, occupantes poterant præſcribere contra Jacobi poſteros etiam poſt plura ſecula.

Jacob

Jacob in Ægypto moriturus teſtamentum nuncupavit Geneſis XLVIII. & XLIX. Plura ſunt hujus teſtamenti memoratu digniſſima; nos ea modo, quæ ad argumentum noſtrum ſpectant, tangemus. Inprimis Jacobus vaticinando ſtatuit, aut ſtatuendo vaticinatus eſt (utrumque enim verum) de *Simeone* & de *Levi* filiis ſuis, eorumque poſteritate in hunc modum: *Dividam eos in Jacob, diſpergam eos in Iſraël,* cap. XLIX. v. 7. Non excluſit eos hereditate, neque partem terræ promiſſæ contingentem eis teſtamento negavit: ſed per reliquas tribus diſperſis habitationibus morari eos juſſit: & nequa integra regio diceretur regio ſeu provincia Levitarum. 184. Teſtamento ipſos inſtituit hæredes.

185. Joſepho debebatur duodecima pars hereditis.

Deinde inter filios Jacobi erat unus etiam Joſeph; cui competebat *duodecima* pars terræ: ipſi ac poſteritati ejus. At Joſeph tempore teſtamenti duos habuit filios, *Ephraim*, & *Manaſſen.* De his dubium eſſe poterat, num hereditatis in Chanaan eſſent capaces: ambo enim erant nati non ſicut ceteri filii in Chanaan, ſed ambo nati in Ægypto: adhæc nati ex uxore alienigena, nimirum ante quam Iſraëlitæ deſcendiſſent in Ægyptum, ex filia ſacerdotis Ægypti in Heliopoli.

Deinde ſi capaces eſſent hereditatis Chananeæ, videbantur repræſentare quidem patrem, ſed hoc ipſo non ſuccedebant in capita, ſed in ſtirpes. hoc eſt ambo nepotes Ephraim & Manaſſe ſimul non poterant poſtulare *duas* partes ex hereditate Jacob, ſed tantum *unam* partem, quæ Joſepho ipſorum patri debebatur. Alias enim tota

 Iſraël

Iſraëlis hereditas diſtribuenda fuiſſet non in duodecim partes, ſed in partes *TREDECIM:* nempe reliquis undecim filiis Jacobi, & inſuper duobus ejus nepotibus ex Joſepho: ſimul *tredecim.*

186. Jacob duos filios Joſephi adoptavit, ſingulos in ſolidum.

Jacob igitur, ut gratum quid faceret Joſepho optime de tota domo merito, duos filios ejus Ephraim & Manaſſen *adoptavit*, ut non jam pro filiis Joſeph haberentur, ſed pro filiis ipſius Jacob, & ut uterque adoptivus pari cum ceteris Jacobi filiis jure gauderet. Verba divinæ ſcripturæ & in ea Jacobi Patriarchæ hæc ſunt, Geneſis capite XLVIII. v. 5. & ſequentibus: *Duo filii tui* (ſic fatur ad Joſephum Iacob) *qui nati ſunt tibi in terra Ægypti, antequam huc venirem ad te, MEI erunt: Ephraim & Manaſſes ſicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi. Reliquos autem, quos genueris poſt eos tui erunt, & nomine fratrum ſuorum vocabuntur in poſſeſſionibus ſuis.*

Ex quo factum, ut inter tribus Iſraël nulla eſſet ſeu vocaretur tribus Joſeph: ſed pro tribu Joſeph factæ ſunt duæ tribus, Ephraim una, & una Manaſſe.

187. Itaque tribus tredecim revera fuerunt: cum tantũ eſſent partes duodecim hereditatis.

Revera itaque erant *TRIBUS TREDECIM*, & nihilominus hereditatis partes Deus nolebat fieri tredecim, ſed tantum *DUODECIM.*

Ex quo ſequebatur, ut teſtamentum Patriarchæ impleri poſſet, unam tribum carere debere portione hereditaria

ditaria terræ promiſſæ, nec tamen excidere hereditate, quod ſapuiſſet *injuſtitiam.* Igitur una tribus debebat carere portione.

Huic componendo negotio debebat una tribus renuntiare portioni ſuæ. Equidem in divino libro non exponitur quomodo tractatum illud negotium fuerit: ſed ſi locus hic eſt conjecturæ, quod reverenti pudore facimus, videtur Moyſes & Aaron tanquam tum capita tribus Leviticæ, hoc onus in ſuam tribum ultro recepiſſe, ut in favorem duodecim reliquarum tribuum ipſi renuntiarent portioni hereditatis, ſuæ tribui competenti. Tribus Levi renuntiavit ſuæ portioni:

DEUS hanc renuntiationem accepit, & non ſimplum ſed quaſi centuplum ipſis repoſuit. Præcepit enim imprimis tot urbes & pomœria aſſignari Levitis ex omni portione duodecim tribuum: præcepit ſummum honorem & ſummum imperium & vaticinii gratiam apud hanc tribum *perpetuo* manere: præcepit denique ex omnibus Iſraëlis portionibus ſelectiſſima quæque & medullam huic tribui cedere ita ſancte, ut quod ſuis negaretur Deo ipſimet ſubductum cenſeretur. quam pietatem Deus largiter compenſavit.

188. *Oneroſo* igitur, quemadmodum Politici loquuntur, *titulo* tribus Levi redemit honorem opesque ſuas: ſed illud onus divino munere ſatis magno honore compenſatum eſt. Oneroſo titulo acquiſiverunt Levitæ.

Populus quoque Iſraëliticus perpendens, tribum Levi ultro carere ſua portione, & ob id tantopere à Deo honorari, & ipſe libenter adſtipulatus eſt: neque hono- Populus id gratus agnovit.

rem Levitis invidit; neque ægre tantum agrorum ſingulæ tribus iis impertierunt: & nemini neque per ſomnium venit in mentem injuſtitia pſeudopoliticorum, detrahi ſacerdotibus jubentium.

S. Scripturæ teſtimonium de hoc jure.

Scripturarum gnari intelligunt, me hæc non è pollice ſuxiſſe. Legatur Joſue caput decimum quartum, ubi dicitur, quomodo cis & trans Jordanem poſitæ ſint tribus Iſraël: In terra Chanaan cis Jordanem omnia diſtributa fuerant *novem tribubus & dimidiæ tribui. Duabus enim tribubus & dimidiæ dederat Moyſes trans Jordanem poſſeſſionem, ABSQUE LEVITIS, quia nihil terræ acceperunt inter fratres ſuos* (hoc eſt nullam provinciam ex provinciis duodecim) *ſed IN EORUM SUCCESSERANT LOCUM FILII JOSEPH IN DUAS DIVISI TRIBUS MANASSE ET EPHRAIM.* Hæc ibi divinus ſcriptor Joſue, qui eundem librum ſcripſit, qui ipſe hanc diviſionem fecerat, tanquam exſecutor teſtamenti Jacob, ſecundum mandata Dei.

Filii itaque Joſeph non ſimpliciter acceperunt duas partes hereditatis tanquam ſibi proprie debitas; ſed *ſucceſſerunt in locum*, qui Levitis erat debitus. Levitæ ſuo debito loco ceſſerunt, ut poſſet impleri teſtamentum Jacobi, & ne tredecim partes eſſent faciendæ, quod nolebat Deus. Locus quem occupabant in Judæa tribus Ephraim & tribus Manaſſe, non erat proprius ipſorum locus, ſed unus ſaltem ex his duobus locis erat locus proprius Levitarum, quem iſti ſponte ceſſerunt, ut eam

obiti-

obtinere poſſent tribus vel Ephraim vel Manaſſe; & Patriarchæ Jacobi erga hos promiſſio impleri. Quod utique magnum in Levitis monimentum pietatis erga avum ſuum fuit. Quam pietatem Deus ſelectiſſimis opibus remunerandam cenſuit.

189. Apoſtolus noſter Paulus nos docet, Iudæis omnia contigiſſe in figura: quæ dein in eccleſia Chriſti perfectius & meliore ſpiritu perficerentur. Idem plane eveniſſe videmus in eccleſia. Sacerdotium chriſtianum (ſi pſeudopolitici hoc nobis concedunt aut credunt) perfectius eſt ſacerdotio Judæorum.

Comparatio renuntiationis Levitarum.

Sacerdotes Judæorum renuntiabant tantum portioni hereditatis ceterum uxoribus & conjugiis & liberis non renuntiabant: præterea miniſteria eorum longe erant viliora: ignis cura & lucernarum, mactatio victimarum, judicium de lepra corporis & veſtimentorum: ad hæc eorum expiationes mundabant ſordes corporis per varia baptiſmata.

Umbræ hæ fuerant eorum, quæ à chriſtianis ſacerdotibus forent perficienda.

& chriſtianorum ſacerdotum.

Chriſtiani ſacerdotes plurimi renuntiant hereditatibus ſuis aut ex integro aut ex parte, eandemque relinquunt fratribus ſuis & ſororibus, ut commodius vivant, honeſtioribus nuptiis locentur; ne dicam multos horum etiam à ſacerdotibus nutriri, cumulari omnibus bonis omnique honore. Quid autem fit? Multi & prudentes grato animo id agnoſcunt & laudant Deum. Alii ſcioli vertun-

Ingratitudo aliquorum in ſacerdotes.

vertuntur non tantum in maledicta & detractiones, ſed ſuadent iis fieri male, qui ſibi ſuique ſimilibus facerent bene, ſi vel nihil aliud præter iſtas renuntiationes facerent. Horum iniquitas comparata cum æquitate Judæorum horrorem poteſt animis honeſtioribus facere. Nam ſi multi ſacerdotes non eſſent ſacerdotes aut religioſi, ſed manerent in militia, in aula, in nobilitate, in mercatu, in quibus nati educatique ſunt, amarentur à ſuis ſimilibus nec iis invideretur, ſed æquo cum iis jure æquis, portionibus uterentur. Mox autem, ut ad ſacerdotium tranſierunt, invidetur illis, detrahitur illis, ſtruuntur inſidiæ, & ſpoliandi cenſentur: cum tamen duplici honore eſſent digni: primo, quod ſuis locum fecerint ampliorem, ut tribus Levi locum fecit duabus tribubus Ephraim & Manaſſe. Deinde etiam ex hoc mererentur honorem ſaltem aliquem, quod miniſterio Dei admoti ſint; quemadmodum non ſine honore habentur, qui ad miniſterium admoti ſunt Aulæ.

Si luberet Cleromaſtigis expendere etiam cetera ſacerdotii noſtri, quorum umbræ inveniebantur in ſacerdotio veteri, poſſent ſane invenire materiam honoris & anſam non unam, ſi crederent. Quod enim eſt ſacrificium hujus legis præ lege antiqua? quod judicium commiſſum ſacerdotibus noſtris præ judicio lepræ antiquo? quæ vitæ ſanctitas per conſilia evangelica?

Sed hæc hactenus de civitatibus & pomœriis Levitarum: de quibus quidem reſtarent explicanda quædam: verum ad alia properamus.

2) DE

2) DE PRIMITIIS.

190.

Primitiæ hominum & boum, aſinorum, ovium & *omnis animæ viventis* ita dabantur, ut quidquid maſculinum ex unaquaque animante *primo* naſceretur, Domino eſſet ſacrum & ad templum deferretur, ſi modo eſſet *immaculatum*, aut aliàs ex animalibus, quæ munda habebantur in lege: nam cetera redimi debebant ſive pecunia ſive alio animante oblato. Ut primogenitum aſinæ redimebatur *ove data.*

Primitias quales dabantur.

Omne primogenitum hominis de filiis tuis pretio redimes. Hoc præceptum jam dabatur populo ante quam ex Ægypto educeretur Exodi XIII. v. 13.

Faciamus autem pretium redemptionis hujus non fuiſſe majus pretio redemptionis animæ, de quo infra, & in univerſum pro ſingulis capitibus primogenitorum puerorum, non fuiſſe datum niſi *dimidium ſiclum*: ſubducendi jam ſunt calculi, quantum æris in generationes ſingulas & in annos ſingulos potuerit hoc vectigal importare.

191.

Numerorum cap III. volebat Deus omnia primogenita populi etiamnum in deſerto morientis ſibi dari: quæ forte conſumpturus erat ſacro igne: ſed pro primogenitis filiis omnium Iſraëlitarum accepit ſibi totam tribum Levi: pro primogenitis autem pecorum totius reliqui populi accepit Deus in partem ſuam propriam omnia pecora Levitarum. Nam Levitæ maſculi numero fere æquabant primogenitos totius populi, qui tunc exiſtebant: ut, credibile eſt, etiam pecora omnia Levitarum tunc æquaſſe numerum pecorum primogenitorum reliqui populi.

Pro primitiis hominum in deſerto accepit Deus Levitas.

Numerus Levitarū. Numerati Levitæ maſculi ab uno menſe & ſupra inventi ſunt 22000. hoc eſt viginti duo millia.

Numerus primogenitorum fere idem Primogeniti vero maſculi ex populo ab uno menſe & ſupra inventi ſunt 22273. viginti duo millia ducenti ſeptuaginta tres.

Quanti igitur erant reſidui primogeniti ultra numerum Levitarum, debebant redimi *quinque ſiclis* ſinguli, quæ pecunia dabatur Aaroni & filiis ejus.

Populus Iſraëlis tum temporis numeratus in deſerto conſtabat *ſexcentis millibus* juvenum fortium & ad bella aptorum: nam numeris rotundis utemur, neglectis ubique, qui ſuperſunt.

Deprehendimus igitur proportionem inter totum populum unius generationis tunc exiſtentis, & inter ejusdem primogenita; nempe

-- Populus totus habet *ſexcenta millia.*
-- Primogeniti ejusdem populi ſunt *viginti millia*, neglectis duobus millibus ac ceteris, qui ſuperſunt.

Poterimus jam ope Arithmeticæ & vulgaris regulæ trium pro omni tempore & generatione invenire hypotheſin aut ſyſtema primogenitorum Iſraëlis: nempe pro viginti adultis ſemper numerare licuit unum primogenitum.

Ponamus primo, populum iſtum nunquam incrementa ſumpſiſſe, ſed ſemper eodem tantum numero fuiſſe, quo erat in deſerto, ita ut in ſingulas generationes con-

conveniant *ſexcenta millia* armatorum, & rurſus in ſingulas generationes *viginti millia* primogenitorum.

Generationis unius tempus aliàs ſolet determinari *annis triginta*. Nempe poſt annos triginta reverſus aliquis in civitatem ſuam patriam inveniet totam quaſi hominum ſcenam mutatam, atque paucos jam ſupereſſe ex ſuis æqualibus; hoc eſt præteriiſſe unam hominum generationem.

Sed nos liberales pro una generatione ſtatuemus annos *quinquaginta*.

Et videamus quot generationes fuerint à Moyſe usque ad Chriſtum?

à Moyſe usque ad Chriſtum fluxere numero rotundo *mille quingenti anni*: hoc eſt *ſecula quindecim*. Quodſi igitur generationes facimus tam longas, nempe quinquaginta annorum, quovis ſeculo erunt generationes tantum duæ, & per ſecula quindecim erunt generationes *triginta*.

Jam unaquæque generatio habuerit primogenitorum viginti millia. Sic efficies trigeſies viginti millia; nimirum *millia primogenitorum* usque ad Chriſtum *ſexcenta*. Vide hunc laterculum multiplicationis

20000 unius generationis
30 generationes

600000 primogeniti

Si ſcire deſideras, quot primogeniti conveniant annis ſingulis, diſtribue omnia *ſexcenta millia* primogenito-

rum in annos *mille quingentos*, qui à Moyſe ad Chriſtum fluxerunt.

Primog. 600000 }
Anni 15 00 } 400 primogeniti annis ſingulis.

Si lubet aliam hypotheſin facere, & populum totum in terra promiſſionis triplo creviſſe, habebis in una generatione primogenitos *ſexaginta millia.*

Si deinde ſumas rem verius, & cuivis ſeculo attribuas generationes non duas ſed *tres*, præſertim inter perpetua bella; habebis in quolibet ſeculo primogenitorum *centum octoginta millia.* In quindecim autem ſeculis habebis duos milliones & ſeptingenta millia primogenitorum

1. Seculum 180 000
Secula - 15

900 000
18

2700,000 primogeniti

Hos ſi diſtribuas in annos *mille quingentos*, qui à Moyſe ad Chriſtum fluxerunt, habebis annis ſingulis primogenitos mille octingentos.

4
12
2700000 }
1555 00 } 1800
1

Hæc

Hæc de primogenitis hominum. In ceteris non ero ita longus, ne lectorem fatigem. 192. de primogenitis pecorum.

Sic igitur computemus:

Boum primogenitorum quotannis - -	2000
Aſinorum - - -	1500
Hædorum - - -	1500
Ovium - - - - -	4000

qui parvus eſt numerus ob ingentem ovium in hac terra multitudinem. Nam ex ſola victoria contra Madianitas in prædam redacta fuerant, Numerorum cap. XXXI. v. 32. Ovium copia in Chanaan.

Ovium	675000
Boum	72000
Aſinorum	61000

quanquam terra Madianitarum tantum *quinque* Regibus conſtabat. Quidſi computentur Reges Moabitarum, Amorrhæorum, triginta Reges ex capite XII^{mo} Joſue, aliique, quantum ovium putas redactum fuiſſe? & quantum earum deinceps numerum adauctum ab Iſraëlitis, qui poſſeſſione ac propemodum natione paſtores erant.

Igitur ſubducto obiter calculo invenio, tantum de hominibus, bobus, aſinis, hædis & ovibus ſanctificata aut redempta quotannis fuiſſe ſaltem *decem millia* capitum, nempe exercitum.

Quodſi mavis hæc in ære computata videre, pone omnia iſta redimi ære; *Redemptio* immundorum *erit poſt unum menſem ſiclis argenti quinque pondere ſanctuarii.*

Numeror. XVIII. v. 16. Quamobrem *decem millia* capita redempta ſingula *quinque* ſiclis argenti, conficiunt ſummam pecuniariam annuam *quinquaginta millium* ſiclorum argenti, pondere ſanctuarii.

Quodſi jam unum ſiclum facias valere noſtros circiter 40. Cruciferos, aut circiter tres nummos *Paullinos* Romanos, aut unam libram Francicam cum duabus tertiis libræ ejusdem, conficies ex hac ſola redemptione ultra *triginta millia florenorum* noſtrorum Germaniæ.

PRIMITIÆ FRUGUM.

193. De primitiis frugum. Primitiæ hæ dabantur non ita, ut quæ quis ager aut hortus aut vitis primo fertilitatis ſuæ anno tuliſſet, Deo ſacraretur, ſed omni anno, quæ prima veniebant aut colligebantur, Deo offerebantur & portabantur vel ad templum vel ad Levitas urbium.

Faciamus in tota terra Iſraël, fluente lac & mel collecta fuiſſe quotannis ſequentia:

Tritici modios - - -	2000000
Hordei - - -	1000000
Frumenti cujuscunque - -	1000000
Vini - cados - -	2000000
Olei - - - -	2000000
Pomorum, *ficuum* &c - -	1000000
Fabarum, Ciceris &c. - -	1000000
Olerum, *raparum* &c. - -	1000000
	11000000

Habe-

Habemus modios, cados aut cartallos varii generis frugum *Milliones undecim.*

Non me feciſſe nimium, potes ſentire. Quodſi enim in populo fuere *ſexcenta millia* virorum juvenum, potes addere alia *ſexcenta* millia & plus ſenum, debilium, adoleſcentum, puerorum. Potes addere fœminarum &c. turbam hoc modo:

-- bellatores	- -	600000
-- Senes, pueri	-	600000
-- fœminæ, filiæ	- -	1200000
-- Servi	- -	500000
-- Ancillæ	- -	500000
-- Pecora manducantia in univerſum	-	8000000
		11, 400, 000

Ubi vides in univerſum potuiſſe numerari corporum manducantium & paſcendorum *milliones undecim.* Quamvis numerum credam multo majorem fuiſſe. Pro undecim millionibus voratorum non ſunt nimis *undecim milliones* modiorum: imo ſunt parum: cum nec gallinarum, columbarum aliorumque animalium, e quorumque paſtum computaverimus. Quot corpora hominum & pecorum in Palæſtina.

Nos tamen, ut numero rotundiore utamur, recidamus unum millionem, & faciamus eſſe præciſe frugum *milliones decem.*

Jam ſupponamus ex ſingulis *millenis* modiis vel cadis tantum *unum* modium fuiſſe oblatum in primitias: habebis

bebis quotannis oblatos primitiarum in variis frugibus modios *decem millia.*

-- Frugum modii - -	10000000	10000 modii pro primitiis frugum.
-- unus modius pro modiis	1000	

194. PRIMITIÆ ALIARUM RERUM.

Primitiæ panum — Numerorum capite XV. v. 18: præcipit Dominus: *Cum veneritis in terram, quam dabo vobis, & comederitis de panibus regionis illius, ſeparabitis primitias Domino, de cibis veſtris. Sicut de areis primitias ſeparatis, ita & de pulmentis dabitis primitiva Domino.*

pomorum — Rurſus Levitici capite XIX. v. 23. ſeq. *omnia* poma *arborum naſcentia anno quarto à plantatione, Domino ſancta ſunt.*

omnium rerum. — Denique multi erant inter Judæos zelotæ, qui plus ceteris agnoſcebant dominium Dei in homines, & quod omnia prorſus ſunt Dei, hominibus tantum accommodata ad ſervitium obeundum. Hi vero Zelotæ ſicut decimas, ita et primitias dabant non tantum de rebus expreſſe nominatis in lege, ſed de omnibus omnino ſive parvis ſive magnis.

Ad ultimum obſervo, Primitias videri plus importaſſe quam decimas, proportionaliter.

Ponamus hominem quemlibet genuiſſe maſculos	5
Bovem maſculos - -	5
ovem mares - - -	5
Aſinam mares - - -	5
Capram mares - - -	5
Summa	25

Ex

Ex omnibus his genituris ad ſacerdotes ſpectabat *prima*. Ex homine prima, ex bove prima, ex ove prima, ex aſina prima, ex capra prima, quæ ſimul ſunt genituræ *quinque*.

Ponamus autem totidem etiam fœmellas editas fuiſſe igitur in quemlibet herum cadebant genituræ 50. imo 45. quia quinque dabantur ſacerdotibus.

Dico autem in quemlibet Levitam cecidiſſe primogenita 150. Nam ſi cuilibet hero nata ſunt capita 50. ſexcentis millibus Iſraëlitarum nata ſunt capita 30 000 000 triginta milliones. Ex his quinta pars, primogeniti, faciunt *milliones* ſex; qui diſtributi in 20000 ſacerdoum, cuilibet obveniunt 150.

	1		
primogenita	3000000	∫	150
Levitæ -	2220000		

Quia vero non in omnes Levitas, ſed tantum in ſacerdotes tabernaculi & filios Aaron dividebantur primogenita: relinguo cogitandum, quantus hic redditus fuerit ſacerdotis unius.

Is autem reditus venit ſine omni cura & labore alio, præterquam ſacro.

Rurſus primogenita erant ſacerdotis etſi nullus alius partus ſequeretur, quod ſæpiſſime potuit contingere, & quod proportionem reditus ſacerdotalis præ populari altero tanto adauget

3) DECIMÆ.

195. Decimæ ſimiliter dabantur de omnibus animantibus, quæ ſub paſtoris virga transeunt, Levitici cap. XXVII. v. 32. item omnium frugum terræ, quod multis locis lex inculcat.

Redimi poterant Decimæ: data æſtimatione omnium, & inſuper addita *quinta parte* æſtimationis. Hoc eo ſpectabat, ne facilis eſſet Redemptio, & ut devotis pulcra eſſet occaſio liberalitatis. vid. Levitici XXVII. v. 31.

Qui longe à templo vel loco Domini erant remoti, vendebant res, & pretia illuc deportabant. Deut. XIV. v. 24.

Quantæ decimæ venerint.

Paucis jam ſubducamus calculos decimarum ordinariarum quotannis, æſtimatione mediocri.

Ponamus provenire quotannis in terra promiſſa

--*Boves* - -	8000	eorum decima erit -	800
--*Aſinos* - -	4000	- decima - -	400
--*Hædos* - -	8000	- decima - -	800
--*Oves* - -	15000	- decima - -	1500
		Capita	3500
--*Tritici* modii	2000000	decima -	200000
--*Hordei* -	1000000	- decima -	100000
--*Frumenti* -	1000000	- decima -	100000
--*Vini* cados -	2000000	- decima -	200000
--*Olei* - -	2000000	- decima -	200000
--*Pomorum* &c.	1000000	- decima -	100000
--*Leguminum* -	1000000	- decima -	100000
--*Olerum* -	1000000	- decima -	100000
		Modii	1100000

Si

Si placet rem pecunia æſtimare, valeant ſingula capita ſiclos *quinque*, capita *tria millia quingenta* conficiunt Siclos ſeptendecim millia quingentos

3 5 0 0
5

Sicli 1 7 5 0 0

æſtimemus deinde ſingulos modios cujuscunque frugis tritici, vini &c. ſiclo tantum *uno*, erunt *undecies centena millia* ſiclorum.

Decima lanarum.

Præterea jubentur quotannis dare Levitis *lanarum partem ex ovium tonſione*. Deuteronomii XVIII. v. 4. Ex ovium uno vel duobus millionibus ſi vel decima pars lanæ veniat Levitis, ſatis magna horrea lanis implebunt, velut ſi centum aut ducenta millia ovium ipſi integra tonderent.

Decima triennalis.

Ad hæc anniverſariis decimis non contentus imperavit, ut *tertio* quoque anno darent alias Levitis & advenis intra portas Iſraëlitarum commorantibus, & pupillis & viduis, ut comedant & ſaturentur. Deuteron. XXVI. v. 12.

Decima devotionis.

De Decimis adhuc obſervo *primo*, multos fuiſſe in 196.
Iſraël devotos, qui decimam dabant non de omnibus modo conſuetis, ſed de omnibus omnino, quæ poſſidebant, usque ad mentham, quemadmodum Chriſtus iis exprobrat, non ob id, quod tales decimas darent, ſed quod ex hypocriſi darent, ut laudarentur ab hominibus. Matthæi XXIII. v. 23.

Secundo obſervo Levitas, qui in civitatibus jam decuplo plus acceperant, quam reliquus populus, rurſus in ſolis decimis triplo plus accepiſſe quam populus, quod ſic oſtendo: Proportio Levitarum ad populum fuit ut 2|0000 ad 60|0000

In decimis unus Levita accepit tantum quantum novem populares ex ſua fruge.

ſive, ſi ex utroque numero ad dextram auferas quatuor cifras remanebit pro Levitarum numero *binarius*, pro numero autem popularium *ſexagenarius*. Itaque quoties numerantur duo Levitæ, toties numerari poterant ſexaginta populares. Vel brevius, quoties numerabatur *unus Levita*, toties inveniebantur *triginta populares* ſeu laici. Idem enim eſt eademque ſemper manet proportio, ſi dicas: pro *uno* Levita ſunt in Iſraël *triginta* populares: ſive dicas, pro *duobus* Levitis ſunt *ſexaginta* populares: ſeu dicas pro *viginti* Levitis ſunt *ſexcenti* populares: ſive dicas pro *ducentis* Levitis ſunt ſex millia popularium, ſemper manet eadem proportio, nempe, ut popularium numerus trigecuplo major ſit numero Levitarum ut in ſequenti laterculo clarius vides:

Proportio

1	-	30
2	-	60
20	-	600
200	-	6000
2000	-	60000
20000	-	600000

multiplicato numero Levitarum per 30 ſemper prodit numerus popularium eidem ex latere correſpondens.

Hoc

Hoc igitur ſemel determinato, ut eſt determinatum in ipſa ſacra ſcriptura, videamus quantum emolumenti ex frugibus & animalibus hinc populo contingat, & inde quantum emolumenti ex decimis contingat Levitis. Statuamus *triginta* illos populares, qui proportionantur *uni* Levitæ.

Statuamus triginta popularibus contingere cuilibet unam ſortem magnam & divitem, ut adeo ſint *triginta ſortes triginta popularium.*

Neque hic refert, in quo conſiſtant illæ ſortes, in pecoribus, in tritico, in oleo, vino: omnia enim hæç ſimul ſumpta cuilibet pro ſua una ſorte reputantur, ut ſint ſimul *triginta* integræ ſortes.

Neque rurſus refert, quantæ ſint ſortes, utrum centum millibus æſtimetur una ſors, utrum tantum decem millibus. Nam ſi magna & pretioſa eſt ſors populi, magna pariter inde provenit decima Levitis, & utrinque manet ſemper eadem proportio, *unius ad triginta.*

Igitur triginta Iſraëlitæ hoc anno capiant *triginta* ſortes. Ex his triginta ſortibus debent ſeparare ſortes *tres* tanquam decimas pro Levitis, neque ſimpliciter pro Levitis, ſed pro *uno* Levita, qui triginta popularibus correſpondet in proportione.

Unus ergo Levita accipit *tria*

Triginta populares tantum accipiunt *vigintiſeptem*

Decem populares accipiunt *novem* ſortes

Tres populares accipiunt *tres* non integras ſortes, ſed minutas tribus decimis partibus.

Unus popularis accipit non unam ſortem integram, ſed tantum $\frac{9}{10}$ hoc eſt novem decimas partes totius ſortis.

Cum interim unicus Levita *tres ſortes integras* acceperit.

Adde quod Levita non araverit, non meſſuerit. Quod ſi computabis ad valorem ſortis Leviticæ, facile mihi, ſi es rerum & laborum peritus, concedes, in ſolis decimis ſortem Leviticam fuiſſe *ſeſcuplo* meliorem ſorte popularium.

4) SACRIFICIA.

Varia erant Sacrificia, quæ vel tota, vel partim cedebant in in uſum ſacerdotum.

Sacrificia *quotidiana*

pro *peccato* & *delicto*.

pacificæ victimæ.

DE SACRIFICIIS QUOTIDIANIS.

197. Ea Numerorum cap. XXVIII. ſic fere recenſentur: Præbenda autem omnia neceſſaria erant à filiis Iſraël.

Quo

Quotidie				
-- agni anniculi - - 2 - -	quotannis	730		
-- $\frac{1}{10}$ Ephi ſimilæ - -	quotannis	365	Decimæ	
-- 1 quarta pars vini; in ſingulos agnos ſunt 730 partes ſive		185	Hin	
-- Omni Sabbato agni duo	quotannis -	104		
-- Omni Sabbato 2 decimæ ſimilæ &c.		104	Dec.	
-- Omnibus Calendis 2 vitulos - -		24		
-- - - - 1 arietem -		12		
-- - - - 7 agnos anic. -		84		
-- - in ſingulos vitulos $\frac{3}{10}$ ſimilæ -		72	Dec.	
-- - in arietem $\frac{2}{10}$ ſimilæ - -		24	Dec.	
-- - in ſingulos agnos $\frac{1}{10}$ ſimilæ - -		84		
-- - in ſingulos vitulos $\frac{1}{2}$ Hin vini -		42	Hin	
-- - in arietem $\frac{1}{3}$ Hin vini - -		4	Hin	
-- - in ſingulos agnos $\frac{1}{4}$ Hin vini - -		21	Hin	

SACRIFICIA PRO PECCATO ET DELICTO.

Seu peccata eſſent ignorantiæ ſeu voluntaria ex propoſito omnia expianda erant ſacrificio. 198. Omnia peccata ſacrificiis expianda.

Expiabantur autem peccata & ignorantiæ cærimoniarum oblato & imolato *ariete* aut *agno*; & à pauperibus per *duos turtures* aut *duos pullos columbarum*. Levit. cap. V. & VI.

Qui fecerit damnum proximo reddat ipſum caput, & inſuper quintam partem damni offeret Domino, & arietem pro peccato.

Si

Si non fuerit, qui recipiat reſtitutionem damni, dabunt Domino, & erit ſacerdotis, excepto ariete qui tunc offertur pro expiatione Numeror. V. v. 6.

Frequentia peccatorum hujus populi;

Jam ponamus in populo tam proclivi, vario, & incorrigibili quotannis tantum octoginta millia ejusmodi expiationum contigiſſe, habebis ſacrificia pro peccato & pro delicto

-- 80000 arietes aut agnos, aut paria columbarum.

Hoſtias autem pro peccato & pro delicto comederunt ſacerdotes, Levitici cap. VI. v. 26. una lex utriusque: ad ſacerdotem pertinebant. Levitici cap. VII. v. 7.

VICTIMÆ PACIFICÆ

199. Numerus iſtarum victimarum,

Erant victimæ devotionis, & fiebant in variis animantibus mundis.

Harum pars cremabatur: partem in templo comedebant ii qui offerebant una cum familia ſua. Sed *armus dexter* & *pectus* ſemper pertinebant ad ſacerdotem. Levitici cap. VII. v. 32.

ſacerdotum erant pectora & armi dextri,

Computa ex hoſtiis pacificis circiter octoginta millibus annuis reddita ſacerdoti octoginta millia pectorum & octoginta millia armorum, quæ in unum redacta poſſunt conficere circiter *viginti millia* pecoris varii.

& omnis adeps,

His adde ex omnibus omnino ſacrificiis *adipem.* qui ad ſacerdotes pertinebat. Levitici cap. III.

Rurſus

Rurſus omnem *Similam* in ſacrificiis, ex qua vivebant ſacerdotes. Sed horum æſtimationem quandam poſt omnia ſacrificia faciemus. omnis ſimila.

5) DE FESTIS.

Ex Numerorum capite XXVII. & XXIX. ſequentia diſcimus. 200.

In PHASE Domini ſive Paſchate per ſeptem dies quotidie offerebantur

--	2	vituli	- - ſimul -	14
--	7	agni anniculi	- -	49
--	1	aries	- - -	7

In Feſto PRIMITIVORUM offerenda:

--	vituli	- -	2
--	aries	- - -	1
--	agni anniculi	-	7
--	hircus	- -	1

præter ſimilas, & oleum.

In Feſto MENSIS SEPTIMI:

--	vituli	- -	1
--	aries	- -	1
--	agni	- - -	7
--	hircus	- -	1

præter ſimilas.

In die DECIMA menſis ſeptimi, ſive in feſto EXPIATIONUM Levitici cap. XXIII. v. 24. offerenda

-- vitulus - - 1
-- aries - - - 1
-- agni - - - 7
-- hircus - - : 1

præter ſimilas.

In feſto TABERNACULORUM per octo dies fiebant ſacrificia, in quibus jubentur offerri ſucceſſive

-- vituli - - 71
-- arietes - - 15
-- agni - - 105
-- hirci - - - -

præter ſimilas & libamina vini.

In feſto MESSIS Levitici cap. XXIII. v. 10. Meſſe peracta non licebat ex ea panem, polentam, vel pultem edere, quin ante oblatæ eſſent primitiæ & inſuper unus *agnus*. Id quod poteſt circiter eo omnibus familiis meſſem colligentibus importare agnos *centum millia*.

In feſto HEBDOMADARUM Levitici cap. XXIII. v. 15. &c. Ex *omnibus habitaculis* offerendi erant *duo panes* cocti de duabus decimis ſimilæ: cum panibus agni ſeptem, vitulus unus, arietes duo. Panes illi ex habitaculis poſſunt efficere numerum 200000. Utrum agni in genere, an ſingulis domibus imperatæ ſint, relinquo in medio.

Numerus ſacrificatorum

Mittamus jam in unum numerum ſacrificia animalium hactenus recenſita, eaque circiter expreſſa.

Quo-

--	Quotidiana capita	730	per annum
--	Sabbatina	104	per annum
--	Calendis	120	
--	pro peccato & delicto	80000	
--	pacificæ ſeu armus dexter	20030	
--	in feſtivitate Meſſis	100000	
--	in ceteris feſtis	300	
	capita	201254	

anima-lium per annum.

Sunt capita *ducenta millia* quotannis certo immolata, quorum fere omnia ſacerdotum erant.

Ex his omnis adeps erat ſacerdotum. Et ſi de ſingulis animalibus capi poterat in terra tam craſſa & pingui adipis libra una, ſacerdotibus ceſſit pondo *ducentorum millium* librarum adipis, ſive *duo millia* centum pondiorum ſeu centenariorum.

6) DE LEPRÆ JUDICIO.

Lepra corporum judicio ſacerdotis expianda erat his ſacrificiis Levitici cap. XIII. 201.

--	Paſſeres	2
--	Agni	2
--	Ovis annicula	1
--	Similæ decimæ	3
--	ſextarius olei	1

Erat autem lepræ peſtis inter Judæos vulgatiſſima, ut calculum non auxerimus, ſi quotannis numeraverimus *viginti millia* ejusmodi expiationum.

 Pau-

Pauperes ſaltem *uno* agno ſe expiabant præter ſimilam & oleum &c. & duos turtures. Levit. cap. XIII. v. 21. At quoniam pauperes multo magis huic morbo erant obnoxii ob ſorditiem, credibile eſt etiam ab his quotannis ſaltem *viginti millia* ejusmodi expiationum accidiſſe. Itaque

--	Expiationes pauperum viginti millium reddebant agnos	20000
--	Expiationes divitum viginti millium reddebant agnos	40000
--	Eorundem expiationes reddebant oves	20000
	ſimul capita	80000

Octoginta millia agni & oves ſacerdotibus venientes ex lepræ judicio, præter *octoginta* millia decimarum ſimilæ & *quadraginta* millia ſextariorum olei, & *quadraginta millia* turturum vel columbarum.

7) DE PURIFICATIONIBUS ALIIS.

202. Levitici capite XIV. pro ſeminifluorum expiatione imperantur *duo turtures* aut duo pulli columbarum. Itidem pro mulierum longiore immunditia.

Levitici cap. XII. omnis mulier à partu ſuo poſt dies purificationis ſuæ offert *agnum unum*, & *unum turturem* vel pullum columbæ. Pauper vero *duos* turtures aut duos pullos columbarum

Ponamus hoc quotannis confeciſſe

agnos	-	-	20000
turtures	-	-	30000

8)DE

8) DE OBLATIONIBUS.

203. Oblationes neceſſariæ

Erant quotannis tres dies oblationum neceſſariarum, ubi tamen non erat decretum, quid vel quantum quisque offerret.

Hinc factum ut alii ex devotione & ſincera adoratione magnas oblationes facerent; alii, ut fit, ex faſtu. Recolatur hiſtoria Evangelii, quando Chriſtus conſideratis iis, qui mittebant pecuniam in gazophylacium templi, laudavit viduam mittentem duo ſola minuta: *multi* autem *divites jactabant multa*. Marci cap. XII. v. 41.

Ter in anno.

Ter autem in anno omne maſculinum aſcendere jubatur ad dominum Exodi cap. XXIII. v. 14. ſeqq. quibus etiam præceptum, ne apparerent manu vacua.

quantæ fuerint?

Ponamus maſculos in populo fuiſſe nonniſi *unum millionem*, & ſingulos obtuliſſe omnibus tribus vicibus ſimul unum ſiclum: hæ oblationes confecerint quotannis *unum millionem* ſiclorum ſive in argento aut alia quavis re.

Oblationes voluntariæ

Oblationes voluntariæ forte non fuerint minus fortes. Afferam unum exemplum ex libri Numerorum capite XXXI v. 48. ſeqq. Cæſis Madianitis cum præliatores Israëlitæ vidiſſent, ex ſuo numero nullum deſiderari, obtulerunt Domino in gratiarum actionem *omne aurum captivum*, periſcelides, armillas, annulos, dextralia ac murænulas: Pondo *ſedecim millia*, *ſeptingentos quinquaginta ſiclos*.

Ex præda hoſtili.

Præda quomodo diviſa?

De præda autem Madianitarum cum ſacerdotibus communicata memorabile ibidem exemplum eſt, eodem cap.

cap. XXXI. Numerorum. Bifariam enim diviſa præda animantium fuit, præter aurum & omnes alias divitias, quod ſolis pugnatoribus remanſit.

Dimidia animantium omnium pars data primum pugnatoribus: altera pars dimidia data reliquo populo qui remanſerat in caſtris,

Sed juſtumnė erat, Levitas nihil accipere? Juſtiſſimum, inquit Cleromaſtix: quid enim accipiant hi otioſi? hæ noxæ reipublicæ?

Verum Deus aliter. Ex prædæ parte obveniente pugnatoribus jubet Deus Dominus rerum ſeparari omne caput *quingenteſimum*. Ex prædæ vero parte, quæ reliquo populo obvenerat, jubet ſeparari caput quodvis omnino *quinquageſimum*. In hunc modum ſeparata jubet tradi ventribus iſtis pigris ſacerdotibus & Levitis.

Igitur ex præda pugnatorum ſacerdotibus obvenere, ut numerat ibi ſcriptura,

- *Oves* - - -	675
- *Boves* - - -	72
- Aſini - - -	61
- Virgines - - - -	32

Ex præda vero reliqui populi ſacerdotibus dabantur

- Oves - -	6750
- Boves - -	720
- Aſini - -	610
- Virgines - -	320

Col-

Collectis autem numeris, ſacerdotum fuit ex præda

--	Oves	7420
--	Boves	792
--	Aſini	671
--	Virgines	352
	Capita	9235

9) DE VOTIS.

Levitici libri caput fere totum ſeptimum ſupra vigeſimum eſt de *Votis*. 204.

Imprimis autem ſi quis voverit ſe ipſum Domino, debet ſe argento redimere in hunc modum: Seipſos voventes Domino, redimebant ære.

Maſculus à viginti annis dat *ſiclos quinquaginta* argenti pondere ſanctuarii.

Fœmina à 20. annis dat *ſiclos triginta.*

A quinto anno ad vigeſimum maſculus dat ſiclos *viginti*, fœmina *decem.*

Ab uno menſe ad annum quintum dat maſculus ſiclos *quinque*, fœmina *tres.*

Sexagenarius & ſupra mas dat ſiclos *quindecim*, fœmina *decem.*

Pauper dabit ſecundum æſtimationem ſacerdotis.

Vota *animalium* ſic æſtimantur: Vota animalium.

Animal

Animal mundum ipſum debet dari, ſi votum fuerit, nec mutari poterit alio: quodſi mutaretur alio, utrumque dabitur.

Animal mundum adducetur ante ſacerdotem, qui pretium ei ſtatuat. Quod ſi dare voluerit is, qui offert, addet ſupra æſtimationem partem quintam.

Domorū, *Domuum* vota ſic ſolvuntur. Sacerdos ei ſtatuit pretium. Juxta hoc domus venundabitur. Si vovens redimere voluerit, dabit quintam partem æſtimationis ſuprà.

Agrorum, *Agrorum* vota ſic ſolvuntur. Si triginta modii in eo feruntur, valebit *quinquaginta* ſiclos argenti. Si ſtatim ab anno incipientis jubilei voverit agrum, quanto valere poteſt, tanto æſtimabitur. Sin autem poſt aliquantum temporis, ſupputabit ſacerdos pecuniam juxta annorum, qui reliqui ſunt, numerum usque ad jubileum, & detrahetur ex pretio. Si ager non fuerit redemptus non poterit amplius redimi, quia cum venerit annus jubileus *ſanctificatus erit Domino, & poſſeſſio conſecrata ad jus pertinet ſacerdotum.*

Licebit jam nobis aliquam æſtimationem facere votorum, quæ quotannis fieri forte poterant. Sic igitur ponamus:

Sint

Sint devoti quotannis ex omni Iſraël

-- Maſculi pueri	-	1000	redimuntur ſiclis	5000
-- Puellæ	- -	500	redim. -	1500
-- Adoleſcentes	-	500	redim -	10000
-- Adoleſcentulæ	-	300	redim. -	3000
-- Viri juvenes	- -	100	redim. -	5000
-- Fœminæ	- -	50	redim. -	1500
-- Senes	- - -	30	redim. -	450
-- Vetulæ	- -	30	redim. -	300
-- Pauperes	- - -	300	redim. -	1000
-- Animalia munda	-	10000	valent -	20000
-- Animalia immunda		10000	valent -	20000
-- Domus	- - -	10	redim. -	1000
-- Agri	- - -	10	redim. -	500
Summa capitum		22830	Summa ſicl.	69250

Ex votis igitur ad ſacerdotes potuit quotannis redire Summa ſiclorum circiter *centum millium*. Summa votorum annua.

10) DE REDEMPTIONE ANIMÆ.

Exodi XXX. v. 12. præcipitur, ut ubi numerus populi inibitur ſinguli qui tranſeunt ad nomen *redimant animas* ſuas *dimidio ſiclo* argenti tam dives, quam pauper: ſuſcepta pecunia tradatur in uſus tabernaculi teſtimonii, ut ſit monumentum eorum coram Domino, isque propitietur animabus eorum. 205. Quæ fuerit redemptio animæ.

Ex ſexcentis itaque millibus virorum à viginti annis & ſupra redacta ſunt *trecenta millia* ſiclorum.

Cum vero non appareat veſtigium, hoc animæ pretium deinceps ſuccedentibus temporibus fuiſſe redditum, nihil hinc ad annuos ſacerdotii proventus colligimus.

11) DONARIA AD TEMPLUM ALIA.

206. Dona in deſerto ad tabernaculum ſuperflua

Iſraëlitæ etiamnum pauperes *in deſerto* ad tabernaculum Dei ædificandum contulere tantam vim armillarum, inaurium, annulorum, dextralium, vaſorum aureorum, hyacinthi, purpuræ, cocci bis tincti, pellium rubricatarum & janthinarum, argenti, æris, lignorum Setim, gemmarum, aromatum, olei, ut præconis voce prohibendi ab ulterius offerendis fuerint. Exodi XXXV. & XXXVI.

Templum gloria Judæorum.

Neque eſt dubium, quin deinceps liberalitatem prorogarint poſt receptam terram promiſſam; ac præcipue poſt templum à Salomone exſtructum, in quo templo omnes Judœi unice ſemper gloriabantur & adhuc in ejus memoria gloriantur, nec dubitarent in media hac ſua miſeria, qua nunc ſunt diſperſi, maxima donaria quotannis illi templo mittere e longinquo, ſi exiſteret.

Oleum, thus &c. à populo miniſtrata,

Oleum ad lucernas templi non emebant ſacerdotes de pecunia templi. Sed præceptum, ut filii Iſrael (etiam in deſerto) afferrent oleum *puriſſimum* ac *lucidiſſimum*. Lev. cap. XXXIV.

De *thure* idem dicendum, de *ſale*, de *aromatibus* pretioſis ad unguenta & thymiamata templi pretioſiſſima: ſicut etiam de *Lino*, *pellibus*, *cocco*, *ære*, *argento*, *auro gemmis*. Itaque

Itaque ſacerdotes tantis divitiis aucti à Deo, templi tamen ornatui non providebant de ſuo. Quod tamen noſtræ eccleſiæ ſacerdotes plerumque munificentiſſime ac merito faciunt. 297. non à ſacerdotibus.

Nihil hic dico de extraordinariis donis, theſauris & ſumptibus in templum Salomonis deinde impenſis, & in ejus diruti inſtaurationes.

David rex ſuperato Adarezer rege Soba in Hemat, & debellato rege Damaſci, tulit *pharetras aureas*, quas habuerant ſervi Adarezer, & æris plurimum, de quo fecit Salomon mare æneum, & columnas & vaſa ænea. Sed & omnia vaſa aurea & argentea & ænea *conſecravit rex Domino*, cum argento & auro, quod tulerat ex univerſis gentibus tam de Idumæa & Moab, & filiis Amon, quam de Philiſtiim & Amalec 1. Paralipom. cap. XVIII. 298. David quantum apparatum fecerit ad templum:

Deinde idem David ferrum *plurimum* ad templum præparavit, & æris pondus innumerabile. Ligna quoque Cedrina *non poterant* æſtimari, quæ Sydonii & Tyrii deportaverant ad David - - & ante mortem ſuam *omnes* præparavit *impenſas*: Et nihilominus vocato dein filio ſuo ſic locutus inter cetera eſt: Ecce ego *in paupertate mea* præparavi impenſas domus Domini: *auri talenta centum millia & argenti mille millia talentorum*: æris vero & ferri non eſt pondus, vincitur enim numerus magnitudine, 1. Paralip. XXII. quem tamen *paupertatem* vocavit.

Summa aùri & argenti duo millia millionū.

Si talentum argenti æſtimas *mille Philippeis* ſive thaleris: auri vero talentum *decies* tanti, habes ſummam à Davide templo præparatam

Auri	. -	1000, 000, 000
Argenti	- -	1000, 000, 000

hoc eſt *mille milliones thalerorum* in auro, & *mille milliones* in argento.

Miniſtrorum templi 30000.

Sed neque dum ſatis ad *templi unius* ſervitium ex Levitis electi ſunt viri à triginta annis & ſupra numero *triginta octo millia*, quorum *viginti quatuor millia* miniſtrabant uni templo; *ſex millia* miniſtrantibus præerant. *Janitorum* in uno templo conſtituebantur quatuor millia: *Cantorum* in uno templo quatuor millia. 1. Paralipom. XXIII.

Janitorum 4000. Cantorum 4000.

Gemmarum immenſa vis.

Præterea præparavit David *Lapides Onychinos*, & quaſi ſtibinos, & diverſorum colorum, omnemque *pretioſum lapidem* & *marmor* Parium abundantiſſime. Et ſuper hæc de peculio ſuo non conſecrato donavit templo Dei -- 3000 talentorum de auro Ophir

-- 7000 talentorum argenti probatiſſimi,

id eſt triginta milliones in auro, ſeptem milliones in argento.

E privato circa 100. milliones.

Et ſuper hæc omnia hortatus eſt Principes & omnem populum ut implerent manum ſuam & offerrent Deo ad templum excitandum. Hi ergo ſtatim contulerunt in opus templi

-- 5000

-- 5000 talenta auri & ſolidos decem millia, hoc eſt quinquaginta milliones thalerorum.

-- 10000 talenta argenti, ſeu decem milliones thalerorum.

-- 28000 æris talenta.

-- 100000 talenta ferri.

Et apud *quemcumque* inventi ſunt *lapides pretioſi* dederunt in theſauros domus Domini. *LÆTATUSQUE EST POPULUS, CUM VOTA SPONTE PROMITTERENT, QUIA CORDE TOTO OFFEREBANT EA DOMINO.* 1. Paralipom. XXIX. Præter æs, ferrum, gemmas,

De vaſis vero templi numerat Joſephus Lib. VIII. & IX. antiquit.

-- Decem millia candelabrorum argenteorum.
-- Octoginta millia calicum.
-- Decem millia pelvium argentearum.
-- Ducenta millia tubarum argentearum:
-- Quadraginta millia emunctoriorum.
-- Innumerabilem vim argentearum lancium, ſcutellarum &c.

Adhæc die altero poſt hanc Davidis allocutionem & vota prolata immolaverunt victimas Domino: ſed quanta exiſtimas Puffendorffi? præterque ſacrificia.

Tauros	. -	1000
Arietes	-	1000
Agnos	- - -	1000

cum libaminibus ſuis & univerſo ritu abundantiſſime, 1. Paralip. XXIX. v. 21.

209. Salomonis apparatus ad templum

Salomon quoque rex, ut ſe operi præpararet & regnum auſpicaretur, ſtatim profectus eſt cum univerſa multitudine in Gabaon ad adorandum apud tabernaculum Dei, ibique obtulit *mille hoſtias*. Quod ſacrificium adeo non irrationabile fuit (tale quid Puffendorffius de veteris legis ſacrificiis prodit) ut Salomon eadem nocte meruerit à Deo obtinere ſapientiam omnium hominum maximam. II. Paral. 1.

quatuor hominum exercitus ad fabricandum adhibiti, circiter 350 000 homines;

Sed audiamus poſt tantæ materiæ congeriem etiam hominum ad hoc opus apparatum.

Virorum onera humeris *portantium* conſtituit Salomon - - 70000

Lapicidarum - 80000

Præpoſitos eorum 3000

Quanti fuerint ſervi Hiram regis Tyri, qui ligna cedrina & alia cædebant in Libano, conjectes ex annona illis à Salomone præbita: præbuit enim

Tritici coros	-	20000
Hordei coros	-	20000
Vini metretas	-	20000
Olei ſata	-	20000

Præter ſervos proprios Salomonis ad cædendum ligna ſubmiſſos, haud utique parvo numero. Nimirum *decemmillia* per menſes ſingulos viciſſim, ut habetur III Reg. V. v. 14.

qui tamen ſeptem ipſos annos laborarunt in ædificatione.

Tempus etiam operis notatu eſt digniſſimum. Quippe cum *tres magni exercitus* laborarent tantum in ſylvis & lapicidinis, reliquoque rudi opere, tamen nonniſi poſt *annos ſeptem* conſummari opus potuit.

Quæ

Quæ fuerit multitudo artificum, qui in auro, argento, cælaturis, picturis, ære, cocco ornatuque reliquo laborarunt, haud exprimit ſacer ſcriptor: neceſſe eſt ingenti numero fuiſſe, nec pauciores quam lapicidas, ut adeo *quartum* maximum *exercitum* effecerint laborantium.

Completo ædificio ad dedicandum opus divino Numini proceſſit Salomon rex, ac primo quidem arcam Domini intulit per ſacerdotes in novi templi ſacra adyta. Per viam autem præcedebat arcam multitudo *& immolabant oves & boves absque æſtimatione & numero.* III. Regum VIII. v. 5. Sumptus in dedicatione templi.

Illata autem jam in templum arcâ mactavit Salomon hoſtias pacificas

-	boum	20000
-	ovium	120000

Oves & boves in una dedicatione à rege immolati *centum millia* & inſuper *quadraginta millia.* III. Reg. VIII. v. 63.

Sed & hoc neceſſe eſt ut hic partem orationis illius exſcribamus, qua uſus eſt David, cum theſauros ſuos coram Salomone filio & populo offerret ad templum, quo appareat, quis fuerit *magni* hujus *politici*, nempe *Davidis*, ſenſus, ſumptibus his in templum unicum factis. 1. Paralipom. XXIX. v. 11. ſic autem peroravit ſenex: 210. *Davidis oratio* memorabilis.
„ Benedictus es Domine Deus Iſraël patris noſtri ab
„ æterno in æternum. Tua eſt Domine magnificentia,
„ & potentia & gloria, atque victoria; & tibi laus. Omnia ſunt Dei.
„ Cuncta

„ Cuncta enim quæ in cœlo ſunt & in terra, tua ſunt; „ tuum Domine regnum, & tu es ſuper omnes princi- „ pes. Tuæ divitiæ & tua eſt gloria: tu dominaris „ omnium, in manu tua virtus & potentia: in manu tua „ magnitudo & imperium omnium. Nunc igitur Deus „ noſter confitemur tibi & laudamus nomen tuum incly- „ tum. Quis ego & quis populus meus, ut poſſimus hæc „ tibi univerſa promittere? Tua ſunt omnia, & quæ de „ manu tua accepimus, dedimus tibi. Peregrini enim „ ſumus coram te & advenæ ſicut omnes patres noſtri. „ Dies noſtri quaſi umbra ſuper terram, & nulla eſt mo- „ ra. Domine DEUS noſter, omnis hæc copia, quam „ paravimus, ut ædificaretur domus nomini ſancto tuo, „ de manu tua eſt, & tua ſunt omnia. Scio DEUS „ meus, quod probes corda & ſimplicitatem diligas: un- „ de & ego in ſimplicitate cordis mei lætus obtuli uni- „ verſa hæc: & populum tuum, qui hic repertus eſt, vidi „ cum ingenti gaudio tibi offerre donaria.

Princeps eſt advena in terra.

apparatus ille jam Dei erat.

Alia oratio Davidis

Huic conſonat oratio alia Davidis, quando concepit votum ad ædificandam domum Domini: ex qua agnoſcimus etiam alia momenta, quibus animus hujus regis vere politici permotus eſt ad tantum ædificium. Dixit enim porro ad Nathan Prophetam rex: „Videsne quod „ ego habitem in domo cedrina & arca Dei poſita ſit in „ medio pellium.

Domui David regnum

Verum cum Deus prohibuiſſet per Nathanem hoc opus fieri à Davide, qui multum ſanguinis humani effuderat

derat, promiſiſſet autem, id futurum per filium ejus cujus poſteritatem diutiſſime conſervaturus ſit: tunc „ ingreſſus eſt rex David, & ſedit coram Domino, (hoc „ eſt coram tabernaculo) „ & dixit: Quis ego ſum Do- „ mine Deus & quæ domus mea, quia adduxiſti „ me huc uſque? ſed & hoc parum viſum eſt in conſpe- „ ctu tuo Domine Deus, niſi loquereris etiam de domo „ ſervi tui in longinquum „ (id eſt in poſteritatem) „ Iſta „ enim lex Adam, Domine Deus „ (nempe ut moriamur & poſteris cedamus) „ Quid ergo addere potuit adhuc David ut loquatur ad te? tu enim ſcis „ ſervum tuum Domine Deus. - - - Quia tu Do- „ mine exercituum Deus Iſraël revelaſti aurem ſervi tui „ dicens: Domum ædificabo tibi: propterea invenit ſer- „ vus tuus cor ſuum, ut oraret te oratione hac. - -- In- „ cipe ergo & benedic domui ſervi tui, ut ſit in ſempi- „ ternum coram te. II. Regum cap. VII.

conſervatum propter templum.

Cogitatio de templo ædificando venit à Deo.

211.

Multa hic obſervatu digna reperio. *Primo* agnoſcit David cogitationem de templo ædificando ſibi venire non potuiſſe niſi à Deo. Deus enim revelavit aurem ſervi David, hoc eſt in auriculam ejus indidit, ut dicere ſolemus, ut templum faceret.

Secundo agnovit etiam David, ne hanc quidem orationem ſuam euchariſticam ſe facere potuiſſe, quin Deus regeret ipſius cor: dicit enim propter revelationem Dei in auriculam ſibi factam *inveniſſe* ſe cor ſuum. Quod

Ne orare quidem poteſt princeps niſi motus à Deo.

utinam omnes reges ſemper intelligerent: invenire ſe cor ſuum, quando domui Dei præparant bona.

Stemmata regia conſervantur ob curam templorū, & augentur regna.

Tertio ſtatim poſt votum de templo ex toto humilique corde nuncupatum duo Davidi promiſſa ſervataque ſunt à Deo. Primum, non ipſi eventurum id quod Sauli anteceſſori ſuo, cujus ſtemma à regia ſucceſſione cum ignominia depulſum eſt; ſed poſteritatem ejus regnaturam in finem. Alterum eſt, quod ex eo tempore David regnum ſuum extenderit victoriis; adjecit enim ditioni ſuæ omnem terram Philiſtiim, & Syriam Damaſci, & Moab & Idumæam, Ammonitas autem humiliavit plurimum.

Politicis expendenda

Quarto expendendum do falſis juris naturæ Doctoribus & Pſeudopoliticis, meliusne Jus naturæ ſequantur ipſi eorumque ſocius Poëta canens: *Dicite Pontifices in ſacris quid facit aurum?* An vero David? Tria hic attulit momenta prudentiſſimus rex, quæ ad templum ita magnificum ipſum permoverunt. *Primo*: quia omnia eſſent Dei, nihilque adeo magnum eſſet, ſi etiam montes auri divino nomini conſecrarentur extra humanos uſus alios ponendi. *Secundo*: quia quidquid David ac totus populus accepiſſet, & adhuc acciperet, acceperint à Deo ſolo largitore. Poſt tot ergo accepta non eſſe magnum ſi eorum partem ſuis uſibus detraherent, atque extra dominium ſuum poſita Deo ſacrarent. Propterea etiam hunc apparatum ſuum dixit eſſe *paupertatem*, non magnificentiam. Revera enim rex & populus multo plura ſibi reſervabant quam Deo obtuliſſent; igitur ſibi reſervata

Tria motiva Davidis ad templi magnificentiam: 1. Quia omnia ſunt Dei; 2. Quia quæ quis habet accepit à Deo, ergo quantumcumque Deo det, *paupertas ſua eſt*.

vata poterant dicere divitias: Deo oblata poterant vere paupertatem dicere. *Tertium* Davidi motivum fuit pudor ingenuus profectus ex profunda agnitione, hinc divinitatis, hinc propriæ humilitatis & nihili. Ex hoc principio judicavit indignum eſſe ut ipſe vermiculus (quamquam regius; regia enim dignitas Deo collata plane nihil facit ponderis) habitaret in domo cedrina hoc eſt tali quam populi agnoſcerent pro pretioſa; Dei autem monimentum, arca fœderis, ſtaret ſub pellibus caprarum, quod integumentum in omnium exiſtimatione vile habetur. Jus porro naturæ pſeudopoliticorum hæc ſicut & cetera, à Davide, Moyſe, aliisque Dei cauſa facta dataque, pro ſtultitia habet, ac juri naturæ adverſa. Ipſi omnia alia ſtatuunt: ac regis quidem & fœminarum ejus non tantum menſæ & lances & ſedilia, ſed etiam matulæ ſi ex auro ſunt argentoque, res ſit egregia & commentariis digna, & ſapiens ad Salomonis invidiam: Dei autem cultui in teſtimonium dominii illius ſupremi adhiberi aurum, argentum, opes alias, aut cremari quædam & conſumi, ſtultitia eſt, & *irrationabile* hoc dicunt ipſi; nempe quia nec ipſi tantum rationis poſſident, immerſi carnibus, ut poſſint invenire cauſas hoc agendi, nec cauſas à Davide aliisque proditas propter ingenii ſui obtuſitatem & animorum cœcitatem poſſunt intelligere.

3. Pudor eſt regem habitare magnifice, monimenta divinitatis ſquallere.

Politici hanc ſtultitiam putant, ſed luxum regum pro ſapientia habent.

Pauperrima politicorum ratio.

Atque hæc hactenus de opibus ſacerdotum apud Hebræos, deque hujus populi, de Moyſis, imo de ipſius Dei ſenſu circa opes ſacerdotii dicta ſufficiant.

212. Naturaliſtæ Moyſen fanaticum putant.

Erit ex Naturaliſtis, qui dicat: Moyſen fanaticum fuiſſe, qui tantas opes adjecerit hominibus, qui *ideam perfectionis conjungebant cum otio*, ut hic utar quodam loquendi modo auctoris ſpiritus legum.

℞. Ergo totus etiam populus tanto tempore fanaticus?

℞. 1. Si fanaticus Moyſes fuit, quomodo autem potes perſuadere nobis totum etiam populum tot per ſecula fanaticum fuiſſe? Quomodo fanaticus fuit David, fanaticus Salomon, qui Moyſen in magnificentia & munificentia longe ſuperarunt? quomodo dein fanaticus Herodes, qui in templi fabricam & ſplendorem ſane non pauca impendit?

213. Imo omnes gentes fanaticæ?

℞. 2. Si hæc cauſa fanaticos facit, videbimus deinceps, hanc cauſam in omnibus gentibus viguiſſe & vigere. Igitur pauci pſeudopolitici faciunt & proclamant totum mundum fanaticum: ipſi ſoli ſapiunt & puro ſpiritu reguntur. Quis iſtis paucis de ſe credat, quos publica vox terrarum orbis damnat?

214. An Moyſes *Barbarus* indiſciplinatus fuerit?

Inquit auctor profanus ſpiritus legum: Moyſes *barbarus* fuit, populus Hebræus barbarus fuit, David, Salomon, Ezechias barbari fuerunt. Barbari non ſerviunt in exemplum legum & bonæ politicæ. Apud quos ſacerdotes aliquid valent, inquit ſpiritus legum, *illi barbari ſunt populi.*

Nec Moyſes barbarus.

℞. 1. Spiritus legum barbaros contradiſtinguit illis, qui eruditi ſint diſciplinis, nec naturæ nudæ ductu reguntur. At *Moyſes eruditus fuit in omni ſapientia Ægyptiorum*; Actor. cap. VII. v. 22. ab Ægyptiis autem fere

fere in reliquos populos profectæ diſciplinæ ſunt, maxime in Græcos, quos barbaros ſi dicas, qui denique erit non barbarus? Davidem diſciplinas non ignoraſſe, plura demonſtrant. Primum mirifica ejus cythara canendi peritia, cui etiam malus ſpiritus Saulis ceſſit. 1. Reg. XVIII. Nam ſi cum iſtis hominibus loquimur, ſacræ ſcripturæ geſta debemus, quoad ejus fieri poteſt explicare tantum naturaliter: Si autem in hac Davidis muſica volunt agnoſci miraculum, quia ipſis placet, debebunt nobis miracula agnoſcere etiam alibi, ubi ipſis non placet: alias dicemus ipſos jure fanaticos, qui ſacras litteras intelligant pro impetu phantaſiæ ſuæ. Eruditum fuiſſe Davidem docet ipſius regnandi peritia: Fabrica templi tam magnifici & admirabilis ab ipſo concepta & Salomoni præſcripta, cum toto regimine artificum: docent ejus inſtitutiones in templo, ejus Pſalmi & Poëſis magnifica, & tota denique ipſius hiſtoria. nec David,

Salomon an barbarus fuerit, hoc eſt, an diſciplina caruerit, ille ſolus dicet, qui ſcripturam præfracte negat. Memento Reginæ Sabæ III. Reg. X. nec Salomon;

215.

Reſpond. 2. Si Moyſen, Davidem & Hebræos barbaros dicis, quod ſacerdotes foverint; barbari erunt populi omnes exceptis barbaris, nempe anthropophagis & Huronibus & Hottentottis. aut omnes alii populi barbari ſunt, exceptis anthropophagis

Igitur ſoli ſacerdotum neglectores non erunt barbari. Et hoc magis ſoli ſacerdotum perſecutores erunt diſciplinati, eruditi, politi & humani; ſoli homines ſunt, qui ſacerdo- & ſacerdotum perſecutoribus.

cerdotes decorticant. Bella politica, ſana & ſancta politica!

216. Hebræi terram acceperunt à Deo, ergo recte fecerunt hunc ſumptum,

Alius objectabit. Magnum eſt diſcrimen inter populum Hebræum & populos Chriſtianos. Hebræi terram promiſſionis acceperunt immediate à Deo. Itaque æquum nonnihil fuit, ut eodem Deo jubente aliquid ſacerdotibus Dei concederent.

nec Chriſtiani acceperunt à diabolo.

℞. 1. Unde ergo chriſtiani populi acceperunt terras? an à diabolo?

217. Politici etiam ajunt reges regnum immediate à Deo habere.

Ergo & hi eadem debent quæ Hebræi:

℞. 2. Ubi deinde eſt illa quorundam profanorum doctrina, qui, ut populos jugo premant, adulentur principibus, Principes terras ſuas una cum populo *immediate à Deo* habere, atque adeo omnia ſolius principis eſſe? Si principes immediate à Deo obtinuerunt regna, ſaltem inter principes chriſtianos & hebræos in hoc non eſt diſcrimen, & objectio tua inutilis eſt; Et principes chriſtiani non minus quam hebræi debent Dei illius largitoris ſacerdotes fovere. Alias enim idem Deus qui datum populo hebræo regnum ſtupenda calamitate penitus eripuit, idem data principibus ac populis aliis regna eripere ſane poteſt, ac ſæpe eripuit: nec ita longa erga alios plerumque patientia utitur, qua uſus eſt erga Hebræos, quia non alium habet, quem iterum mitteret filium.

Ob-

Objectabis ex Puffendorffii aliisque ejusdem corii ſcitis: Religio chriſtiana non eſt inſtituta propter terrenas opes & commoda hujus vitæ. Ergo ſacerdotes in chriſtiana religione non debent habere opes.

218. *obj.* Chriſtianiſmus non eſt propter terrena: Ergo ſacerdotibus non conveniunt opes.

℞. 1. Artificioſiſſime tornata hæc conſecutio eſt, qualem nec Myron ſubtiliſſimus exſculpere poſſet, ſed ſolus primus in orbe Logicus Puffendorffius. Cur non etiam ſic ais: chriſtiana religio non eſt inſtituta propter duos pedes & decem digitos: Ergo ſacerdotibus chriſtianis debent præcidi crura & amputari digiti? Eundem in modum ſacerdotes chriſtiani non debent manducare nec bibere, nec dormire, nec os nec oculos habere, & corpore denique omni carere; quia chriſtiana religio non eſt inſtituta propter corpus. Imo ſacerdotes non debent omnino vivere hac vita præſente, ſed tantum futura; quia chriſtianæ religionis ſcopus eſt non vita præſens ſed futura, ut loquitur Puffendorffius. Et hoc eſt ipſum, quod Puffendorffius cum pſeudopoliticis volunt: Nullos eſſe in hac vita ſacerdotes. Nam ſi unquam in hac vita admittuntur ſacerdotes, ſatis agnoſcit Puffendorffius paſcendos ipſos etiam eſſe, & quidem *commode* habendos. Nam ſi in hac vita ſunt, debent gaudere fine & ſcopo hujus vitæ, qui ſimul eſt ſcopus juris naturæ Puffendorffianus; vitæ autem hujus ſcopus eſt *commoditas*. Ergo ſacerdotes debent gaudere *commodis* hujus vitæ, ſi ſemel in hac vita tolerantur, nec poſſunt illis commodis privari, ne peccetur in jus naturæ, ab ipſo Puffendorffio apodictice demonſtratum.

Querna hæc eſt logica.

℞. 2.

219. Ex argumento inferuntur contraria politicis.

℞. 2. Hoc argumentum plurimum nocet cauſæ Pſeudopoliticorum. Sic enim petit hæc argumentandi ratio. Omne quod non eſt ſcopus religionis chriſtianæ non debet habere is, qui Chriſtianus eſſe vult. At religionis chriſtianæ ſcopus non eſt regnum hujus mundi. Igitur qui Chriſtianus eſſe vult, non debet habere regnum hujus mundi. Aut viciſſim, qui regnum hujus mundi habet, non eſt Chriſtianus. Mactant reges Cacopolitici & Sophiſtologici, quando eos adulatione videntur velle augere. Sed & ſeipſos cultris induunt incauti & inſciti. Nam chriſtianæ religionis finis non ſunt opes: Ergo nobilitas, ergo mercatores, milites, aut opes non debent habere, aut Chirſtiani non eſſe.

220. Nec judaica religio inſtituta eſt propter terrena.

℞. 3. Ne Judaicæ quidem religionis ſcopus ac finis fuere opes terrenæ, ſed æternæ tantum: quæ æterna, ſi cui religioni in orbe terrarum non ſunt pro fine propoſita, non illa religio eſt, ſed ſeductio & peſtis. Non igitur diſcrimen eſt religionis chriſtianæ à judaica hoc, ut ſacerdotes hebræi vi religionis opes poſſiderent, ſacerdotes autem chriſtiani vi religionis chriſtianæ opibus exuantur, vel iis non augeantur.

221. Contrariæ politicis ſequelæ.

℞. 4. Inſcitam Cacopoliticorum logicam etiam alia ratione licet agnoſcere. Longe enim illis contraria ſequuntur. Nam religio chriſtiana non eſt inſtituta propter opes terrenas, quid ſequitur? an hoc ſequitur: ergo chriſtianus nobilis, miles, rex debet quærere opes terrenas? & quidem alienas nempe ſacerdotum? & quidem Deo conſe-

conſecratas ab aliis tanquam ſacrificium de ſuo Deo litatum? imo potius hoc conſequitur: Chriſtiana religio non intendit opes terrenas: ergo Chriſtianus debet opes aliorum intactas relinquere, præſertim eas, quas ipſe vel alius Deo in ſacrificium obtulerat. Imo hoc potius ſequitur: Ergo Chriſtianus de opibus ſuis libenter debet dare & concedere, præſertim Deo ejusque cultui, à quo opes omnes tanquam inſtrumenta præberi certus eſt Chriſtianus non minus quam Judæus.

222. Judæi terrenorum cupidiſſimi tamen ſumptum ſacrum amabant; Cur Chriſtiani terrenorum contemptores illum horrent?

Reſpondeo igitur *quinto*, Populus judaicus, cui terrena promiſſa ſunt, & cui per religionem erat conceſſum non quidem finem in divitiis ponere, ſed tamen illas quærere, cumulare, & affectu majore proſequi, is, inquam, populus tantam divitiarum partem, quantam vidimus, profudit in ſacerdotes & aras, & voluit hos triplo aut quintuplo commodius ditiusque vivere quam ipſosmet. Et quomodo Judæi hi non rubore ſuffundunt Chriſtianos parcos? quomodo non damnant Chriſtianos raptores?

223. Diſcrimina inter Hebræos & Chriſtianos.

Juvat autem diſcrimina aliquot proferre, quæ obſervavi inter Judæorum animum & noſtrorum.

1. Hebræi nunquam inhiarunt opibus ſacerdotum.

Primum diſcrimen: populus hebræus vehementer erat deditus ſubſtantiæ terrenæ: adhæc erga Deum erat ſæpiſſime incredulus, ingratus, rebellis, atque in hoc demum incorrigibilis. Cum his omnibus vitiis, quæ valde incitare ſolent ad iniquitatem erga Dei miniſtros exercendam, nunquam legimus, Judæos populos, aut Judæos reges

aut Judæos nobiles militesve inſurrexiſſe in tribum ſacerdotalem, aut manus in eorum poſſeſſiones vel proventus injeciſſe. Ne de querelis quidem quidquam legitur, cum tanta onera ſacerdotum causâ portarent. Non leve hoc miraculum videtur.

ſicut Chriſtiani aliqui.

Contra, inter Chriſtianos quoties ejusmodi querelæ perſonant. Quoties ſacerdotum loculis clam palamque ſtructæ inſidiæ ab antiquo ſunt? templorum theſauri effracti? cetera, quæ miſerum eſt referre. Magnum etiam hoc miraculum videri poſſet, ſi chriſtianæ religionis aliqua vis in animis eſſet.

224. 2. Hebræi ſuo labore paraverunt terram ſacerdotibus.

Secundum diſcrimen. Levitæ Hebræorum intrarunt in civitates ſibi ſorte datas, non quas ipſi ædificaverant, aut expugnaverant, ſed quas alii ſanguine partas reſtauraverant, has dabant Levitis pugnæ ſpectatoribus.

Chriſtianis terras pararunt ſacerdotes.

Contra, chriſtiani ſacerdotes non modo multas villas, caſtra, oppida ſed & multas civitates ſua induſtria & ære ædificaverunt, aut per ſuos ædificari fecerunt; quod paſſim in Germania noſtra claris multisque exemplis certum eſt. Rurſus iidem ſacerdotes & monachi permagnam Germaniæ partem cultam fecerunt, ac prope dimidiam, paludes exſiccarunt, tesqua extirparunt, fluvios coercuerunt, terrasque iis eripuerunt. Idque non tantum ut ipſi viverent & paſcerentur, ſed ut infinita multitudo omnis generis mortalium inde usque in hunc diem paſcerentur. Exempla proſtant hujus rei in Suevia, in Franconia, in Bavaria, in Auſtria &c. quæ in hiſtoriis legas.

Tertium

Tertium diſcrimen. Levitæ nemini quidquam contribuebant, præter eleemoſynas pauperum, & decimas, quas de ſuis decimis pendebant ſummo ſacerdoti. Nihil ab ipſis accipiebat rex, nihil miles. 225. 3. Levitæ accipiebant, nihil reddebant.

Noſtri vero ſacerdotes quanta pendant omnibus reipublicæ membris, à minimo uſque ad maximum, vix ullo hominum excepto, incredibile dictu eſt. Sacerdotes noſtri omnia prope reddunt.

Quartum diſcrimen. Judæi firmiter credebant, *omnia*, quæcunque eſſent in terra, eſſe Dei propria, & ad ipſum pertinere: illa autem, quæ populus tenebat, conſiderabat tanquam excepta & deciſa ex ſubſtantia ſive poſſeſſione Dei, & liberaliter populo indulta, atque ex indulgentia conceſſa. 226. 4. Hebræi Deo conſecrata in lucrum ponebant:

Contra ex noſtris Cacopolitici contendunt, omnia eſſe ſua, nihil Dei aut Dei miniſtrorum. Quæ autem ex omnibus reciduntur & Deo conſecrantur ac Dei ſacerdotibus dantur, aut ab aliis data his permittuntur, ea periiſſe dicunt ac perdita eſſe. Chriſtiani ea periiſſe dicunt.

Quintum diſcrimen. Judæi plerumque beatiſſimos ſe exiſtimabant, ſi ſub ſacerdotum imperio eſſent. 227. 5. Hebræi ſacerdotes amabant.

Noſtri aliqui etiamſi agnoſcant, mitius eſſe ſacerdotum imperium, tamen dicunt hos noxios reipublicæ: nollent humanitatem coli. Politici eos noxios dicunt, quorum beneficiis vivunt.

Sextum diſcrimen. Judæi ex nulla tribu habebant ſpem veniendi in ſortem Levitarum aut ſacerdotum, ſed perpe- 228. 4, Judæi in ſortem

nunquam venie- bant. perpetuo ab ea arcebantur: perpetuo tantum illis dabant & pendebant, nunquam veniebant in participium uſus eorundem, nullus, nec rex, nec civis, nec mercator, nec paſtor, nec eorum filii filiæque, neque ullus pronepotum.

Chriſtiani omnes poſſunt ſacerdotii fieri participes. Contra, noſtri populares quotidie adſcribuntur in numerum ſacerdotum, & ſacerdotii ſorte proventibusque perfruuntur. Nullus excluditur nec miles, nec colonus, nec mercator, nec latro, nec eques, nec cerdo, nec mas, nec fœmina, nec juvenis, nec ſenex, nec delicatus, nec robuſtus. Quanti ex omni ordine reipublicæ vivunt & nutriuntur in epiſcopatibus, in præbendis, in ſacerdotiis ruri, in monaſteriis virorum atque fœminarum, in ordinibus militaribus? Quamobrem ii populares, qui invident aut nocent ſacerdotio, ſibi potius nocent ſuæque poſteritati perpetuum aſylum apud ſacerdotes patens præcludunt inconſiderate; ut ſi membra ſtomachum præfocent.

229. 7. Judæi Levitas pro fratribus ſuis habebant: *Septimum diſcrimen.* Judæi agnoverunt, Levitas eſſe fratres ſuos, ex eodem parente deſcendentes, ejusdem gentis homines: cognoverunt etiam ipſos parte ſua hereditaria ceſſiſſe ac propter has cauſas non invidebant ipſis divitias, multo minus auferebant; tametſi nunquam earum poſſent fieri participes ipſi.

Chriſtiani ſuos ſacerdotes pro Hottentottis. Contra, noſtri quidem hæc in noſtris ſacerdotibus æque agnoſcunt; quis enim noſtrorum civium crederet, ſacerdotes noſtros eſſe Hotentottos aut Irokos, cum qui-

quilibet inter ipſos poſſit de nomine vocare fratrem ſuum, aut filium, aut vicini ſui filiam. Nihilominus cumprimum aliquis ex ipſorum fratribus, filiis, propinquis è familia ſua expeditur, ut ampliorem ceteris hereditatem relinquat, & fit ſacerdos aut monachus, mox dignus videtur contemptu communi & odio.

Atque hæc interim de Judæorum populo ſacerdotii cultore ſufficiant ad hoc, ut *ſenſum* hujus *populi* à ſenſu Cacopoliticorum longe alienum fuiſſe indubitato videatur. Nunc ad alias gentes convertamus animum, à religione vera & ſana quidem alienas, hoc tamen *ſenſu communi* ideoque bono præditas omnes, ſacerdotii opes non nocere reipublicæ, nec eſſe contra ſanam politicam.

TESTIMONIUM SECUNDUM.

SACERDOTII FACULTATES IN IMPERIO TURCARUM.

QUoniam non inventorem rerum me præbeo, ſed narratorem, & ludibrium deberem vel bardis, ſi de mea penu quidquam horum proferrem, ex aliis omnia referam. Cumque nemo fere res Turcarum ita complexus eſt cum delectu, quemadmodum Politicus Anglus, Ricaltus (*RICAUT*), qui apud Comitem Winchelſæum Caroli ſecundi regis apud Turcas legatum Secretarium legationis diu egerat Conſtantinopoli, vir eruditus, politi-

230. Ex quibus auctoribus hauriam.

 cus,

cus, & rerum omnium Turcicarum præſens arbiter. Hoc ergo libro utamur, quem in vernaculam noſtram converſum editor Auguſtanus an. 1694. dedicavit invictiſſimo nomini Maximiliani Emmanuelis Sereniſſimi Bavariæ Principis, ac Mahumetici imperii terroris.

231. Res publica Turcarum *non diſtincta* à religione ipſorum.

Is igitur ſecunda parte *der Ottomanniſchen Pforte* Cap. I. refert: *Leges civiles Turcarum eſſe partem religionis ipſorum.* Ex quo principio ſtatim agnoſcere licet, animam, caput, & arcem reipublicæ Turcicæ conſiſtere in ſubjectione illorum ad religionem quam ſusceperunt. Atque ad demonſtrandum, religionem ejusque miniſtros apud hos prærogativa gaudere, non eſſet opus plura dicere, & poſſem é reliquis recenſendis abſtinere calamum, niſi tamen & hoc gratum accideret lectori, videre, quomodo Turcæ hoc ſuum principium factis ſequantur & exſequantur. Sicut, ſi ſemel Puffendorffius profitetur, leges naturales, quas ſibi imaginatus eſt miſer illius ſpiritus, dirigi ad commoda iſtius tantum præſentis vitæ, ſatis agnoſcitur, quale ipſius jus naturæ eſſe debeat, nec opus eſſet altius indagare: prodeſt tamen videre, quam belle id exſecutus fuerit.

Lex civilis Turcarum nulla eſt præter Alcoranum

Ergo Religio apud Turcas eſt totum, lex civilis apud eosdem eſt pars. Codices religionis ipſorum, *Alcoranus* & *Aſſonachus* ſunt ſimul ipſorum Corpus Juris civilis; aliud corpus juris, alias leges non habent quam ſuam religionem. Religio imperat, religio rem publicam regit.

Obe-

Obedientia erga principem apud ipſos tanta eſt, non ob amorem principis, patriæ, aut commodorum hujus vitæ, ſed quia eſt apud ipſos *articulus fidei*, quo credunt, neminem certius obtinere paradiſum, quam qui manu principis vel ejus mandato vita exuitur. *Ricaut* Part. I. Cap. III.

Obedientia in principem articulus fidei.

Præterea Turcæ, qui agnoſcunt, ſe in terris alienis habitare, agnoſcunt etiam ſibi neceſſarium eſſe, ut multos in ſui populi ſocietatem adoptent. Ipſi enim ſoli non poſſent terras tam ſpatioſas tenere. Hinc fit ut omnes omnium nationum homines ſuſcipiant, ſi modo velint exteriore ſaltem habitu & moribus ſe profiteri Mahometanos, quidquid deinde in corde ſentiant, & quamcunque religionem profiteantur. Equidem apud alias etiam nationes ſæpe alienigenæ adleguntur in civitatem. Sed hoc advertendum eſt diſcrimen: cum quis Germanus in Gallia vel Anglia civitatis jus obtinet, dicitur *Naturaliſari*; hoc eſt fingitur fictione juris: quaſi natura ipſum in Anglia edidiſſet. Contra apud Turcas, qui in *civitatis* jus recipitur, dicitur effectus eſſe *religioſus*, *ſeu credens*, & *fidelis*. Idem eſt eſſe civem ac eſſe Muſelmannum ſive recte credentem. Ric. Tit. I. c. 17. Idem apud Romanos vigebat. vide infrà Num. 344.

Civem fieri apud Turcas idem eſt ac *religionem* ipſorum profiteri.

Nullus eſt Turcarum, cui quidem rei familiaris ſatis eſt, qui non unum ſaltem alienigenam Muſelmannum facere laboret.

Quivis Turca unum lucrari proſelytum laborat

Reli-

Religio Turcis eſt titulus acquirendi & poſſidendi ſine præſcriptione.

Religio Turcis eſt titulus ac fundamentum juris politici. Lex eſt apud ipſos religionis: quocunque in loco ſeu civitate ſemel ædificata eſt aliqua ipſorum Moſchea ſive templum, ille locus dedi infidelibus ultro ac per conditiones nunquam deinde poteſt: niſi cum diſpenſatione Ricaut. Lib. II. cap. III.

De necatis in bello.

Alia eſt lex ſive fidei articulus, eos omnes, qui in bello adverſus infideles obierint, rectè ad paradiſum deferri, tametſi nullum eouſque bonum præſtitiſſent, nec ulla in re vita eorum congruiſſet cum religione.

DE MUFFTIO
SEU SUMMO SACERDOTE TURCARUM.

232. Muftius eſt judex univerſalis.

Is omnium difficilium cauſarum eſt arbiter, ſive rem publicam, ſive privatam, civilem, criminalem, religioſam tangant. Mufftii requiritur ſententia, quam paucis in charta (quæ *Fetsa* dicitur) ſcriptam edit: & judices omnes ſemper ſecundum illam ſententiam decidunt controverſias, ſine ulla appellatione.

Equidem hodiernis Turcarum moribus non ita ſancta eſt Mufftii auctoritas, ſed & exiſtimant Turcæ vim imperii ipſorum à priſtina multum decidiſſe. Certumque eſt, hodiernum Turcarum imperium neutiquam ſuis opibus conſiſtere, ſed Chriſtianorum fere diſſidiis: non quod Turcarum religionem efficacem ad quidquam ego agnoſcam, ſed quod hinc appareat, humanæ naturæ hoc proprium

proprium eſſe, ut ſocietatis civilis nulla poſſit locare fundamenta niſi ſupra religionem, ſaltem imaginatione conceptam.

Proventus Mufftio certi ſunt in ſingulos dies circa *quinquaginta* floreni. 233. Proventus Mufftii.

Incerti ſunt donaria plurima ab omnibus indigenis exteriſque facta, præcipue legatis. Dein præbendæ complures templorum imperialium ejus arbitrio ſubſunt, quas vendere quanti maximi poteſt.

DE ALIIS PERSONIS HIERARCHIÆ TURCICÆ.

CADILESKER dicitur à Mufftio ſecundus, qui totius exercitus & militiæ judex eſt. Sed & hoc moribus hodiernis immutatum eſt & Cadileskeri non militia ſed civilia judicia parent. 234. Omnes judices ſunt perſonæ religioſæ.

Hunc ſequuntur ſic dicti *MOLÆ*, ſeu judices ſupremi per provincias, quibus ſubſunt *Cadiſii* ſive judices minorum civitatum, & majorum.

Hi judices omnes inter perſonas religioſas & ſacras numerantur apud Turcas & de ſacerdotio ſunt, quia judicia omnia ex Alcorano decernuntur, cujus iſti ſunt interpretes.

IMANES ſunt velut plebani, certorum templorum ac plebium miniſterio addicti, ex quorum redditibus etiam vivunt.

Sub Imanibus ſunt *Daniſchmendi* ſive Talcimanes, qui & puerorum ludum exercent.

P. Deſing. Opes ſacerdotii. Gg DE

DE MOMASTERIIS TURCARUM.

235. Ordines Monachorum Turciæ.

Mores iſtorum & inſtituta haud deſcribam, neque enim ad rem præſentem pertinet. Sed de diverſitate, copia & opibus referam.

Ordines monachorum apud Turcas numerantur *octo*, qui omnes uno communi vocabulo appellantur *DERVISII*, hoc eſt *homines devoti*, *pauperes* &c.

MEVELAVITÆ in præcipuo omnium honore habentur. Ottomannus I. magnis eos privilegiis auxit. In præcipuis imperii urbibus monaſteria habent admodum frequentia, ut *trecenti*, *quadringentique* uſque ad *quingentos* in iis alantur. Monaſteriorum primum eſt Conii in Aſia minore quadringentorum monachorum, cujus antiſtes caput eſt omnium hujus ordinis Derviſiorum: qui cum comitia ſua hoc in loco celebrant usque ad *octo eorum millia* confluunt.

DE TEMPLIS TURCARUM.

236. Liberalitas verſus templa.

Turcæ erga templa locaque alia divino ſervitio dicata valde ſunt liberales, non magnificis modo exſtructionibus, ſed redditibus annuis, ac tanta quidem profuſione, ut prope *TERTIA PARS FUNDORUM* ſive agri in tam amplo imperio ſit, quorum fructus ac reditus ad religioſos uſus ex fundationibus deſtinatus ſit. *Quod in eorum pudorem hic dixerim* (inquit auctor hic Anglus) *qui Chriſtiani vocari volunt, & tamen modicam ſtipem ad miniſtrorum altaris ſuſtentationem conferunt, audent pro nimia habere.*

Fundi Turcici tertia pars templis propria

Hominis Calviniani ſententia de hoc.

Templa

Templorum imperialium ineffabilis numerus.

Templa imperialia, *Selatin Giamilevi* ab ipſis vocata, in proventibus ſunt præcipua: quorum per totum imperium *ineffabilis eſt numerus.* Conſtantinopoli imperialia templa ſunt S. Sophiæ, Sultani Mahumetis, Bajazethi, Selimi, Solimanni, Schachzadechi, Achmeti, cui ædificando toti exercitus adhibiti ſunt & impenſa quinquagies centenorum millium *Sagredo*, ac tria à matribus Sultanorum ædificata.

237. Templi Sophiæ reditus annui

100. millia auri ex ſola Conſtantinopoli,

Sultanus illi vectigalis.

Horum ingentes ſunt divitiæ; Exempli cauſa templum S. Sophiæ, quando Turcæ occuparunt Conſtantinopolim, adeo non ſpoliarunt opibus, ut *altero tanto* eas adauxerint, nec facile quæquam in toto orbe chriſtiano fundatio huic par inveniatur. *Annua* ſaltem *centum Zecchinorum* ſive *aureorum millia* pro hoc templo ex ſola Conſtantinopoli rediguntur. Ipſe Sultanus eſt obligatus in *ſingulos dies mille & unum aſperos nummos* huic templo exſolvere tanquam *cenſum* pro agro cui inædificatum eſt ipſius palatium, Seraglio dictum, qui ager Chriſtianis urbem tenentibus fuerat pars horti S. Sophiæ: Turcæque credebant ſacrilego piaculo ſeſe obſtrictum iri, ſi fundum eccleſiæ in ſuos uſus redigerent, quin magna viciſſim utilitate velut debito tributo illud compenſarent. Unum autem nummum ſupra millenos addunt adhuc, ut ſignificent eccleſiæ fundum *mille* nummis ſolvi non poſſe, & ut quilibet Sultanus admoneatur hunc cenſum etiam augere.

à Sultanis opes templo adjectæ.

Expugnata urbe Sultanus Mahumet hoc templum ingreſſus ad gratias Deo de victoria referendas, magnificentiam ejus ædificii non tantum verbis admiratus eſt, ſed rebus adauxit, & in arena capto conſilio ad priſtinas opes ſtatim adjecit proventum *decem millium aureorum*, ex quibus Imanes aliusque ſacerdotum ordo alerentur, quorum eſſet juventutem in religione Mahumetica inſtruere.

Qui hunc exceperunt imperatores, per circuitum hujus templi exædificarunt ſacella ſepulcrorum ſuorum; *Turbeth* vocant.

Sumptus ad lampades & preces pro mortuis.

Præterea ad lampades, ad eos nutriendos, qui hic pro animabus mortuorum perpetuo precantur, ad pauperum plurimorum alimenta hic quotidie diſtribuenda ingens pecuniæ modus in proventibus eſt. Quamquam autem impenſa hæc ſit incredibilis, nihilominus quotannis magna ſupereſt Summa, quæ in templi theſauro reponitur ad futuros uſus.

Collegia Catechiſtarum &c.

Præter imperialia templa extant Collegia, *Temele* dicta, exædificata pro iis, qui in ſtudium Alcorani incumbunt: Xenodochia: hoſpitia peregrinorum, ædiculæ plurimæ pauperum, quæ totos vicos efficiunt: quæ omnia certum templis quibus adhærent vectigal pendunt. Quæ tamen cum non ſufficerent, adjecti ſunt multi terrarum tractus, pagi, montes & ſylvæ. Hæc ad lucrum templo parandum fœnori omnia exponuntur.

terræ, pagi &c. templorũ.

238. Ex omni terra portio datur templo.

Quoties aliquid terræ de novo acquirit imperator, pars illius quædam templis poſtremo loco ædificatis conſecra-

ſecratur: atque hoc tempore audio (inquit Anglus) ex provincia circa Neuhæuſel per Turcas occupata proventus aſſignati ſunt templo ab Imperatoris matre nuper conſtructo.

Ejusmodi reditus interdum penduntur in modum decimarum; non quod decimas ordinarie Turcæ pendant, ſed quod hic contribuendi modus ipſis alicubi videtur percommodus. Decimæ.

Adhæc cives & pagi ſub templorum dominatu viventes longe ſe aliis beatiores exiſtimant: non modo ob plurima & magna privilegia, ſed quod Baſſarum tyranidi non ſubjaceant, nec ulla militibus hoſpitia præbeant, nec Satrapis terram magno comitatu obeuntibus quidquam ſerviant. 239. Pagi templorum privilegiati:

Minora templa privatorum ſumptu conſtituta reditum ex agris non habent, ſed ex pecuniis tantum, quæ aut à vivis donantur, aut à morientibus teſtamento locantur. Cumque Alcorani lege vetitum ſit pecuniam fœnori dare, templorum tamen hinc excepta pecunia eſt, quæ elocatur quanti maximi poteſt, ita ut è *centum* aureis annui *octodecim* non raro redigantur. 240. Minora templa ditantur ex fœnore.

Ceterum cum in turcico imperio omnia ſolius imperatoris ſint propria, omnes civium fortunæ, corpora omnia, terræ omnes; hinc tamen excipiuntur ſolæ templorum ac religioſorum opes, quæ Sultani non ſunt, ſed Dei, neque à Sultano attinguntur. Quin cum Satrapæ quavis de cauſa neci addicuntur, & omnes eorum facultates in 241. In templa nullum jus Sultano.

principis deportantur theſauros, liberum eſt tamen miſeris his, ad templa & ſacerdotia quod volent donare aut legare. Ricaut Lib. I. Cap, II.

ELEEMOSYNÆ TURCARUM ET PEREGRINATIONES.

242. Eleemoſynæ ſunt ex quinque articulis turcicæ religionis. Tametſi vero Alcorani lege decretum non ſit, quantum quisque de ſuo diſtribuat, vulgata tamen illorum exiſtimatio, cuilibet *centeſimam* omnium facultatum ſuarum partem eſſe diſtribuendam. Alii id parum exiſtimant, & partem jubent dari *quadrageſimam:* alii devotiores *decimam.*

Cumque ditiores hanc legem in pecuniaria diſtributione non obſervent, ne menſura facultatum ſuarum deprehendi hinc valeat, attamen modis aliis id compenſant, Xenodochiis, monaſteriis, templis erigendis. Adhæc hoſpitia paſſim per vias plurima atque ampliſſima ædificant, proventibusque largiſſimis inſtruunt, ubi itinera facientes commode ac ſine impenſa morentur.

Hujus autem eleemoſynæ participes cum maxime fiunt Derviſiii ſeu monachi & ſacerdotes.

243. Peregrinationi ad Meccham maximi ſumptus

Turcæ & Mahumetani omnes, quibus non eſt res anguſta domi, obſtricti ſunt ſemel dum provivunt ad ſepulcrum Mahumetis in Arabiam proficiſci. Absque muneribus quantæ in hoc fiant impenſæ quotannis, difficile

cile dictu eſt. Exempli loco ſit Ægyptus. Ex hoc optimo ſane regno illius Prætor ſummus ſive Baſſa Cairi quotannis ſexcenta millia Zecchinorum aureorum Venetis Zecchinis meliorum Conſtantinopolim mittit tributi nomine. Alia *ſexcenta Zecchinorum millia* impenduntur in peregrinationem Arabicam, Caravanam dictam, quæ Cairo uſque Meccam inſtruitur. affiduo impenduntur.

Numera jam quantum æris impendatur à privatis; cum profecto ejusmodi Caravana nihil ſit aliud, quam exercitus bene magnus hominum divitum, qui cum multis camelis, equis, ſarcinis, ſtipantibus aciem armatis, iter ingrediuntur. Vid. infr. Num. 261.

Jam fac, prudens lector, harum rerum aliquam Anacephalæoſin, ut, quantum impenſæ natio iſta in ſacra qualiacunque faciat fierique permittat, agnoſcas, & quam alienus iſtorum ſenſus ſit à ſenſu quorundam politicorum, qui Chriſtiani dici volunt, ut Ricautus ſuprà allegato loco obſervavit. 244. Anacephalæoſis de opibus ſacris Turcarum.

Templa Turcarum multa ſunt ditiſſima:

TERRARUM Turcicarum pars fere tertia in templa ſolum imperialia diſtributa eſt.

SACERDOTUM & monachorum ingens eſt numerus.

PRIVILEGIA reddituum ipſorum ſunt ampliſſima, oneraque publica ab ipſis in alios cives derivantur.

FOENERARI templis non vetitum ſed ſanctum habetur.

A *DOMINIO* & jure tam deſpotici principis excepta ſunt ſola ſacerdotalia bona.

In *PEREGRINATIONES* aliasque pias cauſas, quas dicunt, maximi ſumptus fiunt.

Adde his numerum ingentem *Sacerdotum chriſtianorum* cum Patriarchis, Archiepiſcopis, monaſteriis, eccleſiis. Licet enim iſti multo vivant anguſtius, tamen vivunt & aluntur omnes in eodem imperio, nec Turcæ iis invident panem, ſicut aliqui Chriſtiani eundem invident ſacerdotibus ſuis propriis. Et facile comprehendere potes quam numeroſum ſit ſacerdotium chriſtianum in hoc imperio, ubi Chriſtiani numero forte triplo plures ſunt quam Mahumetani: Chriſtiani inquam tam Catholici quam variarum orientis ſectarum, & ſchismatici.

Turcæ non judicant opes ſacras nocere reipublicæ,

Dic jam oro, quid videtur? Exiſtimántne Turcæ, opes religioni ſacratas nocere reipublicæ? Exiſtimántne, ſanam politicam exigere, ut ſacerdotum arctus ſit panis, templorum brevis ornatus, prædiorum ſacratorum violatæ immunitates, adaucta onera? Exiſtimántne hi, periiſſe quod ſacerdotio donatur?

ſcandaloque ipſis poſſunt eſſe politici aliqui.

Profecto Turcæ, quos barbaros dicimus nos, religionis illius, quam veram putant, miniſtros honorare, ditare pro principio politicæ habent. Iidem Turcæ, credo, exiſtimabunt, Chriſtianis ſuam religionem falſam videri-

deri, quibus videtur res publica ſua ſalva eſſe non poſſe, niſi ejus religionis miniſtris acciſis, contemptis, & vervecum gregariorum modo detonſis.

TESTIMONIUM TERTIUM.

SACERDOTII FACULTATES APUD INDOS.

Indiæ qua late patet populus omnis quatuor complectitur hominum genera ſive tribus, quas ipſi *Caſtas* vocant. 245. Genera Indorum quatuor

Primum genus eſt *Brachmanum.*

Secundum genus eſt Nobilium, *Settreas*, ſive *Rajas*, ſive etiam *Kuttery.*

Tertium artificum & mercatorum, *Wienſias* dicunt vel *Schuttery.*

Quartum genus eſt ſutorum, coriariorum, piſcatorum; & infimæ plebis. *Wyſæ* dicuntur, aut *Paræ.*

Sunt autem *BRACHMANES* iidem, qui olim Gymnoſophiſtæ, aut certe in eorum locum ſucceſſerunt, hique ſunt *ſacerdotes* & *doctores* Indorum.

BRACHMANUM præcipua eſt & indubitata apud Indos auctoritas, eorumque prærogativæ ſunt fere hæ; Brachmanes ſacri omnium præcipui.

1*mo*. Indi omnes proni fatentur, Brachmanum genus omnibus ceteris hominibus præſtare, ac Deo eſſe pretioſius atque charius. Eorum prærogativæ.

Nullus alius poteſt fieri Brachman.

2do. Alii homines poſſunt quidem vivendi rationem Brachmanibus uſitatam adoptare & imitari, nulla tamen ope unquam Brachmanes fieri, aut in eorum tribum adlegi aut juris eorum participes fieri.

Necis ſupplicio affici non poſſunt.

3tio. Brachmannum nullus etiam criminoſiſſimus vita exui poteſt. Et ſiquis occidiſſet Brachmannum, huic lege (*Vedam* dicunt) imponitur, duodecim annis, peregrinum ſtipem cranio occiſi excipere, oblatosque cibos potumque ex eodem cranio capere, poſt annorum vero illorum excurſum magnas eleemoſynas largiri ac templum Esvvaræ numini exſtruere.

Soli certa ſacra peragunt.

4to. Ex lege *Vedam* ſolis Brachmanibus licet certa quædam feſta celebrare. Solis etiam licet alios in iisdem celebrandis inſtruere.

Soli legem divinam tractant.

5to. Soli *Vedamum* legere poſſunt, aut aliis legendi copiam facere, non tamen duabus infimis tribubus, ut quæ nunquam legere permittuntur; quin ultimæ nec audire de ea quidquam eſt conceſſum.

Soli exigunt eleemoſynã,

6to. Aliarum tribuum pauperes poſſunt quidem oblatam ſponte eleemoſynam accipere; ſoli tamen Brachmanes poſſunt eandem petere.

ex qua plurimi vivunt.

7mo. Permagna adeo Brachmanum pars de eleemoſynis vivit, quæ largiter iis adjiciuntur, his præſertim, qui uxoribus renuntiarunt & *Sanjaſys* vocantur.

Non laborant manu.

8vo. Brachmanibus non licet ex ullo opificio victitare; licet autem mercatum, aut medicam exercere:

Vul-

Vulgatiſſimum eſt ut legationibus adhibeantur & principum conſiliis, ſecretis ſcriniis, eruditionibus juventutis.

9no. Ne porro cogantur didactrum à diſcipulis expetere, ex lege eſt obligatus, iis omnibus de ſuſtentatione providere. à rege ſuſtentantur,

10mo. Præcipue autem Brachmanes templis, (*Pagodas* vocant) præfecti ſunt, ex iisque vivunt cum ſuis Brachmanes illi, qui prædia ſeorſim non habent. & ex templis.

246. Opes habent

De opibus autem, quas tenet quarta hæc Indici generis pars, hæc in univerſum ſcribit *Dapperus* in deſcriptione Indiæ pag. 23. „ Cum Brachmanum genus his „ in terris ſit valde numeroſum, regibus vix eſt poſſibi„ le, omnes enutrire. Incolæ referunt, *TERTIAM* „ *PARTEM PROVENTUUM TOTIUS REGIO*„ *NIS* trahere; & nihilominus multi ſunt Brachmanes „ admodum pauperes, & ad petendam ſtipem adacti. tertiā partem proventuum regionis.

Equidem fuere aliqui reges, qui Brachmanum prædia attrectarent: „ Sic tempore regis *Rama-raja* Brach„ manes dimidia tantum proventuum ex pagis ſuis parte „ gaudebant, ejusdem juſſu regis; partem alteram in„ ferre ærario principis cogebantur. Poſt id vero tem„ poris in omnia denuo reſtituti fuerunt. Ad hanc „ ſpoliationem impediendam hoc invenerunt remedium: „ cum quod ipſis à rege donatur prædium, ſeu pagus, „ petunt ab eo facultatem, illud dividendi inter aliquos „ pauperiores Brachmanes. Hæc facultas ipſis porrigi- Prædia eorum aliquando attrectata,

ſunt tamen inalienabilia.

„ tur ſcripta ſuper lamina cuprea. Atque tum pagum illum Brachmanibus ſuæ ſtirpis diſtribuunt; huncque in modum diſtributi pagi nunquam deinceps auferuntur neque à rege eodem, neque à quopiam ſucceſſorum. Quippe nemo ſucceſſorum hoc dedecore afficere anteceſſorem ſuum auderet; religioni quoque ſibi duceret, metu ne quæſtibus Brachmanum ſpoliatorum vindicta in ſe Dei concitetur. Perſuaſum enim ipſis eſt, obſtrictos ſe eſſe ad bene faciendum hiſce, idque *Wiſtnoo* atque *Esvvaræ* (his nominibus Deum vocant) fore pergratum. Quocirca firmiter credunt, ſe, ſiqua injuria Brachmanes afficerent, iratos ſibi deos & injuriæ vindices habituros.

„ Quidquid etiam Brachmanibus ſeu boni ſeu mali facerent, non ſecus atque in ipſos deos patratum agnoſcunt Indi; cum horum illi miniſtri ſint, genere ipſo ad hoc nati.

247. Brachmanum numerus.

Quanto porro ſint numero Brachmanes, facilis eſt conjectura: eo quod quatuor generationum Indicarum hæc ſit una & præcipua.

„Numerus Brachmanum hodie tantus eſt, ut unum ſolum templum etiam ex minimis habeat ſæpe centum tales ſacerdotes otioſos, qui vivunt de altari. Inquit epitome Miſſionis Danicæ nuper edita, Tom. I. artic. X.

Illorum autem qui non de pagodis vivunt, ſed mendicato, longe major eſt numerus.

Præ-

Præterea nulla eſt pagoda ſine multis ſaltatricibus, quæ à quinto ætatis anno his locis conſecrantur ad ſaltandum coram idolis, ac per dies feſtos.

Rurſus facile eſt conjectare, quanta impenſa ſit opus ad tantos alendos non utcunque, ſed ut viros ex omni gente honoratiſſimos, quibus, ne honor contaminetur, non eſt permiſſum labore manuum victum quærere. Conſidera, deinde, obſecro: alendi hic ſunt non illi ſolum, qui populum docent, eique ſacra ſuo more miniſtrant, ſed longe major turba eorum, qui ad hoc nihil ſerviunt, nimirum Brachmanum uxores, liberi; qui omnes cum nihil præſtent ad ſervitium religionis ipſorum, iisdem tamen privilegiis gaudent.

248. Brachmanes aliis nihil largiuntur.

Denique & aliud conſidera: Brachmanes de ſuo nihil in alia genera derivant, ſed omnia ſibi ſolis ſervant. Equidem dant & ipſi eleemoſynas, & aliqui ſatis largas; ſed nemini niſi Brachmanni. Aliarum tribuum cum quis ſeu ad Brachmanem ſeu ad ædes ſaltem propinquat petiturus ſtipem, mox *Po! Po!* inclamatur, hoc eſt *apage, apage!* contaminatur enim Brachmanes approximatione hominum ex aliena inferiore tribu. Ita idem *Dapperus* p. 23. Ad ultimum etiam hoc conſideres velim: nullum ex alia tribu in ſuam unquam recipiunt, ut particeps fieri poſſet bonorum eorundem: ipſi contra poſſunt exercere mercatum & nobilia munera obire, quæ aliis tribubus conveniunt: huncque in modnm revera accipiunt ſemper & nunquam dant, nutriuntur ſemper & neminem nutriunt: id quod noſtris catholicæ eccleſiæ ſa-

Ipſi tamen participant de lucris omnium aliorum.

cerdotibus falſo per ingratos objectum ſupra confutavimus.

249. Largitiones in Brachmanes.

Præter hæc autem ex omnibus ſacrificiis, oblationibus, cerimoniis, primitiis ſuam Brachmanes partem recipiunt. In omnibus feſtis, quæ celebrant Indi prima habetur Brachmannum ratio, & huc iſti magno numero confluunt. De juvene quadam regina refert Ziegenbalkus in miſſionibus Danicis Tranquebariæ, eam ſolam in clauſtro *decem Brachmanum*, qui aliàs pauperes forent, *millia* nutrire. Et ſunt monaſteria eorum numeroſiſſima.

250. Templi accipiunt de Gabelis,

Ex omni re vendibili penditur apud Indos telonеum; cujus pars quædam *pagodis* ſeu templis eorumque ſacerdotibus aſſignata manet. *Daperus*, pag. 112.

de monetæ fabrica,

Cum moneta cuditur, è centum pagodis (monetæ genus eſt) *una* atque *dimidia* pagoda datur ſacerdoti magno templi Paliakattæ, quarum dimidiam partem rependit aliis Brachmanibus. Ex alia vero moneta, *fanum* appellata, è ſingulis centenis idem ſacerdos accipit *quaternas*.

de contributione tribuum

Tribus ceteræ quotannis vectigal templis eorumque ſacerdotibus pendent; Tribus *Sitys* pendit quotannis ad Wiſtnoi feſtum pagodas viginti quinque. Pagodam autem unam valere *quatuor ſolidos aureos* (Vier guldne Stüber) inquit Dapperus pag. 146. Ad Esvvaræ feſtum eadem tribus Sitys confert pagodas annuas triginta tres; ad feſtum autem Gangæ ſeu Cacodæmonis pagodas viginti quinque. Tribus *Comitys* pendere debet ad feſta illa tria pagodas viginti ſex. Tribus eorum, qui oleum exprimunt debent pendere omne oleum ad ſervitium

Gangæ;

Gangæ: Piſcatores omnesque aliæ tribus de ſuo contribuunt, ut in Paliakata, ſic in ceteris regionibus.

Epitome Miſſionum Danicarum nuper gallice edita à Genevenſibus Tomo I. Articulo X. hæc habet: „ Prodigioſus numerus pagodarum Indiæ provenit ex frequentibus, quas credunt, apparitionibus deorum ſuorum, in quorum honorem hæc templa condita ſunt. „ Solus deus Iſuren mille & octo templa numerat in locis ubi apparuit. Perſuaſi, nihil eſſe Deo gratius, quam ipſum honorare, & templis ipſorum honori dicatis ſuppeditare neceſſaria, ditiſſimi quique templa ædificant, alii ſumptum ad luminaria ſufficiunt, verbo omnem aliam impenſam conferunt. Non computatis etiam donis à liberalitate divitum proficiſcentibus, templa proventus ſuos fixos habent. Nullum eſt templum absque horto florum, quibus in ſacrificiis etiam utuntur. Ditiora monaſteria elephantem alunt, nocturnum horti cuſtodem. Quamvis autem magnæ ſint templorum opes, devoti tamen homines quotidie afferunt dona & oblationes. - - - Apud paganos tantus habetur templis honor, ut ipſi principes, cum eos prope templa celebriora præterire contingit, à vehiculis deſcendant, pedibusque conficiant iter. In his excellit templum *Sidambaram*, quod hodieque apud advenas miraculum habetur ſtructuræ, ſymmetriæ, ac magnificentiæ.

Peregrinationum ſumptus.

Peregrinationibus ad loca, quæ ſancta habentur, nihil eſt apud Indos frequentius: huc confluunt ad peccatorum

rum obtinendam remiſſionem & faciendam Brachmanibus confeſſionem. His in locis morientes exiſtimant ſtatim à morte participes fore æternæ gloriæ: Cadavera ipſa jam mortuorum hac de cauſa ad iſtiusmodi loca devehuntur. Unde maximus eſt confluxus divitum præſertim, ſed & tenuiorum, qui omnes cum maximis muneribus ac donis, quæ voverant, veniunt, ut refert Dapperus p. 112. Neque quisquam manu vacua accedit. Id. p. 113.

templum Winket prædives

De templo *Winket* Eſvvaræ exſtructo in civitate Tripety, quod tridui itinere Paliakattâ diſtat, fertur, illius annuos proventus ad ſexaginta, ſeptuaginta, & *octoginta millia pagodarum* conficere, hoc eſt trecenta millia ſolidorum aureorum: quæ ſolum ex donariis rediguntur.

feſta ſumptuoſa.

Feſta Indorum cum ſint plurima, ac pleraque conſiſtant in conviviis magnos etiam ſumptus poſtulant; quædam præ ceteris ſumptuoſa ſunt, ut feſtum *Jagam*, quod qui celebrat, per decem, viginti, aut triginta dies omnibus, qui confluere volent Brachmanibus, etſi mille forent, lautum epulum præbere debet. Dapper p. 117.

251. Sumptus in Xenodochia animalium.

Sunt & alia, quæ Religionis nomine Indis ſumptus ingentes creant, nec tamen, ut noſtri politici ſomniant, reipublicæ ipſorum nocere per tot ſecula creduntur. *Benjanes*, Indorum ſecta ceteris Indis longe numeroſior, in ea ſunt perſuaſione, Deitatem in omnibus viventibus habitare: vel ſunt in perſuaſione Pytagoræ de animarum transmigratione. Hi ſcelus eſſe credunt, animal quodcum-

cunque necare ſeu domeſticum illud ſit ſeu ferum ac noxium. A minimo vermiculo obterendo non minus ſibi cavent, quam ab occidendo homine. Eam ob cauſam ſemper per compita & per domos incedunt ore obvoluto, nequa muſca vel culex inadvertentibus irruat, aut ſcopa ante ſe verrunt ſemitam, ne vermiculum forte proterant. Hoc quidem ſumptu nullo conſtat: ſed cum ampliſſima paſſim Xenodochia ædificant, eaque implent magno numero omnis generis animantium, murium, vermium, inſectorum, vulturum, ſimiarum; adhæc ovium, caprarum, vaccarum &c. eo tantum fine, ne à quoquam mactentur, tum vero maxima vis auri impenditur, & annonæ ingens modus abſumitur. Non enim enutriuntur modo animalium iſti greges donec provivunt, ſed morbida ſollicite conductis ſervis ac medicis curantur.

Adhæc inter feſta Indorum eſt quoddam ridiculum ſed non ſine ſumptu agendum. Vaccas enim divinis honoribus afficiunt. Sæpe vaccarum cum tauris connubia magno apparatu celebrant ſacerdotibus adhibitis, dignis utique tam ſacro ritu. Texeira teſte, mercator quidam è Benjanum numero in connubium vaccæ ſuæ cum tauro affinis ſui decem aut duodecim aureorum millia impendit. *Daper.* Indiæ p. 43.

Politici quidam, qui viſis virorum virginumque monaſteriis ingemiſcunt, *ut quid perditio hæc?* bene facerent ſi ad Indos proficiſcerentur, ibique proderent arcana ſua & myſteria politica. Hic ſi prædicarent novi iſti

Politicorum iræ contra Indos.

Apoſtoli: quid facitis Indi cum religionis cauſa nutritis tot beſtias? quantum heu reipublicæ nocumentum! quid facis magne Mogor? quid ita non præcipis annonam hanc omnem inferri reipublicæ, hoc eſt, theſauro tuo? aut cur non hujus annonæ loco tributum novum imperas populo? non vides quantum religio iſtorum noceat reipublicæ? Hos, credo Miſſionarios Indi in crucem agerent, & haberemus martyres novos, tam ſapientes, ut merito illis novum etiam cœlum ædificandum eſſet; nam in vetere haud dubie invenirent multa corrigenda, forte etiam noxia: certe ſi quos ibi ſacerdotes reperirent.

252. Sumptus in Mahumetiſmum Indiæ,

Sed quæ adhuc diximus non ſunt ſolæ impenſæ, quas India in religionem & ſacerdotium facit, ſunt enim præterea etiam aliæ. Indi non omnes Idolis ſerviunt: & hactenus idololatrarum tantum ſumptus ſacerdotales & religioſos obiter enumeravimus.

Principes in India, aulæ, nobilitas magnam partem Idola deteſtantur, ſuntque Mahumeticæ ſuperſtitioni addicti. Hi, cum ſint nobiles & potentes, & ſæpe zeloſiſſimi, magno rurſus numero & templa & ſacerdotia erigunt. Quod ſi has impenſas adjungas iis, quæ in Brachmanes & idololatriam profunduntur, addasque his etiam ſacerdotia ac templa *Armenorum*, Chriſtianorumque *Thomæorum*, fortaſſe à vero non abluſeris, ſi dimidium omnium Indiæ opum dixeris impendi in religionem & religionis causâ. In hoc tamen populo adeo terrenarum opum cupido, adeo ſtudioſo ejus quod intereſt, adeo politico, ab aliquot annorum millibus nemo ſomniavit, reipublicæ no-

& Armenos Chriſtianos &c.

cere

cere impenſas has. Produnt igitur politici quidam hodierni anguſtias animæ ſuæ; dum metuunt, *catholicam* rempublicam rimas acturam, ſi impenſis longe minoribus alat ſacerdotium ſuum, quamvis eæ impenſæ fere omnes iterum ad uſum reipublicæ profanum & privatorum revertantur.

Ultra has impenſas fiunt apud Indos aliæ in ſacerdotes *Catholicos*, quorum multi ſunt in India, Patriarchatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Collegia, monaſteria &c. adeo ut in *Goa* civitate fere totidem ſint ſacerdotes & religioſi, quot laici. R.P. *Stöklin* Welt-Bott part. III. p. 43. Hi vel ex ipſis Indiis proventus habent, vel ex Europa catholica ſuſtentantur, cumprimis ex religioſa munificentia Regis Chriſtianiſſimi, Regis Catholici, Regis Luſitaniæ, & congregationis Romanæ, de propaganda fide, dictæ. Regem Chriſtianiſſimum omnes Miſſionarios in Turcia, Perſia, India totoque Oriente alere ac cuique quotannis per conſules ſuos centum Philippæos numerari facere, ſcribit Schillingerus in itinerario an. 1700. iterum deinde edito per R. P. *Stöklin* in libro *Welt-Bott* part. IV. pag. 71. Adde de rege Hiſpaniæ ad Sinenſes miſſiones part. IV. pag. 8.

253. Sumptus in Catholicos miniſtrantur ex Europa.

Quantum autem in Miſſionarios adeo multos impendat Europa catholica, conjectare licet ex nova miſſione Lutherana Danica in Tranquebar. Ad hanc ſolam eamque parvam ſuſtentandam non tantum Daniæ regnum, ſed Lutherani Germaniæ, Angli quoque ſtipem confe-

Magnus ſane.

 runt,

runt, & miſſionarii illi Lutherani Tranquebarienſes, ſummas collatas hactenus ſuis in relationibus exſcripſerunt. Si tibi imaginaberis, Catholicas miſſiones tantum *centuplo* plures eſſe in India quam Tranquebarienſem hanc heterodoxorum, poteris ſubducere calculum aliquem impenſæ Europææ in religionem catholicam Indorum. Sunt autem miſſiones catholicæ, ſi recte teneo, non tantum centuplo plures in India ſed multo amplius: unde multo etiam quam centuplo plures impenſas exigunt quam illa Danica heterodoxa.

254. Indignatio politici.

Hæc cum politicus aliquis novus leget, duplici eóque contrario motu animus ejus in diverſas abripietur. Primo enim ingemiſcet: ô cæcitatem Europæ, ô ignorantiam craſſam politicæ in Gallia, Hiſpania, Luſitania, Roma, Germania, Anglia, Dania! tantum auri modum ex Europa disperdere ad Indos! & propter quid? propter ſacerdotes etiam in India alendos; quaſi non ſatis iſtorum ventrium eſſet in Europa. Et quid inde reportant iſti pro tam immenſa pecunia? nihil, niſi narrationes de baptizatis nigris capitibus, de aliquibus ſuorum religioſæ opinionis cauſa capite minutis vel decorticatis? At mercatores Angli, Hollandi, Dani, egregii homines & Europææ politicæ ſtatores, pro auro argentoque in Indias à ſe deportato quam valida reipublicæ noſtræ fulcimenta inde reportant? quantam felicitatem terris noſtris invehunt ad finem juris naturæ hoc eſt ad commoda hujus vitæ certo obtinenda? reportant enim infinitam vim ſerici velleris, quod

Pecuniæ Europææ an melius impendantur in merces peregrinas?

quod eſt admirabile ſtamen alicujus papilionis ſive vermis; ex quo ſalus rei publicæ noſtræ magnam partem utique pendet? Deinde reportant telas factas ex lana nata in arboribus, ſine qua quid eſſet respublica noſtra? Deinde reportant pyropos, adamantes, ſmaragdos, topazios, & omne genus lapillorum fulgentium, unicum nempe baſin rerum publicarum Europæarum, quia ſubducta baſi, ruere illas & interire neceſſe eſt omnes. Deinde reportant piper, nuces, cortices arborum, nidos avium; ſimias, cercopithecos, pſittacos, & quid non denique reportant ad ſtabiliendam noſtram rempublicam utile atque unice neceſſarium?

Hi fere erunt, ita ſuſpicor, primi motus, qui politici novi animam concutient. Hos ſtatim excipient alii. Nempe laudabit politicus Indorum rempublicam, cui ſacerdotes nutriantur ex alieno peculio, ex marſupio extraneo. Sic placetis, inquiet politicus, o boni, o optimi ſacerdotes, ſi ex alieno, non ex noſtro vivitis. Si Turca quotannis in Germaniam Catholicam mittat milliones aureorum decem, Perſa milliones decem, Mogor decem, Sinenſis decem ad noſtros Epiſcopos, Canonicos, ſacerdotes, monachos alendos, boni erunt noſtri ſacerdotes, erunt reipublicæ utiles & neceſſarii: Sic vivant ut volent, laute & luxurioſe, non nocebunt, quia ex illorum luxuria rurſus alii victitant. Sed ut nos eos alamus, tametſi ex ipſorum tam lautitia quam frugalitate rurſus alii victitent, hoc malum eſt & nocet unice rei publicæ. 255. Alia indignatio politici.

Ii 3 Hæc

Indi ſentiunt opes ſacerdotii non nocere reipublicæ.

Hæc hactenus de Indis eorumque profuſione in religioſum cultum, falſum utique ſed quem ipſi verum credunt, & ob hanc credulitatem ſeu fidem, ob hoc qualitercunque agnitum DEI in ſe ſuaque dominium lubentiſſimo animo ſeſe exſpoliant, ut Dei ſui falſi templa ac miniſtros honoribus opibusque exornent. Neque illis venit in mentem, hoc ſacrificio premi aut affligi rempublicam ſuam, ſed rei tam publicæ quam privatæ ſtabilimentum & incrementa potius in hoc eſſe ſita firmiter perſuaſum habent, ſi nihil ipſis religione religionisque miniſtris ſit charius, ſi nulli rei ad hæc utraque conſervanda exornandaque parcant.

TESTIMONIUM QUARTUM.

DE OPIBUS SACERDOTII IN *PERSIA.*

256. Tres religiones in Perſia.

Tres ſunt in Perſarum regno præcipue Religiones, Mahumetica, Ethnicorum, & Chriſtiana.

Chriſtiani.

Chriſtianorum hæreticorum ingens eſt numerus, Neſtorii & alios Græcorum errores ſequentium, qui epiſcopos, archimandritas aliosque miniſtros habent, & ſatis alunt, quia plerique omnes divitiarum ſi non potentes certe ſtudioſi ſunt, & mercatui dediti. Monaſteria hi poſſident centum amplius monachis habitata. Vid. R. P. *Stöcklin* Welt-Bott, Parte IV. pag. 70. Patriarchæ pro-

proventus ſaltem trecentis florenorum millibus conſtant Ibid. part. X. pag. 81.

Sunt etiam *Franco-Armeni:* hoc enim nomine appellant eos, qui Catholici ſunt, & Romanæ ſedi parent.

In Oriente enim omnes Europæi, Græcis exceptis, *Franci* vocantur.

Præter hos Franco-Armenos multæ ſunt domus Miſſionariorum Europæorum cum templis & ſcholis, regis maxime Chriſtianiſſimi ſumptu victitantium, cum epiſcopis etiam gregem Catholicornm his in terris ducentibus. Vid. R. P. Stöcklin Welt-Bott: part. IV. pag. 83. & parte V. pag. 39.

Gentiles Perſiæ *Gauri* dicuntur & duplicis ſunt generis. Alii enim veterem Perſarum idololatriam ſervant & ſolem ignemque adorant. Alii ritu Banianum Indorum vivunt. Neutri carent ſacerdotibus. 257. Gentiles.

Verum *Mahumetana* ſecta dominans religionis ſuperſtitioſæ miniſtros (*Mollas* vocant) habet plurimos, non ſecus ac Turcarum imperium. Omnium illorum caput *SEDER* dicitur. Is ſemper ad regis latus hæret, cum eoque cœnat, dubii juris tum in civilibus, tum criminalibus, quas dicunt, rebus eſt arbiter quemadmodum Muftius Turcarum. In omnibus civitatibus ſacerdotes ſederem proprium habent: Sederes vero omnes à ſedere maximo pendent, cujus ſedes in urbe regia Hiſphahani. 258. Mahumetani quorum ſummus *Seder.*

De

259. De ſumptu in hos omnes impenſo equidem calculos non invenio. Magnos tamen eſſe credes lector, ſi ex ingenti numero templorum, quas *Meſtzidas* vocant, de ſolis duobus aliquid exſcripſero ex Dappero. Is in deſcriptione Perſiæ pag. 38. de uno templo (plurima enim ibi reperiuntur) civitatis *Ardevilæ*, in quo plurium Perſarum Regum ſepulcra ſunt, maxime vero *Schich Sefi*, qui regnum è Turcarum jugo eripuerat, ſic refert:

Templum prædives Ardevilæ

„ Prima porta ex qua in aream intratur, perampla
„ eſt. Superiorem partem ornat magna ex ſolido ar-
„ gento catena transverſim ducta, cui in medio ad per-
„ pendiculum imminet alia ejusdem æris catena, donum
„ Chami Agachan. Area ipſa ſeu curia ampliſſima qua-
„ drato ſilice ſtrata utrinque præalto periſtylio cingitur,
„ quam ponè claudit ſpatioſiſſimus hortus omnibus aper-
„ tus. Huic adjacet alia porta, quam catena ex argen-
„ to alia ornat donum Chani Mahumedis. Hanc por-
„ tam ſubire armatum capitale eſt; ſi cui vel culter ad-
„ hæreret lateri, capite temeritatem certo lueret. Li-
„ mina hujus, ac quæ deinde ſequuntur portarum è
„ marmore cylindri in modum ſculpta adeo habentur
„ ſancta, ut pede quovis modo ea contingere ſacrilegii
„ inſtar ſit: ore tantum ac baſiis contingi poſſit. Per
„ hanc portam intrantibus occurrit atrium longum, utrin-
„ que periſtyliis ornatum, ac multa arte ſtratum. Ad
„ dextram tholus eſt peramplus, in quo loco Schich Se-
„ fi quotannis quadraginta dierum jejunium celebraſſe
„ di-

„ dicitur. Parietum circuitum interius obſident popæ „ cantum Alcorani aſſiduo celebrantes.

„ Hinc per tertiam portam argenteâ catena æque ſuperbam deduceris in aream tertiam, paulo quidem minorem ſed ornatam amplius. Solum contegunt vitriatæ tabulæ verſicolores, ante portam vero tapetes inſternunt. „ Hic calceos ponunt, quisquis introire volet. Schach „ Abar ad hoc ſepulcrum inviſens ſæpe dimidio ante ipſam urbem milliari calceamenta poſuit. Porta hæc „ magnum eſt ædificium turri rotunda munitum, craſſis „ argenti laminis obductum, magnis ordine pendentibus annulis ejusdem metalli. Ex ea porta ingrederis „ per longam porticum pretioſis tapetibus ſtratam, ad „ cujus dextram porta eſt aurea ingreſſum præbens ad „ ipſum ſepulcri templum, faſtigiatum & teſtudine ampla „ contectum. Teſtudo longa eſt orgyias octo lata quinque, ex eaque plurimæ pendent lampades ex auro & „ argento, quarum nonnullæ tam amplæ, ut tres quadrantes ulnæ earum complectatur. Hic ex utraque „ parte duodeni popæ cantant ex libris grandibus auro „ ſcriptis, quos ſinguli ante ſeſe in totidem pluteis explicatos habent.

„ Progredienti ſe oſtendit tholus alius altis ex argento chlatris ſeparatus, ad quem per tres argenteos „ gradus aſcenditur. Hic locus præcipue ornatus eſt, „ in cujus fundo eſt paulo altius tribunal chlathrum ex „ auro fuſo præcinctum habens. Hic tumba eſt mar-

„ morea Schich Sefi, ad quam nemini, præter ſacerdo-
„ tes ingreſſus unquam patet, ne ipſi quidem regi.

„ Ad dextram ſupradictæ porticus adjacet templum „ aliud ampliſſimum teſtudine deaurata adeo ampla, ut mi- „ raculi inſtar ſit, exſtructionem tam vaſtam absque ful- „ cris pilisque poſſe conſiſtere. Hic vero templi hujus & „ monaſterii bibliotheca nitidiſſime ſcripta atque picta. In „ hujus aulæ fornicibus aliquoties centena vaſa pro- „ ſtant è terra Samia (ſic parcellanam dicere lubet) quo- „ rum quædam decem amphoras capiunt. His ex va- „ ſis rex atque principes, ubi huc peregrinantur, ca- „ piunt cibos: neque enim fas eſt Perſis in loco ſacro „ ex auro vel argento cœnare.

Impenſæ hujus templi.

„ E regione bibliothecæ ædificata culina eſt. Ar- „ gento contectæ fores ſunt: cetera ampliſſimo ornatu „ & aquæductibus conſtant. Ex hac officina quotdie- „ bus paſtus præbetur ſaltem mille hominibus templorum „ miniſtris & pauperibus: primùm mane ſub horam ſex- „ tam, & meridie hora decima. In quamvis cœnam „ ex fundatione Schich Sefi impendi debent centum quin- „ quaginta Abaſi, ſive tres Tomani, qui noſtris quinqua- „ ginta Philippæis reſpondent. Tertio cœnatur veſpe- „ ri horâ tertia, ſumptu fundationis regiæ.

„ Ex culina egreſſus eſt in pulcherrimum hortum in „ quo regia multa funera ſunt ſita, inordinata quidem.

* Credo quod erubeſcant ornare cadaverum ſuorum cip-pos præ cippo ſancti ſui Sefi.

Ce-

„ Ceterum hic locus non tam templum quam am-
„ pliſſima quædam arx videri poteſt, tamque eſt fre-
„ quens populo quotidiano quam magni cujusque
„ principis aula.

„ Abundat hic locus & regiis fundationibus & annuis proventibus, & quotidie oblatis donariis quæ theſaurum aliquot millionum conficiant. Quin exiſtimant, ſi conducendus exercitus foret, plures ad hoc præſenti in ære theſauros huic templo, quam ipſi regi ſuppetere. Præter hanc auri & pecuniæ vim ubique multæ ædes, latifundia colonique huic templo adſcripti dicatique ſunt, qui theſauris quotidianum afferunt augmentum. In urbe Ardevila huc ſpectant ducentæ ædes, novem balnea, octo magna hoſpitia: maxima aula inſtitoria Kaiſerie dicta, cum toto foro Maidan, omnibusque ad utramque ejus partem mercatoriis tabernis: aliæ tabernæ centum in alio foro. Forum itidem boarium, frumentarium, ſalarium atque olei. Omnes, qui ſine tabernis ſub dio vendunt quidcunque, tributum ob id pendunt. Ex pagis circumjectis triginta tres ſunt templo proprii. In Serab huc ſpectant pagi quinque: in urbe Tauri ædes ſexaginta & tabernæ centum & in ſuburbanis pagi duo. In urbe Kasbin vetere regia, in provincia Kilan & in Aſtara, in deſerto Mokan; in provinciis etiam Chalchal, Chermeruth, Haſchterut dimidium eſt templi hujus: absque eo quod reddunt Tartari atque Indi. Multi

Divitiæ templi Ardevilæ

ejusque fundi.

 non

„ non ſolum vota diligentiſſime & præpinguia hic ſolvunt,
„ ſed & facultates ſuas huic loco teſtamenti tabulis legant.

Templum Chorazan. In provincia *Chorazan* urbs eſt *Meſched.* Hicunus ex duodecim Mahumedis Apoſtolis ſepulturam habet, *Jman Riſa* dictus, cujus templum & ædes eodem cultu quo ædes Scich Sefi celebratur, nec divitiis multum inferior eſt. *Dapper* pag. 60.

260. Perſæ ſentiunt opes ſacras non nocere rei publicæ. Ex paucis his, quæ de Perſia collegimus, conjicere licet quantum deinde impenſæ fiat in tot templa ſacerdotia & monaſteria per omne regnum diſperſa, præter maximam vim monachorum ſive *Dervicum* palam mendicantium. Qui plerique omnes tametſi ab omnibus habeantur pro hominibus perditis & ſceleratis, quia tamen ſunt in numero miniſtrorum religionis, non ſomniat Perſa quiſpiam, ſumptus his impenſos nocere rei publicæ, ſicut id ſomniant quidam politici Europæi ex Puffendorffii & & ejus ſimilium magiſtrorum ſchola. Et compara dein ſacerdotium noſtrum cum popis & ſcurris iſtis Perſarum.

TESTIMONIUM QUINTUM.

DE OPIBUS SACERDOTALIBUS APUD *ARABES.*

261. Iſte populus pauper. Equidem hic populus Mahumeticæ ſectæ cum ſit fons & origo, ipſe tamen divitiis augere miniſtros ſectæ ſuæ

ſuæ non adeo poteſt, quippe quibus ipſe non admodum pollet, rapto plerumque vivere aſſuetus.

ditatur ex religione

Ceterum divitiæ huc confluunt ingentes ex omni orbe Mahumetano, idque cauſa religionis ſuæ, ob duo præcipue Arabiæ loca conſecrata, alterum incunabulis impoſtoris Machumetis, quæ eſt *Mecha*, alterum ſepulcro ejusdem, quæ eſt *Medina.*

ob ſepulcrum Machumetis.

Omnis non egens ſemel peregrinatur Meccam.

Mahumeticæ ſuperſtitionis hoc inter quinque præcipua dogma eſt, eum qui ſemel in vita profectionem devotam ad capellam ſeu templum Mechæ non inſtituat, ſive pro ſe mittat legatum, ſalutis & parricipem paradiſi fieri non poſſe.

Privilegia peregrinantium.

Rurſus id receptum eſt, eum, qui hanc profectionem obierit, nullius criminis antè patrati causâ puniri poſſe à judicibus.

Denique infantes in hoc itinere nati ſancti habentur, & viridi tiara uti poſſunt, ac ſi ex Mahumetis ſtirpe nati eſſent; quam ob cauſam multæ gravidæ mulieres tam difficile iter non detrectant.

Alii infantes domi natos, Mecham tamen ex longinquo adducunt, ut prophetæ ſuo eosdem devoveant, & ex ejus quaſi manu recipiant.

262.

Quot exercitus peregrinantium veniant quotannis?

1. Exercitus.

In annos igitur ſingulos ex tribus orbis partibus Aſia, Africa, atque Europa quinque vel ſex magni exercitus ſive Caravanæ peregrinantium Mecham conveniunt ad templum quod *Kaabam* dicunt. Exercitus unus egreditur ex *Cairo* Ægypti regia, cui ſe adjungit alius exercitus Con-

2. exercitus. ſtantinopoli jam ante profectus, & adducens Mahometanos ex Græcia, Macedonia, Thracia, Scythia atque Ponto.

3. exercitus. Alter exercitus ex eadem *Cairo* egreditur, quando huc confluxere Mahumetani ex omni Africa, regnisque Marocco, Feſſæ, ac Barbariæ.

4. Exercitus. Alius exercitus ex Damaſco venit, ſecum ducens Mahumetanos ex omni Syria & Paleſtina.

5. Exercitus. Alius item exercitus eſt *Perſarum*.

6. Exercitus. Denique alius exercitus *Indos* ex Mogoris imperio ceterosque adducit.

Quantus numerus? Conveniunt igitur Mecham non raro *ducenta* hominum *millia*, cum multo pluribus equis, camelis, jumentis. Quando interdum centum hominum millia ac totidem jumentorum educuntur. Solus Emirhaziæ iſtius exercitus Dux ad deportandam annonam ſuam ſesqui mille camelos numerat, quorum quingenti aquam utribus geſtant.

Dona illorum. Horum eſt nemo, qui non aliquid doni afferat. Circa urbem Mecham eſt Mahumedis ſpelunca, in qua impoſtor dicitur ſæpe orationi vacaſſe. Eodem in loco Mesziida ſive templum ſuper ſpecu excitatum eſt: ubi peregrina turba ultra *quadringenta ovium millia*, (ſic Dapperus Arabiæ pag. 307.) victimas ſacrificat. Fac in numeris peccatum eſſe, & legenda quadraginta millia (quæ tamen neutiquam ſufficere videntur) vel ſic non levis is ſumptus eſt, annis ſingulis repetendus.

Omnes

Dona Principum ad ſepulcrum.

Omnes Principes Mahumetani in Aſia, Africa, atque Europa in hoc conſentiunt, obſtrictos ſeſe eſſe ſingulis annis dona ſua Mecham mittere, quæ plerumque conſiſtunt in pretioſis tapetibus, cortinis, & tabernaculis. Sed & voti cauſa mittuntur pecuniæ aliaque cimelia. Ita nuper magnus Mogor voti cauſa miſit librum Alcorani pretio quatuor millium aureorum æſtimatum, cujus in operculo extabat adamas trecenta Carat pendens, præter gemmas ceteras magni pretii. 263.

Dona Sacerdoti Scheko.

Sacerdos ſummus omnium Mahumetanorum (*SCHECK* dicunt) ſedem Mecchæ habet. Hic innumerabiles theſauros vel ex ſolis his tabernaculis colligit, quæ quotannis nova imponuntur ſepulcro Mahumetis. Tum enim ex vetere tentorio præciſa quædam ſegmenta, vel etiam ſcopas, quibus Kaaba repurgata eſt, magni honoris ergo mittit ad præcipuos Mahumetanorum Principes, à quibus antidoti loco pretioſiſſima quæque viciſſim recipit.

Dona Sultani.

Sultanus Turcarum tertiam partem proventuum Ægypti, nimirum *tricies centena florenorum millia* aut tres milliones in ornatum templi hujus & peregrinationem impendit; ac præterea magnam *Scheko* vim argenti pendit ad alendos omnes peregrinos egentes.

Schekus ditiſſimus.

Hic igitur *Scheckus* omnibus Mahumetanis maximopere venerabilis ditiſſimus eſt ac potentiſſimus ex donariis à Sultanno ceteriſque Principibus in annos ſingulos ei liberaliter ſubmiſſis; quæ omnia illius toto anno pro-

pria

pria ſunt. Adhæc magnos proventus habet ex donariis peregrinorum exercituum. Rurſus ex pecuniis quas huic mittunt Principes, ut eas in eleemoſynam diſtribuat, quibus ille ſuo plane arbitrio utitur. Ea vero donaria immodicas quotannis ſummas efficiunt, quod Mahumetis ſuperſtitio per Aſiam, Africam & Europam ſit longe lateque extenſa. Hactenus Dapperus Arabiæ pag. 533.

264. Arabes ſentiunt opes ſacras non nocere reipublicæ. Idem ſentit Aſia, Africa & Europa Mahumetana.

Atque hæc cum enarravimus nos, non tantum quis ſit Arabum ſenſus de ſacerdotum & templorum opibus, ſed plane quis ſit ſenſus hac de re Aſiæ, Africæ atque Europæ, quantum eæ Mahumetis doctrinæ ſubſcribunt.

Hi ſi ſentirent ſive ratione edocti ſive experientia, opes attributas *uni ſacerdoti extraneo* (ut phraſi Puffendorffiana utar) nocere reipublicæ, & rempublicam pauperem fieri propter pecunias totis exercitibus quotannis extra regna ſua deportatas in deſertum Arabiæ angulum; illas opes, illos exercitus continerent domi ſuæ.

Quod cum hactenus falſum agnoverint tot illi populi, multo magis politicorum quorundam novorum ſuſpiciones de noxa opum ſacerdotalium in republica Catholica, falſæ eſſe convincuntur conſenſu Aſiæ, Africæ atque Europæ populorum, qui Mahumetanam ſectam amplectuntur.

TE-

TESTIMONIUM SEXTUM.

DE OPIBUS SACERDOTII IN IMPERIO *SINARUM.*

Anno poſt Chriſtum natum milleſimo ſexcenteſimo atque vigeſimo ſexto ferunt, apud Sinas in regimine *Schenſi* effoſſam è tellure eſſe tabulam marmoream inſcriptam literis Sineis atque Syriacis in hanc ſententiam: „ Anno 636. in Sinas advenerunt quidam ſacerdotes, „ qui docebant, unum tantum eſſe Deum in perſonis „ tribus, qui omnia ex nihilo condiderit: Ejus filium, „ ut parentes noſtros à peccato originali redimeret, hominem eſſe factum, quem virgo genuerit. Hunc „ poſtquam diu diſcipulos ſuos docuiſſet, doctrinamque „ multis prodigiis confirmaſſet, mortem crucis ſuſtinuiſſe, ac tertia die reſurrexiſſe, quadrageſimo autem „ poſt die in cœlum aſcendiſſe. Memorati ſacerdotes „ capita ſua in modum coronæ totonderant, & certum „ aliquod ſacrificium ac officium divinum ſecundum legem „ ſanctam ſuam peregerant. Sed & imperatores noſtri multa pro ipſis templa erexerunt, & ſufficientibus proventibus inſtruxerunt, iisdemque ſacerdotibus proprias in „ regia ſua ædes adſignarunt &c. „ Vid. *Lettres Edifiantes.* aut R. P. *Stöklin* Welt-Bott part: I. pag. 40.

265. in Chriſtianos. Olim Sina ſumptum fecit

Sectas Sinenſium eſſe duas maxime, decantatum eſt. Alia eſt *doctorum*, alia, *idololatrarum.*

266. Sinenſium ſectæ duæ

Doctorum plerique athei. *Docti* agnoſcunt idolorum vanitatem, & deorum multitudinem adeo averſantur, ut vix de uno Deo certo ipſis conſtet. Neque in ipſorum lingua eſſe vocabulum dicitur, quo Deum ſignificent, ſed cum nos Deum vocamus, ipſi cœlum vocant. Ceterum hi de rebus divinis fere nihil ſentiunt, videnturque Socraticum illud profiteri: *Quæ ſupra nos, nihil ad nos.* Volunt autem doctrinam ſpiritualem totam abſolvere præceptis *moralibus*, quorum varios ab antiquo interpretes habent, ut *Confutium* & alios. Huic ſectæ aulici, prætores ac præfecti civiles fere addicti ſunt. Quod nemo unus in hoc imperio ad munera civilia adhibeatur, qui non certos gradus doctrinæ obtinuerit.

267. Idololatræ. *Idololatræ* ſunt fere omnes reliqui & in ipſa nobilitate atque in aula multi in varias denuo ſectas diviſi.

Sacerdotes ſive popæ illorum, *Bonſii* dicti variarum itidem ſunt ſectarum.

Sacerdotes ſumptuoſi. *Taoſſæ* dicuntur alii. Horum caput eſt *TSCHAM* de quo R. P. Fouquet in litteris an. 1702. ita ſcribit: „De „ loco ad locum proficiſcens viſitat omnes pagodas & „ monaſteria Bonſiorum. Magnifice veſtitus humeris „ octo virorum circumfertur in pegmate. Munus illius hereditate transmittitur in filium quantumvis „ ſtupidum, vel infantem. Divitiæ illi valde magnæ „ ſunt. Omnes enim Taoſſæ magnis ipſum augere mu- „ neribus debent, ſi tamen velint ſua ſibi à Tſchamo „ officia atque immunitates confirmari. Nomen ſibi ad-

ſciſcit

„ ſciſcit *Tien-ſsee*, hoc eſt *Doctoris cœleſtis*. Quocun„ que devenerit, ad eum afferuntur ægri ac debiles, ut „ ipſius benedictione, ſanentur: ſuper quos nihil præter „ hæc verba graviter pronuntiat: *Niem tebing boam* „ *tſchapao*: hoc eſt: Elevate oculos veſtros ad ſpiri„ tum tutorem veſtræ civitatis, ut in morbum veſtrum „ inquirat, & mihi illum ſignificet.„ Nihil autem neque hic, neque alii Bonſii ſine magnis mercedibus muneribusque faciunt. Vid. R. P. Stöklin Welt-Bott. part. III. pag. 26.

Alii popæ vocantur *HOSCHAM*. — Alii ſacerdotes.

Alii *LAMÆ* ex Tartarorum genere, qui una cum Tartaris Sinici imperii ante annos centum victoribus huc confluxerunt & templa ſua in imperio exſtruxerunt. Vid. P. Stöcklin part. VII. pag. 28.

BONSII autem homines rudes, inertes, otioſi nullum aliud beneficium præſtant rei publicæ Sinenſium, niſi ut opes aliorum labore partas ipſi otioſi abliguriant, & ſuperſtitioſos ac fœdos quosdam ritus exerceant mercede data. Monaſteria habent plurima ac frequentiſſima. *Wagnerus* Norimbergenſis in ſua Chinæ deſcriptione pag. 94. refert de civitate Xaocheu proviciæ Quantung, prope illam in monte exſtare monaſterium *Nantos* cum magno templo: plurimos hic eſſe popas. Fundatum hoc monaſterium fuiſſe à quodam Luzu dicto proprio ſumptu, qui jejuniis & auſtera vita obtinuerit, ut poſt mortem à popularibus ſanctus haberetur. De — 268. Bonſii. — eorum plurima monaſteria.

eodem ferunt, tantum quotidie Oryzæ perpurgaſſe, quantum mille iſtorum poparum diurno victu abſumerent: ferrea catena ſemper præcinctam carnem habuiſſe. &c. Ad hoc ejus ſepulcrum ex omnibus locis Sinenſes devotionis ergo affluunt.

Idem Wagnerus non procul à civitate Tenchuen locat montem *Kizo*, celebrem admodum multis fanis & monaſteriis Bonſiorum. pag. 114.

Præter fundationes has toto regno ampliſſimas, ingens Bonſiorum numerus vivit mendicato, qui ſtipem inſolentiſſimis quibusque modis extorquent.

269. Templa plurima. Templa autem ut in populo tam numeroſo plurima ſunt, & quotidie nova excitantur ob multiplices ſectas, quarum alia alii præſtare numero ac zelo contendit.

Sang-wonhab. In monte *Sangvvonhab* templum eſt admirabili arte exſtructum, eoque ſtudio colitur, ut ſi tota iſtorum hominum ſalus ab hoc cultu penderet. *Wagner* Norib. pag. 92.

Konjans-Jam. Non procul à civitate *Ungtak* in provincia Xaocheu magnificum templum eſt *Konjans-Jam*, permagni à Sinenſibus habitum nec minoribus nec minus pinguibus auctum donariis, quam templum Sangwonhab. Magnus ad illud populus confluit. Studium atque contentio iſtorum in hac ſuperſtitione; adhæc copia omnis generis frugum & animalium, quas huc victimas adducunt, deſcribi ſatis non poteſt, & ſi deſcriberetur, fidem excederet. Wagn. pag. 93.

Por-

Prope civitatem *Lincing* in provincia Xantung præter alia templa celebria celeberrimum eſt id, quod turris ſpecie deæ neſcio cui dicatum eſt. Turris eſt novem contignationes alta, quarum ſingulæ novem ulnas altitudinis capiunt. Inferior paries marmore diſcolori ſpeculi in modum polito conſtat. Exteriora omnia è terra Samia (porcellanam dicunt) ea arte picta ornataque, ut in ſtuporem rapiantur, qui intuentur. Singulæ contignationes explicantur in ambulacrum marmoreum per circuitum turris, ubi chlatra ferrea inaurata opus pulcherrime diſtinguunt. Ex hiſce ambulacris paſſim dependent ærea tintinabula, quæ vento agitata concentum ſuaviſſimum edunt. Feneſtras muniunt chlatra & retiacula, quæ ubi fulgor ſolis tangit, ſplendore præſtringunt oculos. Faſtigium turris occupat idolum altum pedes triginta, fuſum ex ære atque inauratum. Turrim ipſam in ſolo ambiunt aliæ magnæ pagodæ tam belle ab omni parte exornatæ, ut inter imperii pulcherrimas numerari poſſint. Wagn. pag. 34. Aliud pretioſum.

In civitate *Nankingfu*, templum eſt priore multo auguſtius, utique ſepulcris imperatorum olim deſtinatum, quod deſcribere longum foret. Huic præterea adjacet alius locus amœniſſimus, atque arte etiam naturam ſuperante clarus, pluribus pretioſis templis frequens, quorum quod eſt ampliſſimum *decem idolorum millia* ordine diſpoſita numerat. In area deinde pulcherrima turris eſt ſacra è terra ſamia admirabili plane arte novem con- Aliud templum. decem millia Idolorum.

tignationibus novemque tectis & ambulacris rurſus diſtincta & præfulgida auro. Wagn. pag.62.ex Neuhofii itinerario. Non procul à canali, qui ex hac urbe digreditur, eſt famoſum templum *Kinkang*, cujus idolum itidem triginta cubitum altum eſt. Atque rurſus aliud peramplum *Quangguamiao* dictum à divite quodam prætore ſeu Mandarino proprio ære ædificatum, cui quotdiebus non ſolum circumjectus populus victimas faciunt, ſed & hoc navigio agentes iter præcipua dona afferunt, quo navigationem à dæmone proſperam ſortiantur. Certum eſt autem Sinenſes præ omnibus gentibus in cultu idolorum eſſe ferventiores. Wagn. p. 65.

Sinenſes devotiſſimi idolis.

In monte *Chingleang* prope urbem Jengan in excavato ampliſſimo ſpecu exercitus integer idolorum proſtat, ex lapide duro exſculptorum. *Decem millia* ſunt numero, ab uno ſolo rege huc poſita, qui hoc in loco vitæ ſolitariæ ſtudio olim vivere decreverat.

Templum idem

In civitate *Kancheufu* provinciæ Kiangſi non parvus eſt numerus templorum, quæ omnia arte & magnificentia præcipua ſunt. Inter hæc eminet, nec ulli facile Sinenſium templo concedit id, quod *Kuil-Kiaſti-Miao* dicunt. Ejus parietes anathematibus pictis contecti ſunt, quæ voti cauſa appenderunt peregrinantes. In circuitu lectiſternia plurima & ornatiſſima diſpoſita ſunt. Quippe Sinenſes templis ſuis velut hoſpitalibus ædibus non raro utuntur, in quibus peregrini cum popis dormire poſſunt. Non procul hinc in montis cacumine

& hoſpitium.

mine, qui fluvio imminet, pagoda eſt anguſtior, quo aſcendunt navigantes tum dona allaturi, tum vota factu-ri, quibus liberentur à ſyrtibus & charybdibus quæ in hoc fluvio plures ſunt: quorum etiam periculorum cauſa peregrini in hoc monte peccata ſua confitentur popis, ſe ſeque expiare contendunt. Wagn. pag. 56. Confeſſio peccatorum.

Hing cy civitas parva provinciæ Peckingœnſis pulcherrima templa habet. „ Verum hic per totam regionem *Hockien* dictam pagodæ non minus quam „ domus incolarum gravia tributa pendere debent: id „ quod popas paulum facit parciores, & eorum annuos proventus, nihilominus ſatis adhuc pingues, non „ parum accidit. Et ſunt incolæ hujus tractus ceteris „ Sinenſibus in ſuo cultu tepidiores. Wagn. pag. 19. Ubi templa tributum pendunt religio intepeſcit.

Eſt & aliud Sumptuoſitatis genus apud Sinas antiquum, quando ad magnitudinem & majeſtatem idolorum repræſentandam ex montibus exſculpſerunt idola, non minore forte impenſa ac veteres reges excitarunt muratos illos montes, pyramides inquam. Sic in provincia Sucheu mons eſt *Fe* ſculptus arte in formam idoli caput, oculos, naſum, aures, pectus, brachia, ventrem pedesque ventri ſubductos procul oſtentantis. Wagner pag. 113. Idola ſumptuoſa.

Ex fratribus imperatoris Camhi natu major idolorum cultui deditus, ut templum quoddam in Pekingenſi ſuburbio collapſum erigeret, petiit anno 1703. uti Impenſa nova in templa.

Man-

Mandarini omnes aliquid ad opus tam pium conferrent, detrahendum ex ſtipendio ſuo. Collato ære, temploque magnifice exſtructo ſuperſuere *aureorum octoginta millia*, quæ in alia hinc inde templa inſtauranda devotus idololatra impendit. R. P. *Stöklin* Welt-Bott part. IV. p. 29.

270. Sumptum ſacrum non horrent Sinæ, tametſi *pauperes*, *avari*, & popæ inertes,

Hæc autem magnificentia, tantaque in ſacerdotium qualecunque impenſa conſiſtit cum tribus rebus, quæ ſumptuoſitatem illam nobis incredibilem reddere poſſent: nimirum cum *paupertate* & miſeria populi Sinenſis: cum *avaritia*: denique cum Bonſiorum *inertia*. Quis enim crederet, infinitum numerum Bonſiorum, quos ipſimet ob vitia ſua & inertiam contemnunt, tam liberaliter nihilominus alià populo tam paupere, unaque tam avaro, ut fallere ac fraudes texere prope in legem abierit? Non detraho famæ Sinenſium, ſed nota in toto oriente atque occidente loquor. Sed omnia ipſamque fraudulentiam, ipſam avaritiam, ipſam corporis, qua flagrant, curam vincit concepta de Deo opinio etiam tenuis & obſcura & fabuloſa, jubens tamen divino numini ſubjicere ſeſe.

Sinæ pauperiores omnibus regnis

De Sinenſium paupertate juvat audire R. P. Premare gallum in epiſtola è Sinis ſcripta ad R. P. le Gobien an. 1700. apud R. P. *Stöklin* Welt-Bott part. II. pag. 26. Is primum fatetur, adventantis forte in Sinas hominis Europæi oculos præſtringi uſu paſſim ſericeæ veſtis, ſupellectilis ſplendidæ, terræ Samiæ omnes parietes occupantis, & numeroſo comitatu Satraparum: tum ſubdit: Nihilo-

„ Nihilominus contendo, hoc ipſum ditiſſimum ac pul-
„ cherrimum regnum ſuo modo eſſe pauperrimum
„ ac miſerrimum ſuper faciem terræ. Quippe ager
„ utut ampliſſimus ac feraciſſimus, incolæ alendo
„ nequaquam ſufficit. Ut populus commode alere-
„ tur, agro indigeret quater tantum ampliore . . . .
„ Tertia tanti populi pars exultaret, ſi domi tantum eſ-
„ ſet Oryzæ, ex quo famem cum ſuis compeſceret. - -
„ Hinc fit, ut plurimæ matres prolem ſuam aut enecent
„ aut exponant; ut filias ſuas pecuniâ vendant; ut
„ avaritia regnum obtineat; ut furtis omnia intuta. Mi-
„ rum ſane eſt, ex tanta pauperie non oriri graviora
„ etiam latrocinia atque ſcelera. Mirum, quod urgen-
„ te fame toti milliones hominum pereant, & non po-
„ tius ad violenta alia media confugiant, quorum me-
„ diorum exemplis plenæ ſunt noſtræ Europæ hiſtoriæ.

Præ egeſtate quantus numerus infantium occidatur?

„ Neque otio ad id paupertatis rediguntur, ſed
„ rerum inopia: nihil enim eſt hac natione laborioſius:
„ Colonus ubi tota die in agro durum laborem exer-
„ cuit, etiam paludibus genuum tenus infixus, noctu
„ domum reverſus pro deliciis habet, ſi inſipida Ory-
„ zâ (hoc ſolum illis annonæ eſt absque ullo pane) ven-
„ triculum compeſcat, inſulſamque aquam in qua Ory-
„ za illa decocta fuerat, epotet.

Labor maximus non ſuffi-cit ad alendum.

Infantium autem ad certam necem expoſitorum, infinitus eſt numerus, quorum alii fame pereunt, alii à porcis devorantur. Miſſionariorum hæc una eſt non minima cura, ut ejusmodi infantes baptiſmo abluant, ſal-

P. Deſing. Opes ſacerdotii.

tem cœlo lucrifaciendos. In urbe Pekinga ære cujusdam nobilis ex Anglia matronæ conductus eſt à miſſionariis Gallis certus miniſter Catechiſta Chriſtianus, qui quam late poteſt per hanc urbem indagat quotidie in iſtiusmodi miſeras creaturas, ut eas baptiſmo abluat. Eum in modum hac ſola in urbe quotannis ſaltem quinque aut ſex infantium millia baptizata moriuntur. Et quanti putas pereunt ſine baptiſmo? quanti clam enecantur? quanti in aliis innumeris civitatibus intereunt? Vid. litteras R. P. d'Entrecolles apud *Stöcklin* Welt-Bott part. VIII. pap. 5. &c.

271. Sinenſes cupidiſſimi rerum.

Petacitatis autem & cupiditatis exempla hic exiſtere non plurima tantum, ſed perpetua, decantatum eſt. Nihil unquam, nihil uspiam neque parvum neque magnum fit ſine datis muneribus: à primo usque ad ultimum, ab Imperatore usque ad judicem pedaneum donis opus eſt cum alloquendi copiam flagitas. A quolibet legato non tantum accipiunt reges & Satrapæ munera, ſed etiam exigunt. Nec pro principe tantum ſuo legatus munera afferre debet ſed pro ſe quoque ipſo. Et fere pro menſura munerum redditur menſura ſive honoris ſive gratiæ. Refertur in litteris editis à R. P. Stöcklino part. VII. pag. 43. cuidam ex Patribus in aula Pekingenſi annuos ſuos proventus *viginti quatuor millium florenorum* vix ſuffeciſſe in donaria & neceſſariam domi impenſam: ita Mandarini hujates civiliſſimas ex ſeſe invicem prædas agunt.

Siquis ex Puffendorffii ac filiorum ejus ſchola politicus in conſilium vocetur de imperio Sinarum in meliorem ordinem redigendo, is haud dubie primo ſtatim loco ſuaderet, popis eorumque monaſteriis, ipſis adeo idolorum templis detrahi opes ſuas peramplas. Diceret enim Imperatori politicus talis Europæus à ſeptentrione: Magne Imperator conſidera te dominum eſſe abſolum totius Sinici fundi, ac nullam eſſe agri partem, quæ tua non ſit: conſidera, te jure belli, quod eſt omnium jurium ſanctiſſimum ac diviniſſimum etiam apud Chriſtianos aliquot politicos, jure inquam belli te eſſe Sinenſium dominum & quemdam quaſi Deum: conſidera, in imperio tuo tot milliones hominum fame ac paupertate perire: contra Bonſios iſtos ſacerdotes pigros reipublicæ plane inutiles ſubſtantiam infinitam in otio abligurire: & præter hæc omnia tantos quotidie ſumptus fieri in erigenda nova templa tam Lamarum quam ceterorum, præcipue autem in eccleſias Catholicorum Romanorum qui ceteris Lamis & lamiis ſunt deteriores, quia Romano Pontifici parent.

272. Politicorum conſilia pro Sinis.

circa opes ſacras

potius impendendas in pauperes:

Nonne vides, te contra ſanam rationem graviſſime peccare, niſi his omnibus ſacerdotibus opes detrahas, niſi prohibeas in templa conferri æs & ſumptum: idque tanto magis, quod tu neque idololatra es nec Catholicus? Hoc ubi feceris, nulla jam deinde in imperio tuo erit pauperies, aurea redibit ætas.

273. Sinenſes ſentiunt opes ſacras non nocere reipublicæ etiam pauperi.

Damnum eſt, ut vulgari dicterio utar, peccatum eſt, ut loquar cum Italis, Politicos hos non proficiſci trans mare & miſſiones aliquot politicas non inſtituere apud Indos & ultimos Seres. Sed vereor ne domum iſti remitterentur aut cum longo naſo, aut curto collo. Ceterum non eſt periculum ut unquam in talem expeditionem quisquam politicus abeat; neque enim politica tam male ſarta motivum eſt ad periculum quodvis adeundum ſine ſpe temporarii lucri, quemadmodum religio animos periculis ſubjicit ſine ulla alia ſpe niſi rerum à craſſo politicorum ſenſu nimium remotarum.

TESTIMONIUM SEPTIMUM.

DE SACERDOTUM OPIBUS APUD *TARTAROS.*

274. Tartari pauperes,

Equidem apud gentem ſoli ipſius ingenio ac proprio inſtituto pauperem divitias ſacerdotio quærere, poſſit videri ridiculum & prodigio ſimile.

Nihilominus quemadmodum Cæſar inter Alpinos agreſtes invenit aliquos *primos*, quorum conditionem feliciorem exiſtimavit eſſe illis, qui Romæ eſſent *ſecundi*; ita ſimile quiddam contingere videtur in his. Sunt aliqui reges in Africa, atque reguli in India, qui cum plures in arca ſua limacum aliquorum teſta, aut maris conchas numerant, divites ſunt; quarum teſtarum ſiquis in Ger-

Germania noſtra plena cuſtodiret horrea, merito haberetur pauperrimus.

Sunt & Tartaris ſuæ opes, ſed à noſtris abludentes, quemadmodum & noſtræ hodierni modi opes ignorabantur à majoribus noſtris.

Igitur inter Tartaros *LAMÆ* (ita ſacerdotes vocant ſuos) ſunt plurimi, ac tertia fere aut quarta ſaltem gentis pars alicubi ſacerdotio conſecrata eſt. Quisquis inter hos barbaros pater eſt duosque numerat filios, alterum certe jubebit eſſe Lamam. Hi absque uxoribus ſunt. Pars in monaſteriis vivunt omnia habentes communia. Pars in ſua quisque domo ſeorſim habitat. *Wagner* in Tartaria pag. 165. 255. Sacerdotibus tamen liberales.

Pauperes ſunt omnes & victitant ex *alieno*; hoc eſt ex *eleemoſyna*. Sed hæ ipſæ in hac regione ſicut & alibi divitiæ ſunt, ita vivere, ut aliorum labore parta iis adjiciantur qui nihil laborant. Nihil laborant Lamæ, & vivunt tamen, ac tanti vivunt ex iis, quæ aliorum ſunt, Orant tamen, deos ſuos invocant & colunt: & hæc ſola eſt cauſa reliquæ multitudini, ut in participium bonorum ſuorum labore partorum admittant Lamas. Lamæ ex alieno vivunt.

Quodſi cui politico Puffendorffiano hic Tartarorum ſtatus arrideret in media Germania, & ex ſacerdotibus noſtris vellet per politicam metamorphoſin Lamas facere, huic res ipſa reſpondebit. Si namque ſacerdotes noſtri fient *Lamæ*, paulo poſt populi noſtri fient *Tartari*. 276. Si ſacerdotes chriſtiani æquabuntur Tartaris.

etiam res publica fiet ſimilis,

Lamæ enim Tartarorum ſunt ſacerdotes, non Chriſtianorum. Cuivis patellæ non quodlibet operculum aptum eſt. Qualis rex talis grex. Ut ſacerdos ſic & populus.

277. Sicut ſacerdos ſic & populus.

Nec ſibi promittat iſtorum inexperta ſapientia, fieri poſſe ut noſtrum ſacerdotium redigatur ad ſtatum Lamarum, quin reliqua gens redigatur ad ſtatum Tartarorum.

278. Lamæ exactores.

Deinde Lamæ illi tartarici non ita eleemoſynis vivunt, ut tantum hiante ore captent quæ ſponte mittuntur; ſed, ubi ſpontanea ceſſant dona, ſatis importuni ſunt exactores. Certe Lamæ Tartarorum in Sinarum imperio, non minus ac reliqui popæ ejus regionis ſtipendia dura extorquent, & neminem ne aſpiciunt quidem niſi mercede data, quemadmodum teſtantur epiſtolæ Miſſionariorum apud R. P. Stöklinum.

279. Lama primus ditiſſimus.

Ceterum *MAGNI LAMÆ* longe diverſa conditio eſt. Is caput eſt omnium, qui tartaricæ religioni ſunt addicti Dei inſtar colitur ab omnibus regibus, principibus, atque populis, tametſi vivi inſtar cadaveris deſideat perpetuo in arce ſua *Bietaca* nihil agens nihil hiſcens, niſi ut maxima dona undique allata advectaque tacitus recipiat, abliguriat, atque magnæ remunerationis loco partem ſtercoris ſui concedat abſentibus propemodum adorandum. *Wagner* ex Kirchero pag. 155.

Tartari ſentiunt opes ſacras non nocere reipub.

Igitur denique vides, Lector, Tartarorum hunc eſſe ſenſum, ea quæ in multitudinem ſacerdotum impenduntur à populo etiam pauperrimo, non periiſſe neque nocuiſſe reipublicæ.

Teſti-

TESTIMONIUM OCTAVUM.

DE OPIBUS SACRIS APUD *ÆGYPTIOS.*

Paucis hanc partem abſolvam; cum omnibus, qui antiquitatem vel à limine ſalutârint, Ægyptum antiquiſſimis temporibus velut *totam ſacram* habitam fuiſſe, & ſacerdotum primam in hac fuiſſe auctoritatem, ignotum plane non ſit.

280. Ægyptus tota ſacra habita.

„ Reges certe hic aut è ſacerdotibus aut è bellicoſis „ legebantur: cum hæc gens (militum) ob virtutem, illa „ (philoſophorum) ob ſapientiam in honore & auctorita„ te eſſet. Qui autem è bellicoſis creabatur rex, ſtatim „ ſe ſacerdotibus dabat, ac philoſophiæ fiebat particeps, „ pleraque fabulis occultantis ac ſermonibus obſcura veritatis indicia & argumenta habentibus &c. „ inquit „ Plutarchus libro de Iſide.

Reges à ſacerdotum numero

281. Bona ſacerdotum inalienabilia

Alterum majeſtatis & ſanctitatis argumentum ſacræ literæ noſtræ præbent, Geneſis capite quadrageſimo ſeptimo. Urgente enim populum omnem fame pro cibariis & pecora ſua & fundos omnes denique corpora etiam ſua in perpetuum vendiderunt regi. Ex quo tempore lex facta eſt, ut regi quinta pars penderetur, reliquum cederet populo in ſementem & in cibum. Sacerdotes autem ab omni hac lege plane erant eximii, neque in illa calamitate tanta, quæ omnem Ægyptum deſolatura erat, coacti

etiam in extrema neceſſitate

coacti ſunt vel latum unguem de agris ſuis vendere aut pignori dare: quin, quod ipſorum agri tum exaruiſſent ac fruge carerent, alimenta ſacerdotibus non ære vendita ſed gratis præbita fuerunt, ipſis ipſorumque uxoribus ac liberis. Neque impoſterum etiam legi illi quintæ partis ſolvendæ obnoxius ager ſacerdotalis fuit, ſed omnino liber atque immunis. Tantum valuit divinitatis fides pro divinitatis miniſtris.

282. Ægyptus invicta, quamdiu ſalvum ſacerdotium.

Tertium potentiæ ſacerdotii apud Ægyptios argumentum effulſit in hiſtoria Cambyſis Perſarum regis. Hic enim armis ſuperata Ægypto ejus ſibi imperium minime conſtans futurum agnovit, quamdiu ſacerdotium vires haberet, & ſalvum eſſet. Hoc demum ſublato exiſtimavit Ægyptum ſervam fore. Quocirca conſtituit, ſacerdotium omne delere: id quod magna ex parte fuit exſecutus, quin tamen fructu crudelitatis frueretur. Vera enim divinitas (ſive coluerint hanc Ægyptii ſive decepti fuerint) non permiſit, gentile quamvis, ſacerdotium eſſe inultum, cujus violatio poterat veræ etiam deitatis fidei & agnitioni apud populos obeſſe. Itaque paulo poſt tyrannus ſuomet ferro confoſſus eſt temulentus, dum equum conſcendere paranti pugio è vagina ultro erumpens latus hauſit.

283. Templa pretioſa Ægypti.

Quartum argumentum ſumptuoſitatis in re divina apud Ægyptios omnibus hiſtoriis loquacius hodiedum ſupereſt, templa nimirum aliaque opera ſacra adhuc extan-

tantia poſt annos ter mille & amplius, quorum magnificentia, amplitudo, ars, firmitas fidem humanam propemodum ſuperant. Tametſi plurima jam tum Romanorum tum Arabum, tum Turcarum per bis mille jam annos violentia vix demum potuerint dejici. Cetera furorem hinc vaſtatorem etiamnum integra provocant, & ne aliis quidem bis mille annis poterunt everti. Non eſt hic locus amplas deſcriptiones obtrudendi. Qui Herodotum legent ante annos bis amplius mille Ægypti deſcriptorem, & nuper Paulum, Lucam atque Poncetum atque alios, diſcet profecto omnium aliorum, populorum in ſacris his ſumptibus magnificentiam velut parvi pendere.

Non igitur in ea fuere opinione Ægyptii, in qua miſeri aliquot politici, periiſſe nimirum reipublicæ, quod ſacerdotiis templiſque impenditur. At ab Ægyptiis ſcimus, omnes fere alios populos antiquitus ſuam mutuatos eſſe ſapientiam, regnandique artes: contra ab his, quos diximus, politicis quis unquam deſertus pagus recte fuerit inſtitutus, plane neſcimus; nimirum à Puffendorffio, Thomaſio, Wolffio & ludorum aliquot magiſtris. 284. Ægyptii ſenſerunt opes ſacras non nocere reipub.

TESTIMONIUM NONUM.

DE OPIBUS SACRIS APUD *GRÆCOS.*

Primis Græcorum temporibus Reges iidem erant & ſacerdotes, ſive ſacerdotiis fungebantur. Neque id 285. Reges olim ſacerdotes.

ſane mirum, quandoquidem primi Græcorum reges fuere eorundemmet etiam inſtitutores, morum omnium præceptores, & veluti quidam patres. Patribus autem in familia ſeparata convenire cultus religioſi officium etiam ſacræ noſtræ hiſtoriæ perhibent.

cur à ſacris prohibiti.

„ Antiquitus „ *inquit Plutarchus in Quæſtionibus Romanis* " reges pleraque & potiſſima ſacra peragebant, inque imolandis hoſtiis ſacerdotibus aderant: „ cum vero modum non ſervarent, ſed ſuperbe inique- „ que dominarentur, *Græci* plerique iis omnem ademerunt potentiam, id tantum relinquentes, ut diis ſacra „ facerent „ Non tamen illa Græcis quibusdam regibus ſacrorum relicta eſt facultas, ut penes illos ſacrorum jus & arbitrium eſſet, ſed aliquod tantum miniſterium cum ſacerdotibus obeundum. Nam ſi his de re publica profana ademptum arbitrium eſt, ne faſtuoſe turbarent; quanto magis proſpici contra hos debuit à Græcis religioni ne turbaretur, quam illi religionem totius reipublicæ fundamentum eſſe conſtanti multorum ſeculorum ſtudio præſetulerunt?

286. *Objectio.* à gentilibus argumentum non recte duci ad Chriſtianos.

Quando autem ad hos populos, Græcos inquam, deducta eſt oratio, qui omnibus gentibus antiquis fuere religionibus devinctiores, prævertendum hic aliquod telum eſt, quod intorquere in nos aliquis forte dudum meditabatur, quodque nos ex adverſo dudum conſpicati ſumus. Nempe objectabit aliquis, omnem Græcorum devotionem propemodum perpendiſſe à quibusdam oracu-

culis, vaticiniis, miraculis ſpecioſis, hisque fraudibus ipſos deceptos tantum impenſarum feciſſe in templa: equidem exiſtimaſſe ipſos, reipublicæ ſe hac re prodeſſe: ſed falſo. Nihil deceptionibus his juvari cauſam ſacerdotii Catholici, niſi huic velis ab impoſturis quærere firmamentum.

Equidem quisquis vel ad crudem quandam cotem 287. Imperita hæc eſt Logica
aut molarem, ut ita dicam, intellectum ſuum expoliverit, is facile ratiocinationis hujus vanitatem atque egeſtatem deprehendet. Sicut politico laudanti obedientiam Turcorum erga principes ſuos, & quomodo omnia ſua his tyrannis ſubjiciant, indeque hortanti ut eo lubentius etiam juſtis principibus obtemperatur; ſi negarem ego vim aliquam hoc argumento ineſſe, merito viderer.

Verum ego hoc omiſſo, quod cuilibet obvium eſt, 288. Deus verus certo modo tutatus eſt ſacra etiam falſa,
illud ſaltem ſubindicandum puto, Deum verum, optimum, maximum injurias ſacerdotio ac locis etiam gentilitati dicatis illatas evidentibus ſuppliciis non ſemel caſtigaviſſe Quæ exempla & documenta non edita fuerunt ad confirmandum idolorum cultum, nec in ſacerdotii honorem tanquam falſo talis; ſed omnino *Deus verus* talia infligendo gentilibus *ſuam* injuriam vindicavit, & ſuorum miniſtrorum honori conſultum ivit.

Namque ſi templorum gentilium contemptores gentiles abire ſemper impune permiſiſſet Deus, hic contemptus non in idola tantum redundabat, ſed in veræ Deitatis abnegationem. Qui enim cremare vellet ligneum (ne Atheiſmus & Epicuriſmus invaleſcerent.)

 Jo-

Jovem hoc tantum ſpectans, ut oſtenderet hoc lignum nec eſſe Deum nec juſti injuſtique, pii impiique ipſi ineſſe principium, is ſane nec ſacrilegus eſſet, nec Dei vindictæ reus, ſed divinitati potius recte ſerviſſet.

etiam idoli temerator poteſt peccare in verum Deum. Contrà qui idola, templaque & miniſtros violaret hoc animo, ut probat, omnem Dei cultum vanum eſſe, perdita eſſe omnia, quæ Dei cauſa impenderentur, Deum nullum eſſe, aut providentiâ illum deſtitui, is in ipſis idolis infeſtandis temerator eſt veræ Deitatis, & ſacrilegii reus.

Hujusmodi ergo impios etiam inter idololatras vindicavit exitio Deus, ut oſtenderet, non quidem idola quicquam valere, ſed eſſe quandam juſtitiæ moderatricem, & hominum dominam vim.

289. Verus Deus etiam miracula in gentilitate fecit. Eodem ſpectant præmia ſæpe in eos collata, qui idola, templa, ſacerdotiaque ſancta habuere & in honore, animo tendentes ad ſummam numinis majeſtatem rerum dominam. Spectant etiam huc oracula & vaticinia ab idolis ſæpe vere edita: eodem denique ſpectant miracula quædam, quæ omnia *vera divinitas* inter gentiles nonnunquam patrari fecit, ea fere diſpenſatione; ut à prudentioribus non poſſent talia adſcribi ligno aut lapidi, ſed ut ex his patratis ſatis clare intelligerent divinam quandam atque univerſalem vim, juſti, æqui, boni, innocentiæ atque pietatis proſecutricem.

290. Exemplum de contemp- Exempla inter multa nobis prodit *Plutarchus* libro de oraculorum defectu, ubi Demetrius dialogi interlocu-

tor

tor ita diſſerit: „ Cum eſſem in patria Cilicia, flore-
„ bant adhuc Mopſi & Amphilochi oracula. Habeo
„ autem rem apprime admirabilem, quæ me præſente
„ apud oraculum Mopſi evenit, quam vobis referam.
„ Præfectus Ciliciæ, homo dubiæ de diis ſententiæ
„ (quod ei accidiſſe puto propter imbecillitatem incredu-
„ litatis de diis conceptæ) ceteroqui contumelioſus &
„ pravus, cum circa ſe haberet Epicureos, qui freti pul-
„ cra (ſi diis placet) iſta ſua phyſiologia religioni illudunt,
„ motus earum vocibus libertum ad oraculum Mopſi mi-
„ ſit, tanquam exploratorem in caſtra hoſtium, cum ta-
„ bella obſignata, in qua nemine conſcio quæſtionem
„ ſcripſerat. Libertas cum pro more noctem in delubro
„ exegiſſet ac obdormiviſſet, facta die narravit ſomnium:
„ viſum ſibi adſtare virum pulcrum, qui una hac voce,
„ *Nigrum*, edita ſtatim diſceſſerit. Abſurdum nobis
„ hoc videbatur, multumque hæſitationis injiciebat. At
„ præfectus conſternatus, flexisque genibus veneratus
„ Mopſum, aperuit tabulam, oſtenditque nobis hanc in-
„ ſcriptam quæſtionem: *Albumne tibi an vero nigrum*
„ *immolabo taurum?* Itaque & Epicureis pudor eſt inje-
„ ctus, & præfectus ſacrificio peracto iſto deinceps Mop
„ ſum coluit.„ Profecto non videtur futurus eſſe irre-
ligioſus, qui dicet, angelum liberto apparuiſſe in viſu,
qui hoc reſponſum ederet. Non enim de Mopſo quali-
cunque ſed de divinitate vera tum agebatur, quam impia
gens Epicuræorum deridendam ſuaſerat.

tore idololatriæ mire correcto.

add. ſi vera ſint &c.

Eundem in modum Græci ceterique gentiles jurabant per Jovem, per templa, per aras quales noverant. Deus autem verus ſæpiſſime oſtendit, fidem jurisjurandi talis caſte ſervatum ſibi placuiſſe, violatis autem & perjuriis calamitates pœnasque irrogavit: non ut idolis vim adderet; ſed ut univerſorum dominam quandam veritatem illucere populorum omnium animis faceret.

291. Argumentum impenſa in falſos deos non periit reipublicæ: Ergo nec in veram religionem.

Proinde argumentum meum ego conficio. Honor, devotio, impenſa maxime tributa idolis, fanis, popis non periere non nocuere reipublicæ, & ab ipſo vero Deo nonnunquam miris, & ſæpiſſime terrena felicitate compenſata ſunt, quidni idem Deus etiam quandoque æterna felicitate remuneratur has devotiones & impenſas apud gentiles meliora invincibiliter ignorantes? quanto igitur minus nocent reipublicæ vere religioſæ ac piæ honores, opesque impenſæ in res, loca, atque homines à republica deſtinatos ab ipſoque Chriſto ad religionis veræ atque unius Dei ſummi ſervitium? Et ſi gentilitas illos non politicos ſed ſacrilegos agnovit, qui has opes nocere dicerent, qualis fuit Dionyſius ſenior tyrannus Siciliæ: quid exiſtimandum eſt de iis, qui eadem dicunt de religione vera, tanquam hæc ſola noceat?

Pagani hodiernos politicos ſacrilegos dicerent non ſapientes.

292. Græcorum ſumma politica ſenſit opes ſacras non nocere Reip.

Verum ego non hoc jam pugno: illud autem repræſentandum nunc eſt, Græcos, homines ſane πολιτικωτάτȣς ſemper & à longiſſimo tempore fuiſſe manſiſſeque convictos, opes ſacras reipublicæ non nocere: eamque ipſis perſuaſionem nulli exemerunt ſiniſtri caſus, nulla excidia,

excidia, ne ipſa quidem libertas Romanis armis eliſa, tametſi videri poſſent pro libertate fere ſola ſemper pugnare Græci, libertatem ſolam à diis petere, cumque hac perdita etiam diis valedicere debere.

REVERENTIA Græcorum pro templis quanta fuerit, longum eſſet edicere. Pauca dabimus ex Plutarcho tantum. *Nobis autem*, inquit ille libro tertio Convivalium, *ſi leges civitatis recte colimus, cavendum eſt, ne ad templa & ſacrificia accedamus paulo ante venerea re uſi* &c. Idem in reipublicæ gerendæ Præceptis: *Aurum*, ſive pecunias *quidem in quædam fana intrantes foris reliquunt: ferum autem, ut ſemel dicam, in nullum important templum.* Sacrilegii enim inſtar habebatur in templo verſari cum illo inſtrumento, quo cædes ſæpe injuſtæ ederentur. Pecunia etiam tot fraudum & iniquitatum organum polluere ſanctitatem templorum credebatur, niſi diis devota & conſecrata. 293. Reverentia erga ſacra.

Diana, quæ Epheſi colitur, debitores, qui ad ipſius templum confugiunt, tutos à creditoribus & intactos præſtat, inquit Plutarchus libro de vitando ære alieno. Idque aſyli jus inſignioribus quibusque Græciæ templis erat. De quibus videatur Tacitus Annalium Lib. III. cap. 60. Lib. IV. cap. 14. & 43. Templorum privilegia.

Apud oracula multa qui initiabantur ſacris vel expiabantur, ſacerdoti interroganti confitebantur, quæ maxima per vitam ante actam flagitia patraſſent, ut refert *Plutarchus* in apophthegmatis. Tametſi vero aliquos referat

ferat, qui ſacerdotem eluſerint, tamen ii fuere manifeſte impii, ut *Lyſander* Spartæ rex, cujus famoſiſſima gnome fuerat: pueros ludere nucibus, viros juramentis. Ceteri non impii, ſeu reges forent ſeu heroës, fateri crimina non delectabant.

294. Myſteriorum cuſtodia. Arcanarum doctrinarum & rationum quam fuerint rigidi cuſtodes miraculi inſtar haberi poteſt. Sacrilegus habebatur, qui ſacrorum rationes è ſacerdotibus in initiando acceptas edixiſſet in vulgus etiam ejusdem gentis ac civitatis. Quoties in Pauſania, in Plutarcho, in aliis ſcriptoribus occurrunt illæ excuſationes: arcana ſacrorum ſibi prodere non licere? Et inter tot Græcos ſcriptores vix pauciſſimæ de arcanis ſacrorum rationibus in hunc usque diem nobis innotuerunt: quas ſi nobis apertius prodidiſſent, non toties forte altercaremur, fuerintne tam hebetes Græci, ſaltem initiati, ut lapides & ligna vere tanquam divinum quid adorarent?

295. Sacrilegi peculatus maxima pœna. Sacrilegus autem peculatus quanto horrori eſſet, proverbium Eleorum oſtendit, qui cum graves pœnas minitari volebant, dicebant: *atrociora quam Sambucus patieris.* Quod in quæſtionibus Græcis ſic explicat Plutarchus: *Sambucus quidam Eleus cum haberet multos ſub ſe miniſtros, multa, ut fertur, donaria ænea Olympiæ poſita accidit atque vendidit: tandemque Dianæ etiam EPISCOPPI, hoc eſt inſpectricis, cognominatæ fanum, quod Elide eſt & Ariſtarcheum dicitur, compilavit. A quo ſacrilegio ſtatim captus per integrum annum tormenta per-*

perpeſſus eſt, quæſtione ex ipſo de ſceleris ſociis habenda: itaque mortuus adagio locum ſuis miſeriis fecit. Elis regio tota fere ſacra erat Jovi Olympio, in qua olympici ludi fiebant, totaque prope plena erat ſacerdotibus & miniſtris, uti etiam donariis publice expoſitis; nec tanto tempore inventus eſt quisquam, qui ea contrectaret præter hunc Sambucum. Neceſſe eſt nullos noſtris ſimiles politicos in Græcia fuiſſe, qui dicerent in ſacris quid facit aurum? in ſacris aurum nocet reipublicæ. Quid mirum foret ſi templa noſtra etiam bene cuſtodita quotidie effringerentur, ſi politici ſapientes videntur, qui aurum hoc nocere docent, & ſuadent id à principibus auferri, atteri, minui?

Quid Phocenſibus templi ſuimet expilatoribus per reliquos Græcos acciderit, paulo poſt dicemus.

Ut quoquammodo ſacras Græciæ divitias ponderes, jubeo te, lector pie, quatuor maxime conſiderare: 266. Dicenda deinceps

Primo ingentem templorum, delubrorum, ædium, cellarum, lucorum, oraculorum *multitudinem.*

Secundo multorum ex iis admirabilem magnificentiam.

Tertio dona, ſacrificia, primitias, decimas, manubias, theſauros,

Quarto demum ſacerdotes, miniſtros, vates, ſocios, hoſios, antiſtitas, pythias.

His paullum conſideratis, tametſi ſuprà multa dixerim de immenſis opibus in Hebræorum ſacerdotium impenſis, deinde tamen te rogabo, an Græci hac in re Hebræis conceſſerint? cum illi unum templum & unam ſacerdotalem tribum habuerint, Græci propemodum infinita.

MULTITUDO TEMPLORUM GRÆCIÆ.

297. Etſi nihil aliud de hac multitudine teneas, lege vel ſolum *Pauſaniam* in Græciæ deſcriptione, quam Hadriani ac Trajani imperatorum tempore condidit, ducentis fere poſt Chriſtum natum annis, quando gentilis ſuperſtitio jam multum decreverat, latiſſime extenſa religione chriſtiana: ex qua religione jam plurimum deceſſerat templis totique rei idololatricæ.

Pauſaniæ liber, ſiquis eum novit, bene magnus eſt, quippe qui totius Græciæ maxime memoranda deſcribat, gentis nimirum inter memorabiles omnes principatum ſapientiæ & artium adeptæ.

At magnus cum ſit Pauſaniæ liber, tres tamen minimum totius operis quadrantes enumerandis templis ac fanis impenſi ſunt.

Atque tantum templorum ſuperabat adhuc fera illa ætate, poſt tot excidia atque incendia bellorum civilium & externorum, quibus perpetuo conflictata eſt Græcia fere omnis. Xerxis copiæ omnia paſſim templa exuſſerunt, quæ reſtitui & reædificari Græci decreto vetuerunt, ut

ut ſemper extarent monimenta furoris hoſtilis, Græcisque animum contra Perſas facerent.

Nihil fere memorabile in tot claris urbibus invenit Pauſanias præter templa, pauca præterea. Adeo videntur Græci artes ſuas omnes, opes, ſtudia, contentionem in his prope unis conſervandis augendisque expoſuiſſe, ut cetera præ his vilia ab homine tam docto atque terrarum gnaro, Pauſania inquam, haberi potuerint.

Adhæc Pauſanias intra ſolam Helladem conſtitit, non excurrit in Græciam magnam, Siciliamque, non ceteros, qui Græco nomine cenſentur, populos perſecutus eſt, non inſulas plerasque: in quibus reperta templa, theſauros & ſacerdotia ſi addis his, quæ à Pauſania recitantur, nempe orbem quendam templorum oculis expoſitum videbis.

ATHENIS in urbe & circa ipſam omnia plena templis, ſacellis, ſignis, aris, tumulis, porticibus ſacratis. Teſtatur enim Pauſanias Lib. I. cap. XVII. & alibi, præcipuam inter omnes Græcos populos enituiſſe Athenienſium in diis colendis diligentiam. Huicque in divinum cultum profuſioni auctor hic ſane politicus (ſi per hodiernos ſciolos licet) adſcribit eorum florentem ſuo ævo ſtatum. „ In foro enim Athenienſium & alia ſunt „ opera, & miſericordiæ ara, cujus numini, quod ma- „ gna habeat in tota hominum vita & caſuum varietate „ momenta, ſoli ex omnibus Græcis ſingularem quendam „ honorem habent Athenienſes. Neque vero illi majo- 298. Athenarum templa.

„ rem, quam ceteri in homines humanitatem ac non in „ deos etiam religionem præſeferunt. Eſt enim ſua apud „ illos pudori, famæ, alacritati ara. Quanto vero ce- „ teris deorum cultu præſtent, ſecunda, qua in præſen- „ tia utuntur, fortuna argumento eſſe poteſt.„ Hæc ille reipublicæ florem, non perniciem ex liberaliore ſacrorum adminiſtratione non inſcite derivans.

299. Corinthi templa

CORINTHI circa viginti adhuc templa numerat Pauſanias, præter *templa plurima*, quibus forum ornatum eſſe ait Lib. II. Cap. II. & præter multa deorum ſigna tota urbe expoſita. Idque poſt exciſam ad tibiæ cantnm urbem & paulo ante reſtitutam.

Argorum,

Argis, *Sicyone*, *Megaris*, *Thebis*, *Mycenis*, *Meſſeniæ* aliisque omnibus claris & minoribus etiam urbibus numerat maximam templorum, ſignorum, locorumque conſecratorum vim.

Boeotiæ,

De *Boeotia* tota tritum olim fuit, eam plane *vocalem* eſſe, tot in hac ſola regione *oracula* loquebantur.

Delphorum, Elidis.

Quid quod *Delphi* itemque *Elis* provincia fere tota continens ac perpetuum templum fuerint, ut videre eſt apud eundem Pauſaniam Libro V. & VI. de Elide: & Libro X. de Delphis ac Phocide.

MAGNIFICENTIA TEMPLORUM GRÆCIÆ.

300. Ex magno numero pauca tantum in ſpecimen depromo, maxime eodem Pauſania uſus.

Tem-

Templum JOVIS OLYMPICI in Athenarum urbe paucis ſic deſcribit Libro I. Cap. XVIII. „Olympii „ Jovis templum Adrianus imperator dedicavit, & in eo „ ſignum, quod magnitudine cum Romanis & Rhodien- „ ſibus coloſſis conferri poſſit. Videas ibidem & alia „ ſigna ex ebore & auro, in quibus æque artem ac ma- „ gnitudinem admirere. Sunt & duæ Adriani Statuæ ex „ Taſio, & totidem ex Ægyptio marmore. Ad templi „ vero columnas, urbium, quas colonias Athenienſes „ appellant, ex ære erecta ſunt ſimulacra„ (quod quam eſſe debuerit aſpectu magnificum, illi æſtimabunt, qui ſtatuas principum æneas in templo Oeniponti Tyroleos viderunt) „ Eſt autem, pergit Pauſanias, „ totius templi „ ambitus ſtadiorum amplius quatuor„ (fere trium millium pedum) „ neque ejus ulla pars ſtatuis vacat„ (haud minus, credo, quam templum Mediolanenſe;) „ ſingulæ „ enim urbes in eo Adriano ſtatuam poſuerunt; quas „ omnes Athenienſes longo intervallo ſuperarunt, erecto „ eidem mirandi operis Coloſſo in poſtica templi parte. Præter alia nobilia antiquitatis hoc in templo pretioſa monimenta. Jovis Olympii templum Athenis.

PANTHEON Athenis exædificavit idem Adrianus: „ Spectantur inter cetera opera, ut quæ maxima, „ columnæ centum & viginti ex *Phrygio* marmore: & „ ex eadem materia parietes in porticibus exſtructi, & in „ iis cellæ, quæ inaurato lacunari & alabaſtro præfulgent, „ ſignis ipſæ & picturis undique exornatæ: Bibliotheca 301. Pantheon Athenis.

 „ eſt

„ eſt in eodem templo, & Gymnaſium Adriani cogno-
„ mento, in quo columnæ centum è Lybicis lapicidi-
„ nis.

Hic mihi conſidera hujus ædis magnificentiam. Qui columnas illas in templo D. Pauli extra mœnia Romæ hodie conſpiciunt ſatis mirari non poſſunt & numerum & altitudinem columnarum & lapidis pulcritudinem atque integritatem, in quas nuper tantum obiter poliendas magna auri vis impenſa eſt. At ſunt hæ columnæ nonniſi ſpolia ex mole Adriani ſive ejus ſepulcro detracta, ex quo ſepulcro nunc Caſtellum Angelorum formatum eſt. Columnæ autem hujus Athenienſis Panthei duplo plures fuere. Quantum in has vel ſolas de novo excidendas, mari advehendas, erigendasque impendi debuit auri? Neque putes Adrianum iſta ſuo & non potius Græcorum ære ædificaſſe: quod illi libenter pendebant, ſi vel totum vectigal Græciæ in religioſas id genus fabricas conſumpſiſſent reliqui etiam Cæſares; multo certe lubentius quam in Neronis inſanias, in Heliogabali turpitudines, aut in mœcenas Caligulæ humani generis flagitiorum, tametſi maximi imperii diadematis inſignium.

302. Minervæ templum ditiſſimũ

MINERVÆ autem in arce *Athenarum* ingentes fuere divitiæ, ſed & cæterorum in urbe fanorum. Plutarchus laudat Periclem, qui *tributo à Græcis exacto templis ea è pecunia exſtructis arcem ornavit*, oratione ſecunda de fortuna vel virtute Alexandri. Tributum autem à ſociis Athenienſium penſum *annua ſexcenta talenta*

lenta, hoc eſt annuos *ſexcenties mille* philippæos redde-bat, ut habet Ubo Emmius ex Thucydide Libro II.

Idem Pericles republicâ bello Peloponneſiaco prope ad deſperationem redacta oſtendit populo, eſſe *auri puri ad quadraginta pondo talentorum*, quo circumdatum ſit Palladis ſimulacrum, quod tolli ſine violato ſimulacro & pro ſalute patriæ in uſum belli verti, & bello confecto aliunde refectum pari pondere reponi poſſet: quod Thucydides iterum ſcripſit rerum geſtarum teſtis præſentaneus. *Quadraginta vero talenta* auri non minus ſunt, quam *quadraginta philippæorum millia*, ſi valorem auri argento comparatum tantum decuplum facimus, qualis fere eo tempore fuit, cum noſtro tempore longe ſit auctior. Atque tot talenta auri puri uni ſimulacro in ornatum circumpoſita erant Græcorum largitate.

Profecto Athenienſes promiſſis illis egregie ſteterunt, quamvis enim bello illo & deinceps aliis ſubacti, muris exuti, imperio maris dejecti, libertate iterum à Macedonibus ſpoliati, nihilominus pecuniam illam ſacram & maxime ſimulacri ornatum aureum celeriter refecerunt, licet rebus ſuis difficillimis. Quippe centum annis poſt, Caſſandro ab obitu Alexandri in Macedonia regnante Lacharis civis tyrannidem urbis invadens ac cedere deinde coactus *aurea ſcuta ex arce direpta*, *& Minervæ ipſiusq; quæ removeri poterant, ornamenta omnia aſportavit*, *inquit Pauſanias* Lib. I. cap. XXV.

Idem

Idem Pericles eadem neceſſitate ſuaſit populo divitiis ſacratis uti; quarum *ſacra vaſa* in uſum pomparum & certaminum, atque inſuper *ſpolia Medica*, *aliaque* hujusmodi non minoris æſtimata *talentis quingentis* (quingentis Philippæorum millibus) nec non *ceteris in fanis* non exiguam eſſe pecuniæ vim, qua uti liceret.

Donaria autem deorum quanta hic fuerint, argumento eſt, quod *Polemon* doctus vir de ſolis arcis ſeu Minervæ theſauris *quatuor libros conſcripſit: quam proportionem requirunt etiam reliquæ urbis & agri partes:* inquit Strabo Lib. VIII. Idem Polemon etiam de donariis Delphini librum edidit.

303. Athenienſes generoſe magnifici in templa

Quam vero minime avari in rem divinam Athenienſes fuerint tria videntur conficere. *Primo* quod ipſorum urbs cum arce non tam plena templis, quam continuum potius quaſi templum fuerit, plenum ab omni parte aris, ſignis ac monimentis deorum, heroum atque hiſtoriarum de iſtis factarum, ſive in auro, ſive ebore, ſive marmore pretioſo aut ære ſculptarum à Dædalo ceteriſque primis Græciæ artificibus. Quæ quidem res etiam de aliis Græciæ urbibus eſt certiſſima.

Decimæ.

Secundo, quod *DECIMAS* tum ex omni bellica præda non tantum Delphos miſerint conſecrandas, ſed Minervæ etiam ſuæ & aliis locis ſacris. Illud quoque erat lege cautum, ut ex omni mulcta *decima* pars ſolveretur Minervæ in arce; *quinquageſima* vero pars ceteris diis atque

atque heroibus. Neque id erat tenue quiddam, ut in urbe tam opulenta, tam mulctandi facili, ubi ad mulctam irrogandam ſatis erat eſſe divitem aut populo gratioſum. Profecto ad hanc pecuniam recipiendam *decem* omnino πράκτορες ſive quæſtores in annos ſingulos conſtituti fuerunt. Ubbo Emmius in Repub. Athenienſium.

Tertio magnificentiam ſacram Athenienſium diſcimus ex nobili illa erga Phidiam averſatione. Hunc in ſculpendis deorum ſimulacris artificem facile primum in conſilium vocaverant Athenienſis populus, cum nobile Minervæ ſimulacrum fieri vellent. Is multa pro concione de operis forma deque materia diſſeruit. Commendavit autem præ cetera quavis materie marmor, ea maxime ratione, quod nitorem diutius ſervaret. Audierunt omnia patienter Athenienſes. At ubi adjecit Phidias, præterea marmor leviore etiam impenſa ſtaturum: tum vero coorti ſilentium impoſuere viro nec ultra ſuſtinuerunt, velut veriti numen, ſiqua parſimoniæ erga deos cogitatio ſubiret. Valerius Maximus Lib. I. Cap. I. fin. **nobilis contemptus Phidiæ**

Adde his aliud pietatis in ſuperos genus ab Athenienſium religione ingenioſe excogitatum: *Si par reo cum accuſatore ſuffragiorum numerus eſſet, tum MINERVÆ SUFFRAGIO ei, qui condemnandus eſſet, adjuncto, utrumque ab omni crimine liberatum eſſe; ac tam eum, qui crimen intulerat, ab calumniæ ſuſpicione, quam eum, qui accuſatus fuerat, ab objecto crimine liberum immunemque receſſiſſe.* Ita docet Julianus Auguſtus oratione

tertia. Suum itaque Minervæ ſervabatur ſuffragium in judiciis civitatis, ut, quoniam agnoſcebant Athenienſes, omnium rerum ſe participes factos eſſe à deitate, divinitatem quoque ipſi omnium ſuorum participem grato animo facerent. Inventum certe nobile & Græcorum principe populo dignum.

304. Templum Junonis Micænis

Templum Junonis prope *MYCENAS* in via ad montem Euboeam ſic paucis deſcribit Pauſanias Lib. II. Cap. XVII. „ Fani architectum Archivum Eupolemum „ tradunt. Quæ ſupra columnas opera, ea partim ad Jo-„ vis natales, partim ad gigantum cum diis pugnam, partim „ etiam ad Trojanum bellum & Ilii everſionem pertinent. „ Statuæ pro veſtibulo ſtant cum fœminarum, quæ ſa-„ cerdotio Junonis functæ fuerint, tum heroum & alio-„ rum, & ipſius imprimis Oreſtis. - - - In primo tem-„ pli aditu ad lævam Gratiarum priſci operis ſigna extant: „ ad dextram Junonis lectus &c. Deæ ſignum in ſolio ſe-„ det eximia magnitudine, auro & ebore fabrefactum, „ Polycleti opus. Corona capiti impoſita: ea Gratias & „ Horas egregie factas habet. Dea manu altera Puni-„ cum malum, altera vero ſceptrum tenet. Quæ de „ malo Punico arcanis conſignata ſunt ſacris, ſilentio præ-„ tereo. &c. Dona quidem digna, quæ hiſtoriæ manden-„ tur, in eo templo ſunt. Primum ara, in qua cœlatæ „ Herculis & Hebes nuptiæ, argentea omnia. Deinde „ pavo ex auro & fulgidis lapidibus, quem dedicavit „ Adrianus imperator; ea enim Junoni ſacra avis ha-„ betur,

„ betur. Aurea deinde corona & purpurea palla Nero-
„ nis dona. „ Meliora & ab antiquo collata incendio pe-
rierint, quo templum Chryſidis antiſtitæ ſomnolentia
conflagravit.

ÆSCULAPII fanum apud *EPIDAURUM* non ſimplex aliqua ædes fuit, ſed prope civitatis moles. „ Lu- 305. Templum Eſculapii Epidauri
„ cum circumquaque montes cingunt, „ inquit Pauſa-
nias Lib. II. cap. XXVII. „ Intra cujus ambitum mori
„ quemquam aut naſci religio eſt, eodem ſcilicet ritu qui
„ & in Delo inſula ſervatur. Jam vero quidquid civis
„ peregrinusve imolaverit, id totum intra eundem am-
„ bitum conſumitur: quem ritum Titanæ etiam ſervari
„ novimus. Æſculapii ſimulacrum dimidio ferme minus
„ eſt eo, quod eſt Athenis Jovis Olympii: auro illud
„ quidem & ebore perfectum &c. Supra templum ædes
„ ſunt, in quibus qui precatum Deum veniunt, dor-
„ miunt. In propinquo ædificium eſt rotunda figura at-
„ que è candido marmore (tholum appellant) dignum
„ certe quod viſatur. In eo Pauſiæ pictoris opus &c.
„ Pilæ vero intra ambitum priſcis temporibns multæ ſte-
„ terunt, è quibus ſex ætate mea reliquæ. In iis viro-
„ rum & fœminarum, quæ à Deo curatæ ſunt, nomina
„ inciſa: morborum etiam, quo quisque laboraret, addi-
„ ta eſt curationis ratio. Seorſim eſt ab aliis antiqua pila;
„ in ea inciſum, dicaſſe Æſculapio Hippolytum equos
„ viginti. In ipſo fano apud Epidaurios theatrum eſt
„ omnium operis dignitate, mea ſententiâ, præſtantiſſi-
 mum.

„ mum. Nam quæ apud Romanos viſuntur, antecellunt „ illa quidem tam cetera ornamentis, quam, quod eſt Me„ galopoli apud Arcades, magnitudine. De arte vero, „ partium convenientia ac pulcritudine quis Polycletum „ audeat in certamen provocare? Polycletus enim ipſe „ theatro ædificando præfuit, idemque rotundam ædem „ fecit. In luco ædes eſt Dianæ, Veneris cella ac The„ midis: curriculum præterea magna ex parte agger. „ Aquæ ductus tum teſtitudine tum reliquo opere ita ex„ ornatus, ut cum admiratione ſpectetur. Quæ vero „ opera Antoninus vir ſenatorius ætate noſtra fecit, „ hæc ſunt; Æſculapii balneæ; deorum templum quos „ Epidótas nominant. Dicavit præterea ædem bonæ „ valetudini Æſculapio, Apollini cognomento Ægyptio. „ Porticus adhæc reſtituit, quæ Cotyos eſt appellata &c. „ Montes ſupra lucum ſunt duo, Titthion alter, alter „ vero Cynoſartium, in quo Maleatæ Apollinis templum, „ quod ſolum de antiquis operibus extat: nam quæ cir„ ca templum ipſum ſunt cetera, & aquæ ductus caſtel„ lum cum receptaculo depluentis aquæ, ea omnia Epi„ dauriis fecit Antonius.

Hæc in ſolo luco Æſculapii, in ipſa autem urbe Epidauro permulta etiam alia templa & ſigna enumerat Pauſanias

Apollo Didymæus

„ Oraculum *DIDYMÆI APOLLINIS* in „ Branchidis Mileſiorum incenſum eſt à Xerxe, ut „ alia omnia templa præter Epheſium. Branchidæ cum

„ fugien-

„ fugienti Perſæ *theſauros dei* tradidiſſent, unà abive-
„ runt, ne pœnas cogerentur dare ſacrilegii & proditionis.
„ Poſtea temporis Milleſii templum *omnium maximum*
„ conſtruxerunt, quod ob magnitudinem ſine culmine
„ manſit. Nam ambitus delubri pagi amplitudinem
„ æquat; eſtque intra & extra lucus pretioſus. - - Or-
„ natum eſt templum donariis antiquarum gentium
„ ſumptuoſiſſime. Strabo Lib. XIV.

Dianæ, quæ erat *EPHESI*, templum nimis eſt decantatum, quam ut hoc loco repeti ejus deſcriptio debeat. Inter ſeptem mundi miracula fuit facile primum, in quo exornando totius Aſiæ atque Europæ ſtudia artes atque theſauri longo tempore, ultra annos ducentos, collaboraverunt. Illudque templum urbem non fecit pauperiorem, ſed omnium Græcarum ſplendidiſſimam atque ditiſſimam. Nec ceteri Græci atque Barbari periiſſe ſibi credebant divitias, quas hoc in loco fulgere maximopere gaudebant. Id unum ex Strabone addo: templum hoc non unicum fuiſſe. „ *Primum* architectatus eſt Cteſi- 306. Templum Dianæ Epheſiæ.
„ phron. Alius deinde majus fecit. Quod cum Hero-
„ ſtratus quidem combuſſiſſet, aliud *præſtantius* conſtru-
„ xerunt, collato ad hoc mundo muliebri, & ſuis facul-
„ tatibus; prioribus etiam columnis venditis. - - Por-
„ ro Alexander promiſit Epheſiis, & factos (jamjam)
„ ſumptus ſe compenſaturum, & facturum de ſuo reli-
„ quos, ea lege, ut ipſum operi inſcriberent. Id renuê-
„ re Epheſii. „ Strabo Lib. XIV. Unde agnoſcas piam

Epheſiorum in templo ſuo reſtaurando ambitionem, qui hoc cultu cedere Aſiæ victori noluerint.

307. Coloſſus Rhodi.

COLOSSUS Rhodius non quidem templum fuit, ſed idolum ingens, cui pro templo mundus dabatur. Vix enim alia de cauſa hæc urbs Soli hanc molem æneam ædificavit, quam ut oſtenderet magnitudinem divinitatis, quam templum nullum caperet. Inter ſeptem mundi mira hic *Coloſſus* non fuit poſtremum.

TEMPLUM APOLLINIS DELPHICUM.

308. Regio ſterilis ob religionem opum plena.

Lucianus de hoc ſacerdotem ita loquentem inducit in Phalari II. „ Nam quod in præcipitiis & arduis cau-
„ tibus habitemus, ac ſteriles petras colere ſoleamus,
„ - - - coram ipſi oculis intuemur - - - Ceterum tem-
„ plum ipſum & Pythius & oraculum, tum ſacrificantes
„ & pietatis operibus ſervientes ii ſunt Delphorum campi,
„ ii proventus: inde abundantia, inde commeatus no-
„ bis abunde & affatim offunditur. - - - Citra ſemen-
„ tem citraque arationem nobis omnia proveniunt Dei
„ agricolæ opera: qui non ſolum ea, quæ apud alios bo-
„ na naſcuntur, nobis ampliter & cumulatè exhibet. Sed
„ ſiquid pretioſi aut rari apud Phryges eſt, aut Lydos,
„ aut Perſas, aut Aſſyrios, aut Phœnices aut Italos, aut
„ apud ipſos denique Hyperboreos, omnia certatim
„ ad Delphos perferuntur. Ac nos (ſacerdotes) ſecun-
„ do loco poſt Deum ab omnibus mirifice colimur, para-
„ taque rerum copia affluentes felicem vitam agimus.

Pau-

Pauſanias, utut ſuccinctus eſt, tamen in hoc templo deſcribendo fere centum paginas abſumit. De ſolis illius templi theſauris *Polemen* vir varie doctus, & in rebus Græcis non oſcitanter verſatus librum ſcripſit ſingularem, quem Plutarchus allegat libro quinto Sympoſiacorum quæſtione ſecunda.

De theſauris Delphicis liber.

Proferamus jam de hoc templo in medium pauca quo ſeſe offerunt ordine, neque enim refert, quo iſta ordine dicantur, dum diſcas lector, politicorum græciæ ſtudia in ditandis locis & hominibus, quos ſacros habebant.

A Daulide priusquam ad Delphos aſcendas „ ad læ„ vam ædes eſt quod Phocicum vocant - - ædificii ingens „ eſt magnitudo; quam longe ſpatium interius patet, co„ lumnis tectum ſuſtinentibus. Gradus à columnis ad „ utrumque parietem attolluntur. In illis gradibus ſua eſt „ Phocenſium conventui ſeſſio. In extremo ædificio ne„ que columnæ, neque gradus ulli ſunt; ſed Jovis illic „ ſignum in ſolio, Juno ad dextram, ad lævam Minerva adſiſtit. Pauſanias Lib. X. cap. V.

Aditus ad Delphos.

„ Urbs ipſa Delphis quavis ex parte in clivum reſu„ pinatur. Et eodem ſane eſt, quo oppidum, ſitu ſa„ crum *Apollinis ſeptum: ſpatio illud quidem peramplum* „ in ſuprema urbis parte eminet.

Sita eſt autem in Auſtrino latere montis Parnaſſi, cum in latere occiduo eſſent Locri Ozolæ, apud Strabonem Lib. VIII.

In-

Ædificia ſacra Delphis.

Ingreſſis ſepta præter multa ſigna occurrit ædificium egregie pictum à Polygnoto, *Leſchen* Græci hunc locum dixere, easque juncturas ampliſſimas deſcribit Pauſanias cap. XXV. libri X.

„ Adjunctum eſt ſacro ſepto inſigni opere theatrum. „ --- Item ſtadium eo ſaxi genere, quo Parnaſſus mons „ abundat, exſtructum. Sed illud poſtea Pentelico la„ pide exornavit Herodes Atticus. Cap. XXXII.

Ipſius quidem templi formam non deſcripſit Pauſanias & hac in parte nos deſtituit. Subjungit tantum: „ Ea quidem, quæ literarum monumentis cum aliqua di„ gnitate mandari poſſe videantur, neque plura illic ne„ que aliter ſe habentia ad ætatem usque meam vetuſtas „ reliqua fecit.

Plutarchus autem in libro de Oraculorum defectu de ſua ætate ita ſcribit; „ *Ædificiorum* autem & Amphicty„ onicorum apparatuum elegantiâ videtis nimirum ipſi „ pleraque iis adjecta, quæ antehac non erant; multa eo„ rum, quæ jam ruinam traherent & peſſum irent, refe„ cta. Sicut vero arboribus fœcundis aliæ ſuppullulant, „ ita etiam juxta Delphos pubeſcit & adoleſcit Pylæa ob „ copiam eorum, quæ hic ſunt, figuram adepta formam„ que & ornatum templorum, curiarum, aquarumque „ luſtralium, quanta mille ab annis præcedentibus non „ habuit. - - - Nobis autem Apollo ſplendidiora, „ meliora & apertiora his ſigna præbuit, ex tanto qui præ„ ceſſit ſqualore, ſolitudine, pauperie ad tantas copias, „ ſplendorem, honoremque nos evehens. Hæc ille.

De

De Donariis autem acturus Pauſanias Capite VII. ſic ait: „Res certe ita tulit, ut multorum ſacrilegiis Delphici Apollinis templum fuerit expoſitum. Poſt Euboeenſem enim, de quo jam diximus, latronem, & „ Phlegyarum natio, & Pyrrhus Achillis filius illud ſpoliare aggreſſi ſunt: copiarum dehinc Xerxis pars: & (qui „ omnium maxime ac diutiſſime in Dei pecunias involarunt) Phocenſium principes: tum Gallorum exercitus ſacram pecuniam diripuerunt. Non poſtremò Neronis impietatem Dei donaria effugere potuerunt. Is „ enim *quingentas æneas* partim deorum partim vero hominum ſuſtulit imagines.

Direpti theſauri.

Neque ſolus Nero ſed alii etiam imperatores ſignis ſpoliarunt Græciam: Caligulam ex omni Græcia ſimulacra numinum conquiſiviſſe ait Suetonius, ut iis capite dempto ſuum imponeretur. Et nihilominus tanta etiamnum Pauſaniæ ævo ſuperarunt? Inexhauſta ſignorum, æri, aurique penus Græcia!

De latrocinio porro Phocenſium ſacrilego hoc prodit Pauſanias Cap. II. Mulcta Phocenſibus erat ab Amphichtyonibus dicta admodum gravis. Philomelus quidam primo inter cives loco idemque dei negligentior cenſuit, templum Apollinis Delphici eſſe ſpoliandum, ſuosque in ſpem erexit, fore ut tantis opibus ſuffulti non Theſſalos modo ſed & Thebanos adjicere imperio ſuo poſſent. „ Fanum Apollinis diripere aggreſſi ſunt Phocenſes „ principatum Delphis, Heraclide, Agathocle Athenis „ obtinente, Olympiadis quintæ & centeſimæ anno quarto.

Sacrilega direptio Phocenſium.

P. Deſing. Opes ſacerdotii. Qq „ Sacra

loco potentiæ & felicitatis.

,, Sacra pecunia potiti ſtatim ex omnibus Græciæ
,, partibus firmiſſimas mercenariorum militum cohortes
,, conduxerunt &c. Bellatum eſt continenter *annos* ipſos

attulit miſeriam,

,, *decem* - - - Collatis demum apud Neonem urbem
,, ſignis Phocenſes terga vertêre: Philomelus in fuga, ex
,, arduo & prærupto ſaxo cum ſe præcipitem dediſſet, ex-
,, animatus eſt. Idem necis genus, Amphictyonum de-
,, creto, eſt iis omnibus, qui eum ſecuti fuerant, irroga-
,, tum. &c. Decimo anno poſtquam templum exſpo-
,, liatum eſt, bello huic, quod idem Phocicum & *SA-*
,, *CRUM* appellarunt, finem Philippus (Macedo) im-
,, poſuit. - - - Phocenſium quidem urbes expugnatæ &

& excidium

,, ſolo æquatæ fuerunt, quæ jam enumerabuntur, Lilæa,
,, Hyampolis, Anticyra, Parapotamii, Panopeus, Dau-
,, lis, (aliæque quindecim) Omnes deletæ & ad vicorum
,, formam redactæ &c. Eſt autem Phocenſibus & Fani
,, Delphici & publici Græcorum conventus communione
,, interdictum: jus vero ſuffragii, quod penes ipſos fue-
,, rat, ad Macedonas Amphictyones transtulerunt.,,

Huc reciderunt ſpes Phocenſium, ex opibus ſacris templo detractis auguſtiorem ſibi ſuam rem publicam futuram. Et quamvis liber eſſent Phocenſes populus æquoque tantum jure Græcorum ſocietati fœderatus, puduit

Græcos ſacrilegii puduit.

tamen Græcos ceteros ſuis in comitiis relinquere locum genti tam profanæ, quæ ex conſecratis opibus ſibi fortunam cudere fuiſſet auſa.

Capite nono ejus libri decimi Pauſanias præcipua quædam dona enumerat, quæ ſuo adhucdum ævo extabant

bant ſive in ſacris arcis ſive in *theſauris*. Theſauri autem vocabantur ædes ad crepidinem montis longo ordine intra ſepta poſitæ. Singulæ vero civitates ſingulos ædificavere theſauros, ubi donaria identidem à ſe miſſa mittendaque reconderent. Theſauri qui vocantur?

Omittit autem Pauſanias data opera ſtatuas athletarum, qui in certaminibus Pythiis viciſſent, ſtatuas etiam illuſtrium virorum. Donaria autem enumerat iſta

Taurus æneus Theopropi Æginetæ opus, donum *Corcyreorum.* Donaria templi Delphici.

Apollo, *Victoria*, *Calliſto*, *Arcas*, *Elatus*, *Aphidas*, *Ayan*: dona *Tegeatarum* de manubiis Lacedæmoniorum.

Rurſus *Caſtores*, *Jupiter*, *Apollo*, *Diana*, *Neptunus*, *Lyſander*, *Abas* vates, *Hermon* navarchus: dona Lacedæmoniorum de Athenienſibus ſuperatis.

Plurimæ, nempe viginti octo ſtatuæ eorum, qui Lyſandro Spartæ regi adfuerunt, quando ad Ægospotamos Athenienſibus inflixit cladem: *Laconum* dono de Athenienſium præda huc poſitæ. Neque huic ſolum Apollini ſed aliis etiam fanis decimas ex eadem præda dedicarunt, ut credibile ſit, totam fere prædam & tunc & alias diis ſacratam fuiſſe. Nam de præda apud Ægos potamos redacta Spartani præſtantiſſimos etiam tripodas dedicarunt ædi gratiarum Anclæ. Pauſan. Lib. III. cap. XVIII. Decimæ de præda

Æneus *equus* donum Argivorum, cum *Minerva*, *Apolline*, *Miltiade*, *Erechteo*, *Cecrope*, *Pandione*, *Celeo*,

Antiocho, *Ægeo*, *Acamonte*, *Codro*, *Theſeo*, *Phileo*, quas omnes fecit Phydias, donum eorundem *Archivorum* ex decima prædæ in Marathonia pugna reportatæ de Perſis.

Aliæ ſexdecim ſtatuæ cum curru æneo Amphiarai, eorundem *Archivorum* donum, de manubiis Laconum apud Oenonem profligatorum.

Aliæ itidem *Argivorum* dono miſſæ ob Meſſenios reſtitutos.

Tarentinorum equi ænei & captivæ fœminæ, ex Meſſapiis victis.

„ Theſaurus *Sicyoniorum* eſt receptaculum pecuniæ
„ ſacræ. Verum pecunia neque in eo neque in alio
„ quoquam Delphici templi ulla eſt tempore Pauſaniæ
„ Cap. XI. Theſauri à populis apparati, in quos conſe-
„ cratæ pecuniæ fuerunt repoſitæ & opera artificum præ-
„ ſtantiſſimorum „ Strabo Lib. VIII.

Theſauros ſuos ibi habuerunt adhuc *Gnidii*, *Siphnii*, *Liparæi*, *Athenienſes*, *Thebani*, *Cleonæi*, *Potidæatæ* Thraces, *Syracuſani*

In ceteris ordine recenſendis puto & lectorem fatigatum iri, & me jamjam feſſum profiteor.

Ænea autem, paucis aureis exceptis, enumerat Pauſanias, quia quæ auro argentoque conſtabant, dudum â rapacibus ſublata fuerant: nihil propterea ditiore facta

re

re publica. Subdit Capite XVI. „ Ex tam multis, quæ „ Apollini miſerunt *Lydorum* reges, donis, reliquum jam „ nullum eſt, præter ferream Halyattis crateræ baſin „ : & pergit deinde dona ænea enumerare pluribus.

Neque hoc ſolum templum donariis plenum fuit, ſed alia circum, ut in templo Trachiniæ vicino] in Oeta qui eſt pars montis Delphici. Cap. XXII.

309. Omnia templa theſauros habebant.

Et in univerſum nullum fuit alicujus nominis fanum, quod pecuniâ ſacra, pretioſisque theſauris non eſſet bene munitum. Qui theſauri tametſi ſubinde à paucis ſacrilegis iisque vel tyrannis vel aliàs reipublicæ hoſtibus attrectarentur; à juſtis tamen & legitimis magiſtratibus nunquam non maxima cura conſervati auctique fuerunt, quemadmodum ab ipſo etiam populo.

Direpti Proſerpinæ theſauri pœna.

Ita *Proſerpina Locrorum* inſignem habebat theſaurum, quem cum Pleminius legatus Scipionis Locris cum præſidio præfectus diripuiſſet, fœdus in ea militia furor exortus eſt & trepidatio. Pleminius, cui milites naſum auresque abſciderant, Romam vinctus deducitur, ubi in carcere teterrimo morbi genere conſumptus eſt. *Pecuniam Dea Senatus imperio, & quidem ſummam duplicando recuperavit.* Valerius Maximus Lib. I. cap. I. Jam antea quoque Pyrrho hic agente coactis Locrenſibus ex theſauro Proſerpinæ magnam illi pecuniam dare, cum onuſtus nefaria prædâ navigaret, vi ſubitæ tempeſtatis tota cum claſſe vicinis Deæ litoribus illiſus eſt. Cumque nihil integrum præter pecuniam manſiſſet, ea ſanctiſſimi theſauri

cuſtodiæ reſtituta eſt, inquit eodem loco idem Valerius.

Dionyſius ſpoliator templorum.

Eundem theſaurum ſpoliavit & Dionyſius infamis ille Syracuſarum tyrannus, qui & Jovi Olympio (prope Syracuſas erat templum) detraxit magni ponderis aureum amiculum ab Hierone conſecratum è manubiis Carthaginenſium. Epidauri Æſculapio aureo barbam demi juſſit, menſas argenteas atque aureas è fanis ſuſtulit: victorias aureas, paterasque & coronas, quæ ſimulacrorum porrectis manibus ſuſtinebantur, ſuſtulit. *Ibidem.* Politicos neceſſe eſt fateri, optimum regem & reipublicæ utiliſſimum fuiſſe Dionyſium, qui tanta reipublicæ nocumenta è templis ejecerit, conflaverit, & militiam ex iis conduxerit ad tutandos Phalaridis tauros, ad cives tributis exſugendos, ut ipſe ſolus dives eſſet, nemoque præterea neque deûm neque hominum.

debuit optimus eſſe rex; ex mente politicorum.

Nihil etiam juvit Mithridatem ſacrilegium Deliacum. „ Nam cum eſſet Delos totius olim Græciæ emporium, „ eaque ſolâ religione munita contra omnes omnium injurias incolas tueretur, exortus eſt Menophanes quidam „ Mithridatis copiarum dux, qui vel ſuapte inſolentia vel „ regis imperio impulſus (homini enim ad pecuniam „ omnia referenti facile divina quæſtu inferiora ſunt) in „ inſulam cum murorum tum armorum præſidio carentem cum claſſe invaſit: ubi & peregrinis, qui illic tum „ forte erant, & civibus cæſis, negotiatorum pecunia „ direpta, donariis compilatis, conjugibus Deliorum & liberis

„ liberis ſub corona venditis ipſam etiam urbem ſolo „ æquavit. - - - Verum Dei iram neque Menophanes „ neque Mithridates ipſe effugit. - - - Violati numinis „ pœnas impii homines dederunt „ fœdam mortem pro felicitate adepti: Pauſan. Lib. III. Cap. XXIV.

Delphico certe templo non Græci modo ac barbari, sed & Romani ſæpe dona ac decimas miſerunt, quemadmodum & aliis templis externis. *Sane Romanæ mulieres mundum ſuum Apollini Pythio dederunt primitiarum loco, ex quo aureus crater confectus Delphos venit.* Plutarchus de vitando ære alieno. 310. Dona Delphica.

Crœſus hic etiam ancillæ ſuæ panem pinſentis auream ſtatuam poſuit, quod illa venenum à Crœſi noverca acceptum, ut pani ejusdem impinſeret, detexerit. Plutarchus de Pythiæ oraculis.

DECIMAS ex bellica præda tam ad hoc templum quam ad alia conſecrari tum ſupra oſtendimus, tum in Pauſania & hiſtoriarum ſcriptoribus aliis ſæpiſſime occurrit. Pauciſſima tantum præterea ex Pauſania indicabo. In arce Athenienſium præter cetera fuere de manubiis Perſarum Marathonia pugna profligatorum duo inſignia opera; rurſus de manubiis Boeotorum & Chalcidenſium. Pauſan Lib. I. Cap. XXVIII. 311.

Clitorii ex urbibus expugnatis Jovi Olympio conſtituerunt ſuggeſtum ex ære & ſuper eo Coloſſum Jovis altitudinis pedum decem & octo. Pauſan. Lib. V. Cap. XXIII.

Taren-

Tarentini Peucetiis victis decimam Delphos miſerunt. Equeſtres & pedeſtres ſunt imagines Opis, Taros, Phalanthus & Delphinus. Pauſan. Lib. X. Cap. XIII.

Decimæ Thymaſitheus *Liparitanorum* princeps excepta in freto à civibus ſuis piraticam exercentibus magni ponderis aurea cratera, incitatoque ad eam partiendam populo ut comperit à Romanis Pythio Apollini decimarum nomine dicatam, manibus venundantium ereptam Deo Delphos perferendam curavit. Valerius Maximus Lib. I. Cap. I. Ubi legati Romam redierunt, hoſpitium cum eo ex Senatus conſulto factum, donaque publice data. Nam & præſidio navium dato comitatus erat legatos, & domum ſoſpites reduxerat. Liv. Lib. V.

Decimæ Neque ex bellica tantum præda ſed aliæ etiam *Decimæ* Diis conſecrabantur. „Siphniorum inſula aurifodi-„nas habet, de quarum fructibus juſſit Apollo (Delphi-„cus) ſibi decimam offerri. Illi certe theſauro „(hoc eſt „æde theſauraria apud Delphos) „condito decimam „obtulerunt. Poſtea vero quam nimio pecuniæ reti-„nendæ ſtudio ab ea religione deſciverunt, maris alluvie „metalla prorſus abolita ſunt. Pauſan. Lib. X. Cap. XI. Quid his nocuerat? Decimæ?

312. Annua dona Adhæc *annua* etiam perſæpe *dona* à civitatibus conſtituta ſunt. Et Julianus Auguſtus Apoſtata volens cultum Idololatricum reſuſcitare, probe vidit, id fieri ſine donis & oblationibus non poſſe. Unde hortator adfuit, & in *fragmento* ſuo de ſacerdotio præter alia ſic ſcribit: *Neque*

Neque enim, tametſi Deus rei nullius indigeat, ideo nihil ei eſt offerendum. Nam ne verborum quidem prædicatione collaudationeque opus habet. Quid igitur? an & ea res illi ſubtrahenda videtur? Non, opinor. Quare ne is quidem denegandus eſt honor, qui reipſa illi præſtatur; qui non tribus quidem abhinc annis, ac ne tribus quidem abhinc annorum millibus, ſed OMNIBUS ANTEACTIS SECULIS PER UNIVERSAS NATIONES COMMUNI LEGE SANCITUS EST. Nec verbis tantum ſed rebus hortabatur. Nam ex Galatiæ cenſu triginta millia modiorum tritici, & ſexaginta millia ſextariorum vini in ſingulos annos dari juſſit tum ad hoſpitium pauperum tum ad miniſterium ſacerdotum gentilium. Ut ipſe ſcribit in epiſtola quadrageſima nona ad *Arſacium* Pontificem Galatiæ. Quem etiam jubet dignitatem ſuam tueri, nec præſidi provinciæ ire obviam, niſi is ad templum acceſſerit: & tunc non niſi intra veſtibula. Neque tum miles præcedat præſidem; quia quisquis templum ingreditur, privatus efficitur, & Pontificis imperio ſubeſt.

Rurſus in ſacrificia magni editi paſſim ſumptus fuere tot in templis, lucis atque aris, quibus obſita omnis Græcia fuit. Spartani pauperes fuerunt, & Lycurgus legislator non magnificas ipſis ſed tenues victimas & ſacrificia conſtituit, quippe pauperibus. Nihilominus *mos fuit regibus Spartanis ad bellum proficiſcentibus OVIUM GREGES in extremo agmine habere, quo & ad ſacra,* 313. Sumptus in ſacrificia.

&, antequam ſigna conferrent, ad litandum hoſtiæ in promptu eſſent. Pauſan. Libro IX. cap. XIII.

Credibile eſt autem neque domi defuiſſe greges etiam plures ad ſacra paratos. Noſtri, ſi ſacrificiorum mos etiam hodie in uſu eſſet, quid ſuaderent politici? ſecum ducere greges in aciem in expeditionem? abſurdum inveniet miles ubique quod imolet, hoſtium amicorumque ovilia ſatis victimarum præbebunt.

Hecatombe notum eſt ſacrificii genus, quando centum victimæ ejusdem generis ſacrificabantur ab uno, puta centum tauri, centum arietes. Qualem hecatomben Pythagoras fecit invento à ſe geometrico quodam problemate de quadratis laterum trianguli cum trianguli area comparatis.

314. Humana etiam ſacrificia excogitata.

Quid quod aliqui eousque progreſſi ſunt, ut nihil ſatis pretioſum, nihil Deo dignius ſe imolare divinitati poſſe crederent, quam ſi humanis etiam victimis litarent, aut ſeipſos etiam, natos natasque cariſſimas mactarent, ubi comperiſſent Deo id gratum ſacrificium futurum? eousque illos adegit Deo placendi ſtudium & voluntas, hoc uno maxime infelix, quod vero de divinitate ſenſu plerique fuerint deſtituti.

315. Agri fundi diis ſacrati,

Agri etiam, luci ſive *ſylvæ*, urbes ac regiones totæ cum finibus ſuis fuere diis dedicatæ; quos perrumpere ſacrilegum fuit. „ Ereptam Eleis Scilluntem Lacedæmonii Xenophonti Grylli filio tunc Athenis exulanti „ donarunt - - - Conſtituto is ad Scilluntem domicilio

„ *agr*

„ *agri partem* Epheſiæ Dianæ, & *fanum conſervavit*,
„ Abundat Scyllus omnibus ferarum generibus ad vena-
„ tionem, apris imprimis & cervis. Pauſan. Lib. V.
Cap. VI.

„ Parnaſſus mons totus ſacer eſt, habetque ſpecus
„ & alia loca, quæ religioſe honorantur atque coluntur;
„ de quibus notiſſimum eſt atque pulcherrimum Cory-
„ cium antrum Nympharum. Strabo Lib. VIII.

In diviſione agrorum hoſtibus ereptorum pars diis conſecrari ſolebat in uſum ſacrorum, & quidem *Decima agri*. Ita Athenienſes victis Lesbiis agrum diviſerunt in partes *ter mille*: è quibus *trecentas eximias* diis conſecrarunt. Thucydid. Lib. III. *ſacræ pecuniæ* dicebantur, iſtorum agrorum.

In Inſula Coo ſylva erat Æſculapio ſacra: hanc
„ Turullius Antonii præfectus magna ex parte ſuc-
„ cidit ad naves ei faciendas; ſed, inter ipſum nefa-
„ rium miniſterium devictis (ad Actium) partibus Anto-
„ nii, imperio Cæſaris deſtinatum morti Turullium, ma-
„ nifeſtis numinis ſui viribus eum in lucum, quem viola-
„ verat, traxit, effecitque Deus, ut ibi potiſſimum à
„ militibus Cæſarianis occiſus eodem exitio & everſis jam
„ arboribus pœnas lueret, & adhuc ſuperantibus impu-
„ nitatem conſimilis injuriæ pareret, ſuamque veneratio-
„ nem, quam apud colentes maximam ſemper habue-
„ rant multiplicaret. Valerius Maximus Lib. I. Cap. I.

De Elide Strabo Lib. VIII. „ Æolii eam obtinue-
„ runt regionem, iidemque templi etiam tum Olympii
„ ſuſceperunt, procurationem. - - - & nullo negotio
„ impetratum ab univerſis fuit, ut jurejurando interpoſito
„ profiterentur, *Eleorum ditionem* Jovi eſſe ſacram: qui
„ eam armata vi inceſſeret, nefarium habendum: eo-
„ demque loco, qui id ſcelus non pro virili ulciſceretur.
„ Unde conſecutum eſt, ut qui urbem Elidem poſtea
„ temporis condiderunt, nullis eam cingerent muris; &
„ qui exercitu per Eleam iret, arma Eleis traderet, egreſ-
„ ſusque eorum fines reciperet, & Iphytus Olympicum
„ certamen inſtitueret, conſecratis in hunc modum Eleis.
„ Iſta in cauſa fuerunt, ut Elei creſcerent. Reliquis
„ enim continenter in ſeſe bella gerentibus, ſolis Eleis
„ perpetua fuit pax; neque ipſis modo ſed & eorum
„ hoſpitibus; qua occaſione maxima ibi hominum copia
„ exſtitit.

Apollini Delphico non tantum Delphorum urbs ſed ampliſſimus ager late dicatus erat. *Cyrrha* urbs cum portu ut Apollini dicata fuerit refert Pauſanias Lib. X. Cap. XXXVII. „ Cum incolæ & aliis impietatis generi-
„ bus Apollini numen læſiſſent, & in *ſacrorum finium*
„ *poſſeſſionem* temere irruiſſent, publico Amphyctionum
„ decreto arma ſunt in ſacrilegos mota. - - - De vi-
„ ctoria conſulentibus oraculum Delphici Apollinis ita
„ reſponſum eſt: Non datur ante urbis celſas evertere
„ turres, Cœrula quam lucis immiſerit Amphitrite Rauca
„ fluenta mari vaſti de gurgite ponti. Perſuaſit igitur

„ Sol on

„ Solon, ut Cirrhæum agrum ſacrarent Apollini, quò „ ſacro dei agro mare vicinum fieret. „ Nam cum eſſet reliqua ditio Apollinis plerumque montoſa, non poterat oraculum impleri, educendo mare in montes: igitur ager maritimus Cyrrhæus factus eſt dedicatione ager Apollinis ut portus maris in Apollinis agro jam conſiſteret.

316. Inſtauratio templorum per Alexandrum M.

Ad ſumptum ſacrum agnoſcendum facit etiam Alexandri Macedonis factum. *Is barbarica potitus pecuniâ in Græciam decem millia* (ſunt *DECEM MILLIONES*) *miſit, mandans, ut ædes diis ædificarentur.* Plutarchus Orat. II. de fortuna vel virtute Alexandri. Utquid perditio hæc? potuit miles templorum violator & civium excoriator duobus tribusve annis ex illa pecunia ali. Hæc demum fuiſſet vera reipublicæ utilitas. Sed in templa & ſpurios ſacerdotes verti, ridiculum fuit, quin peſtiferum, ſi novi politici ſapiunt. Ad quod Alexandri factum intelligendum hoc nota. Cum Perſæ Græciam obruiſſent, deſtruxerunt templa quotquot poterant. Græci vetuerunt iſta reædificari, ſed nova alia excitarunt, tum ut Græci ſemper admonerentur horrere impietatem Perſarum; tum ut injuriæ acceptæ monimenta extarent, vindicanda. Igitur Alexander victis Perſis tum pœnas ſacrilegii eorum ſumpſit, tum ex opibus Perſiæ juſte reædificanda cenſuit templa Græciæ ab his ſacrilegis olim vaſtata. Ita demum cuilibet ſceleri maxime in ſacra commiſſo ſua reſpondet pœna.

317. Jovis Olympii templum Elidis. De *Jovis OLYMPII* templo in Elide ſacra Peloponeſi regione non poſſum quin pauca ſubdam ex Pauſania, qui centum amplius paginis vix ejus deſcriptionem abſolvit Lib. V.

Capite X. ſic incipit: „ Multa ſane habet Græcia, „ quæ vel ſpectentur, vel audiantur cum admiratione: „ ſed omnium accuratiſſime, divinitus religione imbutis „ animis, Eleuſinia initia, & Olympii ludi celebrantur.„ Nam ne neſcias *Ludi* non profanum quid ſed ſacrum erant tam Græcis quam Romanis, ac deorum in honorem, ac ſæpe voti cauſa inſtituti. Cumque ad Olympios ludos in quinquennia confluxerit quidquid in omni Græcia doctiſſimum quidquid ditiſſimum atque præſtantiſſimum eſſet, vel ex hoc ſolo conficias licet, quanta in religionem impenſa Græcorum fuerit.

Ludi Olympici pars religionis Græcorum.

„ Jovis ἄλσος, id eſt lucum, mutato nomine *Altin* „ antiquitus vocitant. Templum & ſignum Jovi de manubiis Elei dicarunt, Piſæis aliisque finitimis populis „ qui defecerunt, bello ſuperatis ac Piſa ipſa direpta. „ Simulacrum à Phydia factum. Templi ipſius Dorica „ exædificatio eſt. Ambitus exterior diſpoſitas in orbem columnas oſtentat. Parietes è vernaculo lapide „ exſtructi ſunt. Surgit in altitudinem ab ima area ad „ aquilas quæ tecti faſtigium ſuſtinent, pedes octo & „ ſexaginta: patet in latitudinem nonaginta quinque: „ excurrit longitudo ad ducenteſimum ac trigeſimum. „ Architectus opi præfuit Libon homo indigena. Te-

„ ctum

Templi ſtructura.

Simulacrum Jovis inter ſeptem mundi miracula.

„ ctum eſt non coctili tegula, ſed cæſo ad tegulæ formam „ è lapicidinis Pentelicis marmore. (qualibus nunc templum majus Mediolanenſe contectum eſt, ſed lapis pentelicus multo pretioſior.) „ Eminent in extremis tecti „ finibus inaurati lebetes. In medio faſtigii apice inau„ rata item victoria. Infra victoriæ ſignum fixus eſt au„ reus clypeus, in quo Meduſa Gargon celata eſt„ (hic quoque de partis ſpoliis decima fuit). „ In exteriore „ parte ad zonam, quæ ſupra columnas ædem incingit, „ clypei affixi ſunt inaurati (inaurata autem omnia quæ fuere, fuere ex ære fuſa) viginti & unus, à Romanis ex„ ercitus imperatore Mummio dedicati. Sub ipſis tem„ pli lacunaribus in antica parte ſigna ſunt apparatum cu„ rulis certaminis inter Pelopem & Oenomaum teſtantia. „ Signo Jovis medius imminet lacunaris vertex (& capite prope teſtudinem pulſabat ſimulacrum, adeo erat altum ac procerum). Deſcribit inde Pauſanias innumera ſigna ænea & hiſtorias, quæ Jovis ſimularum circumſtabant.

Æneæ erant templi utrinque fores: „ Erectæ ſunt „ in templi parte interiore columnæ, quæ ſublimes à „ terra ſuſtinent porticus, per quas ad Jovis ſignum adi„ tus patet. Attollit inde ſe cochlea, per quam ad „ culmen ſcanditur.

„ Sedet in ſolio deus ex auro & argento factus. „ Corona capiti impoſita eſt ad oleaginæ frondis imagi„ nem. Dextra victoriam, & ipſam ex ebore & auro

„ præ-

„ præfert cum tænia & corona. Læva ſceptrum tenet
„ affabre expolitum & omnium metallorum varietate di-
„ ſtinctum. Quæ avis ſceptro incumbit, aquila eſt.
„ Aurei ſunt deo calcei, pallium item aureum. In eo
„ tum diverſa animalia, tum ex omnibus florum generi-
„ bus lilia imprimis cœlata ſunt. Solium ipſum auro &
„ pretioſis præfulget lapidibus: neque in eo vel ebenum
„ vel ebur deſideratur: animalium vero formis intercur-
„ rente picturam exornatur. Signa (Statuæ) etiam in
„ eo eminent, victoriæ quatuor ſaltantium ſpecie ad ſin-
„ gulos ſellæ pedes „: quod deinde ſolium multis ſtatuis ex auro & ſculpturis nobile deſcribit Pauſanias ac denique addit, eos, qui idoli hujus cum ſolio magnitudinem deſcripſerunt ſeu altitudinem & alias menſuras, longe inferiora vero dixiſſe. Ipſe quidem menſuras nullas edit: ſed æſtimari eæ poſſunt, quod vertex idoli ſedentis teſtudinem prope pulſaverit templi ſexaginta octo pedes alti usque ad Zophorum.

Unde recte Strabo Lib. VIII. notat Symmetriam in hoc ſimulacro neglectam à Phidia *Quod ſedentem finxit ita, ut vertice culmen propemodum tangat, & ex ipſa ſpecie appareat, eum, ſi ſurgeret ſeque erigeret tecto templum nudaturum eſſe.*

Memento autem hoc Jovis ſimulacrum unum fuiſſe ex *ſeptem mundi miraculis*: unde ejus pretium conjicias, licet.

Dehinc aras innumeras quæ tum in templo tum in ſepto & extra illud in theatro, ſtadio aliisque fanis & areis

areis exiſtebant, enumerat Pauſanias cum multis donariis. Nam & hic civitatum theſauri conſtructi erant.

Tum Cap. XVI. accedit ad deſcribendum templum Junonis eodem in loco exſtans, nec minore apparatu, nec levioribus ex auro, ebore, ahenoque inaurato donis. Admonitionem meretur deſcriptio unius hic dicatæ areæ eburno-aureæ cedrinæque: cujus à quatuor lateribus ſculptas prope innumeras hiſtorias ſtylo proſequitur ſedulus auctor per paginas omnino ſex. Templum Junonis Olympiæ

Præterea alias hic memorat intra Altin ſacras ædes, ut *Matroum* inſigni magnitudine opere Dorico ſtructum; *Philippeum*, templum à Philippo Macedone erectum poſt Cheroneæ victoriam cum ſignis ex auro & ebore. *Pelopis* delubrum; *Lucinæ* fanum; *Veneris cœleſtis* tunc in ruinis jacens; *Hippodamium*, ædes *Cereris Chamynæ*; *Bacchi*; *Saturni*; *Minervæ*. Multa alia templa Olympica.

Demum capite XXI. aggreditur deſcriptionem donorum diis dicatorum & ſemideis, in quibus quamplurimæ erant ſtatuæ Jovis etiam Coloſſeæ, interque has una ab ipſis Eleis dicata confecto Arcadico bello, alta pedum ſeptem & viginti. Multæ hic manubiæ dicatæ ex Marathonia aliisque victoriis; unde diſcas, his occaſionibus non ad unum modo ſed ad complura templa dicatas prædæ decimas fuiſſe. Donaria Olympica.

Ceterorum deorum ſtatuas æneas incipit numerare capite XXV. Et Strabo Lib. VIII. inter donaria nominat

etiam Jovem ex auro ductum donum Cypteli Corinthiorum tyranni.

Præter ea in libro ſexto Pauſanias recenſet non omnes, multas tamen ſtatuas victorum Olympicorum, equorum etiam per capita octodecim.

Capite decimo nono exponit *theſauros* Sicyoniorum, Carthaginenſium, Epidamniorum, Sybaritarum, Cyrenæorum, Selinuntiorum, Metapontinorum, Megarenſium, Gelenſium.

Alia ædificia ſacra Olympica.

Ad rem porro Olympiæ ſacram ſpectabat ſtadium cum multis ſuis ædificiis, porticibus, cellis, equorum carceribus, athletarum habitaculis, aris & idolis, quæ à capite XX. libri ſexti Pauſanias proſequitur.

Adhæc omnia circum hunc locum ſunt plena aliis etiam templis præter ea, quæ paulo ſupra numeravimus.

Deinde in ipſa urbe Elide multa adhuc alia Gymnaſia, ſtadia, templa, porticus, xyſtique ſacri cum aris ſuis & idolis exſtabant, de quibus à capite XXIII. usque ad XXVII. & prope finem libri enarrat auctor.

De Olympia vicina regione, ubi *Diana* colebatur, tradit Strabo: *Refertum eſt ſolum iſtud totum in lucis donariorum Dianæ, Veneris ac Nymphis conſecratorum. Crebra ſunt etiam Mercurii in viis, Neptuni in ripis donaria.* Lib. VIII.

Liceat mihi hoc loco ſubjungere templum *Deæ Syriæ* quod erat *Hierapoli.*

DE

DE TEMPLO DEÆ *SYRIÆ* HIERAPOLI.

De hoc Lucianus multa, in libro de *Dea Syria.* Equidem Lucianus irridendi cauſa hunc, ut ceteros ſcripſit libros. Irridet autem non divitias templi, quæ veræ erant, ſed divitiarum irridet cauſam, nimirum falſum numen & pudenda ſacra. Nos eandem cauſam deteſtantes, opes tamen narrabimus, quas illa cauſa peperit, cum vera ac divina crederetur ab infelicibus hiſce populis. Sic igitur Lucianus. 318. Lucianus non divitias hic ridet, ſed earum cauſam.

„ In Syria ſunt templa antiqua & magna. Quæ cum „ multa adeo ſint, nullum tamen, quantum mihi vide- „ tur, majus eo eſt, quod in ſacra civitate (id eſt Hie- „ rapoli) habetur. Sunt autem & opera in eo pretioſa, „ & donaria antiqua & miraculoſa multa, & ſtatuæ reli- „ gioſæ, & Dii quoque ex ipſis manifeſtam adeo ſui ſigni- „ ficationem dantes. Jam vero & divitiis inter ea, quæ „ quidem ipſe vidi, primum atque præcipuum eſt. „ Nam multæ afferuntur ipſis opes tum ex Arabia, tum „ Phœnicibus & Babyloniis, & aliæ item ex Cappadocia, „ & quæcunque Cilices afferunt, & quæcunque Aſſyrii. „ Vidi autem ego etiam ea, quæ ſecreto in æde poſita „ ſunt; veſtes videlicet multas, & alia quæcunque argen- „ to aut auro ſeorſim deputata ſunt. Syriæ templa magna. Divitiæ undique huc allatæ.

De Junonis ibidem ſimulacro aureo pergit: „Foris „ autem & aliud illi aurum circumpoſitum eſt, & capilli „ valde pretioſi, quorum alii quidem candidi, alii autem „ cœrulei, multi vero etiam rufi. Præterea autem &

„ Sardonyches multi, & Hyacinthi & Smaragdi: quæ „ omnia afferunt Ægyptii & Indi, & Æthiopes, & Medi „ & Babylonii. Quod igitur maxime memorabile eſt, id „ dicam: Lapidem in capite gerit, qui *Lychnis* voca- „ tur. Nomen autem illi dedit operis effectus reſpon- „ dens. Ab hoc multus fulgor noctu reſplendet, tota- „ que ædes ab eo perinde atque lucernis collucet. In- „ terdiu autem ipſum quidem lumen marceſcit, ſpeciem „ autem præſefert admodum igneam.

„ Intra ſepta autem templi liberi ac diis conſecrati „ paſcebantur boves magni, & equi, & aquilæ, & urſi, „ & leones: atque illi homines haudquaquam lædunt, ſed „ omnes & ſacri ſunt & manſueti. Sacerdotes autem „ ipſis multi eliguntur, quorum alii quidem hoſtias ma- „ ctant, alii autem libamenta ferunt, rurſus alii flammi- „ feri vocantur, & alii aræ miniſtri. Mea autem ætate „ plures etiam trecentis ad ſacrificia ventitare ſolebant. „ Veſtis autem illis tota candida eſt, & pileum in capite „ geſtant. Summus autem ſacerdos alius ac novus uno- „ quoque anno ſurrogatur, ſolusque hic purpuream ve- „ ſtem gerit, & tiarâ aurea redimitur. Eſt autem & „ alia multitudo hominum ſacrorum, tibicinum videlicet „ & fiſtulatorum, & Gallorum, & præterea mulieres fu- „ ribundæ ac mente captæ. Sacrificium autem bis quo- „ tidie peragitur, ad quod omnes veniunt. „ Hæc alia- que multa Lucianus de Dea Syra.

Sacerdotum multitudo.

Tem-

Templum *VENERIS PAPHIÆ* in *Cypro* inſula tempore Veſpaſiani ait Tacitus Lib.II. Hiſtoriarum cap. 2. 4. *inclytum per indigenas advenasque, opulentiâ donisque regum:* duæ ibi gentes ſacerdotii principatum geſſere: Cinyræ regis poſteritas, & Thamyræ advenæ Cilicis.

319. Sacerdotes non multos memorat Pauſanias.

De *SACERDOTUM NUMERO* apud Græcos raram Pauſanias mentionem facit, neque videtur magnam eorum indicare copiam. Exempli cauſa in templi Jovis Olympici Elei familia hos tantum numerat Lib. V. cap. XV. *Sacrorum cerimoniis*, inquit, *ut quæque in ſingulorum menſium ſtatos inciderint dies, rite peragendis præſunt Ædituus* (hic velut præſes templi habebatur) *Augures, Feciales, Interpres, tibicen præterea & Lignator.* Hujus poſtremi munus erat, ſingulis ſacrificiaturis ſive publico civitatum nomine, ſive privato ligna præbere ex populo tantummodo alba, ut alibi Pauſanias docuerat.

Fuere tamen permulti.

Equidem hi pauci videri poſſint, pro templo tam celebri, miniſtri. Verum hoc ipſo quod pauci ſint, credendum eſt non fuiſſe paucos, ne non ſufficerent tum devotioni tum curioſitati, quæ utraque in Græcis fuit maxima, & in peregrinis paſſim affluentibus fortaſſe etiam major. Quid enim ſi ædituus fuiſſet tantum unus, aut interpres unus? potuiſsetne is omnium ſatisfacere poſtulatis? aut tibicen unus tot ſacrificiis adfiſtulaturus nonne animam cum pulmonibus efflâſſet. Quocirca exiſtimaverim *Ædituum* unum fuiſſe *Principem* multos ſub

ſe miniſtros habentem: qui miniſtri ipſeque ædituus cùm fuerint omnes uxorati & familiam alerent, jam non pauci homines ex templo alebantur, cum ex eo ædituus vixit. Ponamus enim ipſius æditui domum conſtitiſſe capitibus *octo*. Miniſtros eum habuiſſe decem, quorum ſingulæ familiæ conſtiterint capitibus *ſenis*: hinc conficies, *æditui* ſolius totam congregationem *ſeptuaginta* capita numeraſſe. Si totidem addas pro congregatione *Augurum*, totidem *Fecialium*, *Interpretum*, *Tibicinum*, ac *Lignatorum*; conficies numerum *quadringentorum* atque *viginti* præterea hominum, qui huic Jovi ſervierint: quod mihi; neque alii forſan, non videtur nimium, imo parum; & crediderim facile, his etiam plures extitiſſe.

Fecimus ſuprà mentionem de *Sambuci* ſacrilegio ejusque ſuppliciis ex Plutarcho. Is Sambucus Eleus *cum haberet multos ſub ſe miniſtros* multa donaria arroſit ac vendidit. Forte non abs re ſuſpicor, hunc Sambucum fuiſſe aut *Æditimum* aut *interpretem*, cui ipſa occaſio adeundorum quotidie donariorum & theſaurorum excitaverit clependi deſiderium, quod ille exſequi præ aliis potuit. *Miniſtros multos* ſub ſe habens aliquos eorum in ſocietatem ſceleris traxit, ad quos prodendos quæſtioni admotus eſt Sambucus. Ex quo mihi confici videtur, non ſolitarium ædituum, ſolitarium augurem nec ſolitarios ceteros fuiſſe ſed *multis miniſtris* adjutos, quos Plutarchus eodem loco *Synergetes* ſeu *cooperatores* & miniſterii ſive officii ſocios appellat.

Adde his *Collegium ſexdecim fœminarum* Junonis peplum texentium. Adde *Phidiæ poſteros, quibus publice* *nego-*

negotium datum eſt, ut Jovis ſignum ab adventitiis purgatum ſordibus & deterſum proſtent (Phædrintæ ex eo, quaſi purgatores aut illuminatores nuncupati) qui priusquam ad opes aggrediantur ſacra Deæ Erganæ faciunt. Lib. V. cap. XIV. ubi ſimul vides, templo Jovis non ſolos illos ſerviiſſe, quos ſuprà Pauſanias nominaverat. Adde inſuper ſacerdotes & *miniſtros tot aliorum templorum* & ſacrorum in eodem loco frequentatorum. Adde miniſtros alia um ædium, ludorum magiſtros, qui omnes religionis causâ hic ſuſtentabantur; invenies ſatis magnum populum miniſtrorum religionis hoc uno in loco degentem, & verum agnoſces, Elidem potiſſimum ab iis inhabitatam fuiſſe, qui Dei miniſtri, deque Dei familia fuerint. Id quod alio loco Pauſanias de Titane manifeſtius eloquitur; quamquam hoc templum comparari cum Olympio nequaquam potuerit.

Nimirum à Sycione egredientibus poſt ſuperatum Aſopum amnem occurrebat mons *Titanis.* In ejus vertice Æſculapii ſanum. *Id* fanum *& alii accolunt, maximam vero partem Dei ipſius ſervi* (οἰ κέται, domeſtici de familia Dei) *tenent.* Pauſan. Lib. II. cap. XI. Ubi vides locum habitatum ſatis, ſed majorem habitatorum numerum ſacerdotes & ſacrorum miniſtros fuiſſe. Quod cum apud locum multo obſcuriorem, ac Elidis comparatione prope pro deſerto habendum ita contigerit, multo fuerit verius apud templa celebriora, Græcorumque conventibus & ſacrificiis, præterea etiam peregrinorum frequentata multitudine.

Deni-

Numerus ſacerdotum Græciæ conjecturâ initus.

Denique ſi vel permitteremus ſingulis æque templis decem tantum fuiſſe addictos homines, qui ex ejus religione victitarent: & faciamus templorum in omni Græcia *millia* tantum *triginta* extitiſſe, quem quidem nnmerum facile reor eſſe duplicandum, conſequitur *trecenta* ſaltem *ſacerdotum & ſacrificulorum millia* è ſacris vixiſſe apud Græcos. Nequid dicam de artificibus omnis generis, quorum ingens multitudo vixit è fabricis & donariis. Strabo divitias templi Veneris apud Corinthios oſtenſurus argumento utitur mulierum Veneris cultui dicatarum, qui quidem cultus, cum ſit fœdiſſimus, *multitudo* tamen recte in argumentum adhibetur à Geographo. Ait ergo: „ Fanum Veneris Corinthi ita fuit locuples, ut plures „ quam mille habuerit ſacrorum famulas meretrices, quas „ Deæ viri mulieresque dedicaverunt. Lib. VIII.

Ceterum ſacerdotum multitudinem apud Athenienſes probat illud, quod Jon eam regionem adeptus primum in *quatuor* tribus multitudinem, deinde in totidem vivendi genera diviſit, nimirum *agricolas*, *opifices*, *ſacerdotes*, *cuſtodes*. Strabo Lib. VIII.

32a. Statuæ Græciæ innumeræ.

Tempus autem eſt jam tandem deſerta Græcia aliorſum vela dare. Sed prius unum etiamnum politico expendendum do. Statuarum ænearum, aurearum, eburnearnm opinor majorem longe fuiſſe numerum quam ipſorum ſacerdotum: neque vanus fortaſſe fuerit, qui *quingenta* ſignorum *millia* putaverit: præter ſtatuas hominibus poſitas ingenti ſane numero; quando ſoli Demetrio tre-

trecentæ eodem tempore erectæ fuerunt.] Totus iſte aureus & aheneus Xerxis copiis certans ſtatuarum exercitus neque aravit unquam, neque occavit, neque locutus eſt, aut audivit quemquam, aut cuiquam buccellam præbuit, neque ullum ex rei publicæ filiis erudivit, ſed *ſtetit* tantum & tanta tamen impensâ comparatus conductusque fuit: nec tamen acutiſſimorum Græciæ politicorum judicio nocuit reipublicæ: quanto minus nocebit reipublicæ impenſa facta in noſtros, non æreos aut marmoreos ſacerdotes, aut mutas ſtatuas, ſed quorum labores, quorum in alios ſuſtentandos liberalitas, quorum in reipublicæ neceſſitates ſublevandas induſtrioſa parſimonia] neminem niſi maligne cœcum & Puſſendorffii livori ſimilem latere poteſt. Vitæ carentes non nocuerunt rei publicæ: ergo multo minus nocuere ſacerdotes alii.

Adeo politici novi male eruditi maleque conſulti ſunt ac rei publicæ ignari, ut veteribus nonniſi pudorem ac ludibrium debeant. Et ego adhuc non jam facio comparationem inter cultum verum aut falſum. Fortaſſe enim politicorum, qualis eſt auctor ſpiritûs legum Sophiſta, nihil refert, vera an falſa ſit religio, bona an mala? ſit Deus, an figmentum ſit & fabula. Politicorum novorum impudentia,

TESTIMONIUM DECIMUM.

DE OPIBUS SACRIS APUD *ROMANOS*.

Quicunque Romanorum hiſtorias vel obiter legerunt, ii plane deprehenderint, omnes Romanos ſapien- 321. Fundamentum rei publi-

æ Romanæ religio fuit. tes ſive politicos ita ſenſiſſe, fundamenta reipublicæ eorum in ſervanda colendaque religione conſiſtere. Cicero libro tertio de natura deorum profitetur : *Romulum mihi perſuadeo, auſpiciis, Numam ſacris conſtitutis jeciſſe fundamenta noſtræ civitatis.*

Neque adeo mirum, ſi poteſtas religioſa hac in urbe fuit ſumma, & omnibus aliis certa ratione potior. Quod & Lipſius Romanorum indagator acerrimus obſervat, admiratur, laudat. Lib. IV. de Magnitudine Rom. cap. V.

321. ſacerdotum poteſtas. Equidem ſacerdotum nullus *imperium* habebat, hoc eſt non ſecuribus atque lictoribus agebat in vitam fortunasque civium, ſed *donando* tantum, *dictando*, ac *præcipiendo* decernebant, quid fas, quid nefas eſſet. Sed hujusmodi peæcepto absque ulla tergiverſatione, ulla interpretatione aliena, ulla provocatione parebatur. Nam ſi à ſacerdotum oraculo provocationem ad populnm aut Senatum admitterent, rem monſtro ſimilem tentare viderentur, ut religionem populi dominam ſubjicerent populi dominio. Id quod illis hominibus ne venit quidem unquam in mentem. *Omnia namque poſt religionem ponenda ſemper noſtra civitas duxit, etiam in quibus ſummæ majeſtatis conſpici decus voluit. Quapropter non dubitaverunt ſacris imperia ſervire ; ita ſe humanarum rerum futura regimen exiſtimantia, ſi divinæ potentiæ bene atque conſtanter fuiſſent famulata :* inquit Valerius Maximus Lib. I. Cap. I.

Agam

Agam autem hic primo loco de *templis* deinde de *ludis*, demum de *ſacerdotiis:* non omnia ſane, ſunt enim velut innumera; ſed pauca ſaltem & quæ ad rem noſtram faciunt percenſebo, quo politicus noſtri temporis isque Chriſtianus nonnihil percipiat, quantum Roma vetus religionis causâ fecerit, ut religionis cura religioſisque impendiis ſibi muniret rempublicam, non ei noceret, quemadmodum pſeudopolitica ſuſpicatur. Dicenda deinceps.

TEMPLA ROMANA.

Roſini antiquitatibus Romanis per Dempſterum editis Trajecti an. 1701. præfixa eſt facies urbis æri inciſa, qualis erat ætate *Septimii Severi* Auguſti, tum ex Onuphrio Panvino deſcriptio urbis per quatuordecim regiones ſubjuncta eſt; enumeratique in ſingulis vici & alia, ſed & maxime templa, delubra, ædesque ſacræ. 323. Templorum Romæ numerus

Calculo ſubducto comperio, horum numerum in univerſum in urbe conficere *quadringenta* templa & ædes & delubra. Ædem vero inter atque templum haud aliud erat diſcrimen, quam quod templum ſolemni pontificum ritu *dedicatum eſſet*, ædes non item; cum de cetero ædes ſæpe multo ſplendidior & magnificentior eſſet, quam templa quævis. CCCC

Præter quadringenta templa numerantur à Panvinio *Luci triginta duo*; *Areæ ſeptem*; *Coloſſi æneì triginta ſex*; *Coloſſi marmorei quinquaginta unus.*

Erant quadringentis plura.

Equidem non eſt hic exiguus locorum ſacratorum numerus una in urbe, præter ſuburbana: & argumentum hoc jam ſatis potens eſt, qui fuerit Romanorum de opibus in ſacra inferendis ſenſus. Non enim leviculum quoddam æs impendas neceſſe eſt ad tot templa ſolum excitanda, ne dicam ſarta tecta conſervanda, exornanda muneribus, ſacrificiis colenda.

Præcipue cum non admodum diu antè ex quatuordecim urbis regionibus, decem incendio Neronis fœde fuerint & partim penitus vaſtatæ.

At ego tamen contendo, numerum à Panvinio traditum vero eſſe minorem. *Ædes* enim *Dianæ* Onuphrius, niſi me fefellit oculus, numerat nonniſi duas. At Plutarchus in Quæſtionibus Romanis de ſuo tempore differens prodit, *MULTA eſſe Romæ TEMPLA DIANÆ*, & ex iis in id ſolum non intrare viros, quod eſt in vico Patricio.

Fortunæ quoque *multa* delubra in urbe eſſe, Tacitus ſcribit Annalium Libro III. Cap. 71. Et enumerat quidem Onuphrius non pauca: deeſſe tamen & alia arbitror. In regione enim urbis nona nullam habet Onuphrius *ædem fortunæ equeſtris*, quam tamen ibi vidit P. Victor, quem allegat Lipſius in illum Taciti locum. Suſpicor, & alia multa me facile inventurum, ſi pretium operæ in excutiendis omnibus Romæ angulis facerem. Sed neceſſe præterea eſt in urbe tam annoſa, atque floren-

rentiſſimis rebus ſuis toties flammam paſſa alia ſubinde nova fieri templa veteribus dejectis, auctis, vel reſtitutis.

Sed etiam Lipſius Lib. III. de magnitudine Romana Cap. V. ex notitia imperii ait *quadringenta ac viginti quatuor templa* Romæ fuiſſe. Et Strabo *templa una alteris identidem conjuncta* eſſe affirmat Lib. V.

His adde *Lararia* ſive delubra & ſacella domeſtica, quibus nulla Romæ domus caruit; aliquot etiam pluribus videntur inſtructæ fuiſſe, pro viris, pro Gynæceo: in quæ omnia ornanda multum impenſum. Sed & foris, in villis, in coloniis eum uſum fuiſſe docere poſſemus. Vid. *Plutarchus* Quæſtionibus Romanis de ſacellis Bonæ Deæ, quæ exornabant matronæ in ſuis domibus.

324. Urbi Romæ templa erecta.

Crevit illa templorum frequentia & in urbe & in Italia & in Provinciis, quando ſacrilega adulatio non tantum deos templis ſacrificiisque honoraret, ſed & homines æque viventes ac mortuos.

Urbi Romæ dicata multis locis templa fuerunt, atque imperium Romanum pro Deo cultum applaudente ſenatu populoque. Cum undecim Aſiæ civitates in ſenatu præſente Tiberio Auguſto certarent, utri earum honor contingeret erigendi Tiberio apud ſe templi, vicere Smyrnæi poſtquam docuiſſent, *ſe primos TEMPLUM URBIS ROMÆ ſtatuiſſe M. Porcio conſule, magnis quidem jam populi Romani rebus, nondum tamen ad ſummum elatis, ſtante adhuc Punica urbe, & validis per Aſiam regibus.* Tacitus Lib. IV. annal. cap. 56. Ne-

que extra urbem ſed urbe in ipſa urbi tanquam deæ templum urbs vaniſſima poſuit, ſeque adoravit. Extabat in monte Palatino, ut eſt apud Claudianum IIdò delauditus Stiliconis.

Auguſti templa.

Auguſto imperatori quantum templorum in urbe & provinciis dicatum? quanta ſacerdotia conſtituta, tam virorum quam fœminarum? quodque fidem omnium ſuperat, Patres conſcripti mortuum *conſecrantes Auguſtum, ſodales ei & ſacra inſtituerunt & ſacerdotem Liviam*, ut habet Dio Lib. LVI. fin. Fuit autem Livia demortui hujus principis conjux, & jam paucos poſt dies ejusdem ſacerdos, quemque heri cremaverat, hodie adorabat. Stoliditatem pulcre deriſit Epictetus apud Arianum de ſermonibus Epicteti Lib. I. cap. XIX. Sed nemini tamen politicorum tunc venit in mentem, ſumptus ſodalibus his, id eſt ſacerdotibus, & ſacris qualibuscunque impenſos nocere reipublicæ; niſi quantum vitium omne nocet moribus, mores autem noxii ſunt illis quorum ſunt mores; & ſi ſemel mores noxii fiunt etiam mores publici, rem publicam ſibi ipſi noxam fieri neceſſe eſt. Ita tum Romanam rem publicam tria potiſſimum dedere peſſum: *Tyrannis* principum libidinem ſuam pro lege ſequentium: Servilis *adulatio* & procerum & plebis omnia in principibus laudantium: denique *religio* per ea, quæ mox diximus, non culta ſed prodita & irriſa.

Cæſarum templa.

Ita *Auguſtus*, ita *Tiberius*, ita poſt hos pudenda quædam imperii monſtra *Nero*, *Caligula*, *Domitianus* vivi habuere ſua templa, aras, flamines, ſacrificia.

Tem-

Attamen non hæc nova Auguſtorum inſania, ſed ea correpti jam antea Romani velut morbo *ſolito* fuerunt, Suetonius de Auguſto cap. 52. *Templa quamvis ſciret etiam PROCONSULIBUS decerni SOLERE*, in nulla tamen provincia niſi communi ſuo Romæque nomine recepit. Vid. Roſinus Lib. I. Cap. XIII. in Paralipomenis regionis Octavæ. Templa Perconſulum.

Hactenus de templorum multitudine Romana, nunc de *MAGNIFICENTIA*. Quamquam ſupervacuum eſt de his diſſerere. Vel ſolæ paucæ illæ quæ Romæ ſuperant reliquiæ; Rudera pauca templi Pacis è regione Palatii; Pantheon parietibus tholoque adhuc integrum, porticusque admiranda Agrippæ illi templo adjecta ad certamen provocant regum quorumcumque & imperatorum opes. Stant illa utut tentata tot incendiis, tot de cœlo tacta fulminibus, tot quaſſata terræ motibus, tot hoſtium & domeſticorum ſpoliis denudata; cum novæ ædes ſacræ poſt tempus breve jam nutent & ruinas minentur. 325. Reliquiæ docent magnificentiam.

Quid ſi horum templorum non reliquias ſpectaremus, ſed ædes illas novas, nitore primo reſplendentes? Quidſi dein non duas tresve, ſed tot alias tota urbe extollentes faſtigium, donis ſuis ornatas, theſauris inſtructas, populo, ſacerdotiis ſacrificiisque frequentes coram intueremur? Vox, opinor, faucibus hæreret politico heri nato.

Sed & Vitruvius inſignis tum Romæ architectus commentariis ſuis nobis conſervavit templorum Auguſteæ ætatis magnificentiam.

De

Pantheon Romæ. De *PANTHEO* juvat referre pauca ex iis, quæ Roſinus congeſſit de Jove Lib. II. antiquitatum cap. V. Altum eſt pedes CXLIV. totidem latum. Contignationes *æneis trabibus* canalium modo compactæ, pedum XL. Valvæ ingentes, ingentes item *trabes* ex *ære Corinthio.* (hoc eſt mixto ære, auro, atque argento conflato) et inauratæ. In teſtudinis medio foramen ſphæricum *æneis inauratisque trabibus* fultum. Ad foramen illud in tecto quadraginta gradibus plumbeis aſcendebatur olim, qui ante *argentei* erant à Conſtante Imperatore detractæ. Teſtudo tota intus obducta gravi ære, ſeculo demum XVII. amota. Porticûs etiam lacunar è trabibus erat æris Corinthii ad porticum aſcendebatur gradibus æneis duodecim. Poſt varias urbis ruinas *deſcenſus* ad illud erat gradibus totidem. Nunc complanatiore loco, ruinis partim devectis, partim in ædificia mutatis, ad templum & porticum ingreſſus è foro de plano patet. Parietes olim marmore incruſtati, nunc lateritii videntur. Nec mirum ſæpius enim incendiis fulminibusque corruptum inſtauratum jam à Domitiano, ab Hadriano &c. fuit.

Templum Apollinis Palatini ſive Actiaci fuit donis & ornatu ampliſſimum. Auguſtus ex marmore Lunenſi condidit: ſtatuas aureas & argenteas ſibi erectas huic donavit. Valvas eburneas fecit auro picturisque inſignes. Roſinus Lib. II. cap. VII.

Certe novæ quædam ædes ipſo Capitolio multo videbantur ornatiores, quod potes apud Lipſium diſcere de Magnit. Rom. Lib. III.

Agen.

Agendum autem jam eſt etiam de templorum theſauris & donariis atque votis. Romæ parens Romulus, cum Cæninenſium regem in pugna interfeciſſet, ſpolia opima reportavit in monteque Capitolino ſuſpendit è quercu paſtoribus ſacra, addito voto: *Jupiter FERETRI, hæc tibi victor Romulus rex regia arma FERO, templumque iis regionibus quas modo animo metatus ſum, dedico, ſedem opimis ſpoliis, quæ regibus ducibusque hoſtium cæſis me auctorem ſequentes poſteri ferent.* Ita Livius. Idque primum omnium templum Romæ ſacratum eſt: Dionyſiique Halycarnaſſæi ævo viſebantur etiamnum veſtigia vetera vix XV. pedum longitudine. 326. Feretrio Jovi opima ſpolia dicata.

Hoc tamen templum Feretrii longe diverſum à Capitolio ſive templo Jovis *Capitolini*. Deſcriptionem Capitolii ex Halicarnaſſæo in breviculum contraho, & ex Tacito. Tarquinius Priſcus hoc templum voverat bello Sabino, & jecerat fundamenta, in quæ ſola impenſa ſunt, *undecim millia librarum argenti* ſive quadringenta amplius florenorum millia. Servius Tullius rex Sociorum ſtudio, & Tarquinius ſuperbus ex ſpoliis Sueſſæ Pometiæ exædificarunt. Non autem ex ſpoliis Sueſſæ univerſis ſed tantum ex decimis. Sic enim Dionyſius Halicarnaſſæus, *Tantum prædæ reperit, ut quinque minæ argenti obvenerint ſingulis militibus, DECIMÆ AUTEM DIIS SACRATÆ NON MINUS QUADRINGENTA TALENTA.* Apud Lipſ. Magnif. Rom. Lib. III. cap. V. Sunt *quadringenta florenorum millia* decimæ Deo ſacratæ. Capitolium Romæ.

Horatius Pulvillus exactis regibus dedicavit *ea magnificentia*, quam immenſæ poſtea populi Romani opes ornarent potius quam augerent, inquit Tacitus. Unde neceſſe eſt hoc primum capitolium plane ſummi pretii fuiſſe; quia immenſi poſtea illati theſauri viſi ſunt nihil augere. Conflagravit quadringentis quindecim annis poſt Coſſ. L. Scipione, & C. Narbano.

Reædificavit Sulla: gratis ædificatum tunc eſt à fabris, operis, & civibus, ita ut nihil ex ærario tribueretur. Cicero apud Lipſium, Actione V. in Verrem. Tegulis æreis inauratis erat contectum. Lutatius Catulus hoc dedicavit. In Vitellii ſeditionibus dirutum eſt militum furore. Veſpaſianus reſtituit, & tria millia ærearum tabularum, quæ in eo conflagraverant reſtituenda ſuſcepit; ſed idem templum cum eodem imperatore rurſus interiit. Tandem à Domitiano quartum reſtauratum eſt, columnis ejus ex Penteleſio lapide exciſis, & *ad deaurationem ipſius duodecim millibus talentorum argenti impenſis.* Quæ Summa fere eſt *duodecim millionum Philippæorum* aut ſaltem florenorum: ſeptem milliones Philippæorum interpretatur Lipſius in ſolam deaurationem ſeu bracteas tegulasque aureas, quibus tholus & cetera obducebantur.

Primum Capitolium ſitum erat in alta crepidine Tarpejæ rupis, octo jugerum alibi lego *duodecim* jugerum ambitu ducentis ferme pedibus patens, per latera ſingula pari propemodum longitudine. Frons ejus meridiem ſpectans habe-

habebat porticum cum triplici columnarum ordine; in lateribus autem duplici ordine. Tres ſub eodem tecto ædes erant; media Jovis, dextra Minervæ, ſiniſtra Junonis. In ſacello quodam Junonis *anſeres ſacri* alebantur ob ſervatum à Gallis Capitolium: & in arca lapidea *Libri Sibyllini*. Hæc igitur illa ſedes publicorum donorum non Romæ ſolius ſed & exterorum fuit. Pauca ex iis dabimus.

In cella Junonis *coronæ aureæ* erant *duæ*: alteram *Galli* Jovi optimo maximo conſecrarunt; alteram *Carthaginenſes* ob partæ Romanis in Samnites victoriæ congratulationem. *Britanni* quoque amicitiam Auguſti Cæſaris conſecuti donaria in Capitolio conſecrarunt, inquit Strabo Lib. IV. quod & de aliis gentibus docere poſſem. In eodem erat ſtatua vetus *aurea Victoriæ*. Donaria Capitolii

An. CXLVI. L. Volumnio App. Claudio Coſſ. ex bonis *fœneratorum* in publicum redactis *ænea* in Capitolio *limina*; & trium menſurarum *argentea vaſa* in cella Jovis; *Jupiterque* ipſe *cum quadrigis* in culmine poſitus eſt.

Nec ænea tantum limina fuere, ſed auro etiam tecta obductaque. Zoſimus apud Lipſium ſic ſcribit; *Stilico mandaſſe perhibetur, ut fores in Capitolio Romano, quæ AURO MAGNI PONDERIS erant obductæ; laminis iis ſpoliarentur. Cum autem, qui hoc facere juſſi erant, id agerent, in parte forium ſcriptum repererunt: INFELICI REGI HÆC SERVANTUR.*

Quod eventus docuit; nam Stilico paulo poſt infelicitas periit. Honorii totiusque orbis & urbis Romanæ fortuna tum quoque peſſima fuit; Germanis omnia vincentibus.

An. DLXXI. de mulcta fœneratorum ſupra faſtigium quadrigæ inauratæ; multaque ejusmodi ſcuta dicata.

Alias *Quadrigæ aureæ* aliàs *victoriæ aureæ* à Livio memorantur.

Dona Augusti in Capitolium.

Auguſtus *una donatione in cellam Jovis Capitolini contulit ſedecim millia pondo auri, & quingenties HS in gemmis.* Suetonius apud Lipſium. Prior Summa facit ſecundum Lipſium ſedecies centena millia Philippæorum ſive *milliones plus quam tres.* Altera Summa facit mille ducenta quinquaginta millia Philippæorum ſive *milliones plusquam duos.* Satis magna ſtipes. *SEX CIRCITER MILLIONUM* una donatione uni templo illata. *In ſacris quid facit aurum?* Quid dicit Politicus homuncio Puffendorffius politico Auguſto? Chriſtianus Ethnico? Adde deinde dona eodem tempore ab eodem Auguſto data etiam in *alias duas Capitolii cellas,* quod Dio refert. Adde dona in alia plura templa collata? Stultus erat Auguſtus, ſi ſanus eſt novus politicus.

Statuæ Capitolii.

Statuam auratam nec in urbe nec in ulla parte Italiæ quisquam prius aſpexit, quam à M. Acilio Glabrione equeſtri patri poneretur in æde pietatis. An. V. C. 572. Valerius Max. Lib. II. Cap. V.

Deinde

Deinde autem percrebuere ex auro argentoque ſolido ſtatuæ locis ſacris ponendæ maxime ex voto. Et Auguſtorum temporibus ridiculo eſt, quam pronus fuerit Senatus ad ſtatuas, templa, ludos aliosque divinos honores vovendos & conſecrandos partim ipſis imperatoribus tanquam divis; partim pro ipſorum ſalute; nonnunquam etiam pro patratis ipſorum teterrimis criminibus, ut pro parricidio, quo Nero matrem ſuſtulit ſuam.

Poppæam adulterio cum ſibi junxiſſet Cæſar idem, eaque uterum jam ferret, *Senatus uterum Poppeæ commendaverat diis, VOTAQUE publice ſuſceperat; quæ MULTIPLICATA exſolutaque. Et additæ ſupplicationes, templumque fœcunditati, & certamen ad exemplar Atticæ religionis decretum: utique FORTUNArum EFFIGIES AUREÆ in ſolio Capitolini Jovis collocarentur: Ludicrum Circenſe &c. quæ fluxa fuere, quartum intra menſem defuncta infante.* Tacitus Annal. Lib. XV. cap. 23.

Ita Piſone præſtantiſſimo viro ad necem adacto, in Senatu actum eſt de *ſigno aureo in æde Martis Ultoris* ponendo, deque *ara Ultioni* ſtatuenda, niſi ipſe Tiberius invidiam metuens prohibuiſſet, cauſſatus, *ob externas ea victorias ſacrari.* Tacit. Annal. III. cap. 18. adde Lib. XV. cap. 74.

Occiſâ à Nerone Agrippina matre *miro certamine procerum decernuntur ſupplicationes apud omnia pulvinaria, utque Quinquatrus ludis annuis celebrarentur;*

aureum Minervæ ſimulacrum in curia, & juxta principis imago ſtatueretur: dies natalis Agrippinæ inter nefaſtos eſſet. Tacit. Lib. XIV. Annal. cap. 12.

Quin & *Thraſeæ* Pæto, quem virum ab adulatione alienum perdere ſtatuerat Nero, objectatum pro crimine majeſtatis fuit, nunquam pro ſalute principis aut pro voce cœleſti (qua Nero in ſcenis cantitabat) immolaviſſe: Poppæam divam non crediaiſſe: Religiones ſpernere: Tacitus XVI. Annal. cap. 22.

Rurſum ubi Tiberius Druſum & Agrippinam oppreſſit; à Senatu *actæ ob id grates* (diis) *decretumque, ut quinto decimo Calendas Novembris utriusque necis die per omens annos donum Jovi ſacraretur.* Tacitus VI. Annal. cap. 25. qui narrata Octaviæ uxoris cæde à Nerone imperata rurſus ſubdit ſemel dicens: *Dona ob hæc templis decreta. Quod ad eum finem memoravimus, ut quicunque caſus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus noſcent, præſumptum habeant, QUOTIES FUGAS & cædes juſſit Princeps, TOTIES GRATES Deis actas, quæque rerum ſecundarum olim, tum publicæ cladis inſigna fuiſſe.* Lib. XIV. Annal. fin. In publicis his probris non religio, non templorum divitiæ cumulatæ, non aucta ſacerdotia nocuerunt reipublicæ, ſed principum illorum immanitas & immanitati ſerviens adulatio.

Equidem Neroni cum offerrentur ſtatuæ ipſi ponendæ, prohibuit *ex argento vel auro SOLIDAS* fieri. Sed *ſolidas* tantum prohibuit; & *ſibi* tantum, non diis. Et alii hoc non ſervarunt. Domitianus non permiſit, alias ſibi in Capitolio ſtatuas poni, niſi *AUREAS* &

CEN-

CENTUM PONDO, Lipſ. Mag, Rom. L. III. c. 9. Commodi ſtatua *mille librarum* fuit, Claudii *mille quingentarum* &c.

Plinius etiam in Panegyrico affatur Trajanum: *Itaque tuam ſtatuam in veſtibulo Jovis O. M. unam alteramve, & hanc aream cernimus; & paullo ante ADITUS OMNES, OMNES GRADUS, TOTAQUE AREA HINC AURO HINC ARGENTO RELUCEBAT, ſeu potius polluebatur*, *cum inceſti principis ſtatuis permixta deorum ſimulacra ſorderent.*

Ceterum indubitatum eſt, ſtatuas, ſigna, aliaque dona aurea argenteaque in templis cumulata fuiſſe non Romæ tantum ſed per reliquam Italiam & in coloniis. Cum in Vitellianis ſeditionibus Antonii miles Cremonam coloniam Galliam diriperet, *dum pecuniam vel gravia auro templorum dona ſibi quisque trahunt, majore aliorum vi truncabantur.* Tacitus Hiſtoriarum Lib. III. cap. 33. Eadem autem etiam paſſim alibi occurrunt. Dona templorum reliquæ Italiæ

Nero poſt incenſam urbem ut populi in ſe rumores diverteret, adjecit animum ad auream ſuam domum ædificandam, idque ipſum facit ex ſpoliis quæ ſuperaverant urbi & aliis: ſic de ea re Tacitus Lib. XV. Annalium cap. 45. *Interea conferendis pecuniis devaſtata Italia, provinciæ everſæ. - - - Inque eam prædam etiam dii ceſſere, ſpoliatis in urbe templis, egeſtoque auro, quod triumphis, quod votis omnis populi Romani ætas proſpere aut in metu ſacraverat.* Hic ego non tam anathemata auri facti intelligo, quorum plurima forte incendium jam conflaverat, 327. Aurum triumphale in Capitolio

ſed

ſed aurum in templi cujusque theſauro ſive ærario ſollicitius reconditum, ſive illud ſignatum eſſet ſive rude & in tegulis.

Vota conſulum magna. Immenſam vero hujus auri *vim* fuiſſe intelliget, qui bella innumera hujus populi animo intuetur. In omnem enim expeditionem profecti duces vota diis fecere. Ex omni triumpho & præda diis perlata ampliſſima dona. Adde deinde neceſſitates alias publicas. Adde privatorum vota & largitiones.

Petronium in hunc locum adducit Lipſius; qui dicat: *Ipſe Senatus recti bonique præceptor MILLE PONDO AURI Capitolio promittere SOLET*, in rebus nimirum trepidis. Nec decuit Senatum orbis opulentiſſimum jejuna donatio. Computa jam decem, viginti aut plures id genus donationes influxiſſe in theſaurum Jovis. de Auguſti donis ſuprà.

328. Aurum coronarium. Triumphis autem illatum in templa aurum, quod ſupra nobis dixerat Tacitus à Nerone raptum, ſcriptorum veterum gnari intelligunt tum de *decimis ex præda*, de qua ſuprà exemplum retulimus; & de coronis triumphantium deque AURO CORONARIO. Nam victis populis præter ereptas prædas imponebatur tributum quoddam, tanquam pro vita redimenda, aut etiam à populi triumphantis amicis illi offerebatur in coronam. Coronam autem triumphator duplicem habebat, unam in capite bracteis levioribus auri ad ſpeciem laureæ conſertis

ſertis, aliam graviorem quam pone adſtans lictor gerebat manibus. Cumque triumpho ventum eſſet in Capitolium, *Corona in gremium Jovis* deponebatur. Aliquando coronæ etiam in aliis templis ſuſpendebantur anathematum more. Nam coronam denique non unam ſed multas & ultra centum ac ducentas quidem prægeſtari faciebant. Videatur Roſinus Antiquitatum Romanar. Lib. X. Cap. XXIX. Lipſius magnitudinis Romanæ Lib. II. Cap. IX.

VOTIS illatum templis aurum dicebat ſuprà Tacitus. Adduco quædam exempli cauſa: Bello in Antiochum decreto votum in hæc verba, præeunte P. Licinio Pontifice Max. Conſul nuncupavit: *Si duellum quod cum Antiocho rege ſumi populus juſſit, id ex ſententiâ Senatus populique Romani confectum erit, tum tibi Jupiter populus Romanus ludos magnos dies decem continuos faciet, DONAQUE AD OMNIA PULVINARIA* (Deorum in templis ſtratos lectos) *dabuntur DE PECUNIA, quantam ſenatus decreverit.* Livius Lib. XXXVI.

Neque in urbe tantum aut Italia dona votiva ſunt facta, ſed foras etiam ad loca religione celebria ſunt miſſa. De Delphos miſſis aliquot jam ſupra meminimus. Duo tantum alia exempla ex Valerio, quia brevis is eſt, refero Lib. I. Cap. I. *Romani Gracchano tumultu moniti Sibyllinis libris, ut vetuſtiſſimam Cererem placarent, Ennam* (in Sicilia) *decem viros ad eam propitiandam miſerunt. Item matri Deûm SÆPE NUMERO. Im-*

329. Dona votiva etiam foras miſſa.

Delphos,

in Siciliam

Peſſinuntem, *peratores noſtri compotes victoriarum ſuſcepta vota PESSINUNTEM PROFECTI ſolverunt.*

ad Actium Auguſtus imperator adverſus Antonium mari victor, *quo Actiacæ victoriæ memoria celebratior impoſterum eſſet, urbem Nicopolim apud Actium condidit: ludosque illic quingennales conſtituit: ut ampliato vetere Apollinis templo locum caſtrorum, quibus fuerat uſus, exornatum navalibus ſpoliis, Neptuno ac Marti conſecravit*: Suetonius in Auguſto. *Apollini triremem, quadriremem, ac alia navium genera uſque ad deciremem ex captis navibus conſecravit, templum majus exſtruxit.* Dio Lib. LI.

330. Decimæ Herculi. In privatis *MULTI divites DECIMAS OMNIUM BONORUM SUORUM Herculi conſecrare SOLEBANT* apud Romanos, ut habet Plutarchus, ejus *rei* cauſam inquirens in Quæſtionibus Romanis. Neque hoc putes nihil eſſe. Nam exempli gratia: Craſſi *cenſus POST DECIMAS HERCULI DATAS & epulum frumentumque plebi non fuit niſi ſeptem millium & centum talentorum*, ut habet Plutarchus in Craſſo, hoc eſt circiter *decem millionum* proventus, idque maxime ex agris. decima ergo unum millionem valuit. Et ex hoc loco merito ſuſpicere, decimas illas non ſemel ſed in annos datas fuiſſe. Lege præterea Lipſium Magnitud. Rom. Lib. II. Cap. XV. & mirare.

Nec falſus fortaſſe ero ſi dicam privatorum votis ac donariis prope non minus in ſacra ac vota impenſum fuiſſe quam magnificentia publica. Hæc quidem publica magnis

magnis gurgitibus affluebat, ſed raris; at illa privata ſtillicidii inſtar perpetuo cadentis complebat lacum. Partus enim mulierum, morbi amicorum, ſponſalia vota, feralium omnium averruncatio, inſtans periculum, ſalus recuperata, agrorum, vinearum, animantium ſtatus vel bonus vel anceps gentem hanc uſque ad ſuperſtitionem religioſam ad perpetua munera atque ſacrificia animavit.

Sacrificiis ipſis non leves ſæpe impenſi ſumptus. Exempli cauſa, Bello Punico ſecundo, authore Q. Fabio Maximo Dictatore, placandæ deûm iræ & victoriæ de Carthaginenſibus impetrandæ gratiâ ex libris Sibyllinis voti ſunt ludi magni æris CCCXXXIII. millibus triente, præterea *bobus Jovis trecentis, multis aliis Divis bobus albis atque ceteris hoſtiis*. Liv, Lib. XXII. 331. Sumptus ſacrificiorum.

LUDI omnes cum ſacrificiis incepti, producti, finiti, ſacri ac Deorum religione inſtituti fuerunt. Decennalibus ludis Gallieni proceſſerunt *altrinſecus centeni albi boves*, cornibus auro jugatis, & dorſualibus ſericis diſcoloribus præfulgentes; *Agnæ candentes ab utraque parte ducentæ* &c. 332. *Ludi* pars religionis Romanæ.

Et quoniam ad *LUDOS* jam pervenit oratio, peragendum hoc eſt, ut hinc quoque ineas rationem ſumptuum in ſacra ac religionis nomine factorum apud Romanos. Quamquam fatendum eſt, ea pleraque in luxum, vanitatem, luxuriam, crudelitatem atque flagitia degeneraſſe. Sed quid tum? nunquid non etiam aliæ ex falſis religiones infandis iſtis impletæ ſunt, ut humanis victimis?

Nos hic non id agimus ut quid in religione verum ſit atque ſanctum exquiramus; ſed quis fuerit ſenſus populorum politicus de ſumptu in religionem impenſo, ſeu impenderint illum in veram ſeu in falſam, quam exiſtimarent veram. In religionem quam falſam ipſe exiſtimes impendere vel teruncium non tantum improbum eſt, ſed & ſtultum & noxium reipublicæ; quia ſic aperitur porta impendendis omnibus ad malum. At vero impendere facultates in religiones quæ publice habentur bonæ ac ſanctæ, imprimis poteſt eſſe honeſtum ubi meliora ſine culpa ignoras; ſemper autem eſt publice utile. Quid enim utilius publico quam honeſtas, & in honeſtatem impenſæ?

333. Theatra Diis dicata.

Ludos partem fuiſſe ſacrorum Romanorum res eſt certa. Varro cum de rebus divinis libros quinque componeret, unum de *ludis*, ut de re divina fecit. *Paul. Manutius* de Legibus.

Nihil jam dico de ſubſtructionibus ſumptuoſiſſimis ludorum cauſa factis, de *Circo*, de *Amphitheatris*, in quibus tyrannorum poſteriorum luxuria decoxit, ita ut ſolum minio & chryſocolla ſterni Caligula, auri atque argenti ſcobe conſpergi Heliogabalus faceret, dolens quod non poſſet etiam electri: ut habent Suetonius & Lampridius. Pompejus magnus cum illam arcem omnium turpitudinum, theatrum inquam, exſtruxiſſet, veritus quandoque memoriæ ſuæ cenſoriam animadverſionem, Veneris ædem ſuperpoſuit, & ad dedicationem edicto popu-

populum vocans, non theatrum ſed Veneris templum nuncupavit. Ita præpoſteram religionem Romanis exprobrat *Tertullianus* libro de ſpectaculis cap. X. Eamque ob cauſam D. Chryſoſtomus aliique ſanctæ chriſtianæ religionis antiſtites tam gravi oratione animadverterunt in Chriſtianos, qui ſpectaculis ubicunque demum adeſſent, quod ea præſentia videretur aliqua ſuperſtitionis profeſſio.

Triplices erant Ludi, quantum ad noſtra attinet. 334. Ludorum varietas.
Primo *SACRI*, diis certis deſtinati, tales erant

Megalenſes,	*Romani*
Careales,	*Plebeji*
Florales,	*Conſuales*
Martiales,	*Compitalitii*
Apollinares,	*Seculares*
Capitolini	

2*do* *VOTIVI* habiti ex voto vel pro victoriis, bona valetudine, triumphales.

3*ò* *FUNEBRES* ludi, ſive *munera.*

De his ludis quædam annotare non erit abs re. 335 Ludorum leges aliquæ.
Primo multi horum non eodem die abſolvebantur, ſed in quinos, ſenos, denoſque adeo dies producebantur.

Deinde pauperi plebi per hos ludos ſubveniebatur cicere, aliaque plebeja annona diſtributa.

Tertio ne ſacra polluerentur, ſaltem ſtante adhuc republica, leges in hos ludos ſumptuariæ aliquæ latæ ſunt, quales nullæ fere aliæ in ſumptibus religioſis. Videbant enim Patres, ludorum quidem eſſe religionem, ſed convivia tamen hæc religioſa pronam ad luxum & intemperantiam viam ſternere. Quemadmodum in prima eccleſia Chriſtianorum vere ſancta Agapæ ſive convivia celebrabantur in ipſis locis ſacris: cumque Apoſtolici viri nullis aliis ſumptibus ſacris, his tamen Agapis modum poſuere, quod convivia utut ſancta declinarent tamen facile ad quiddam non ſanctum. Agellius Lib. II. cap. 24. recitat Senatus conſultum editum C. *Fannio* & *M. Val. Meſſala* Coſſ. quo jubentur principes civitatis, qui ludis Megalenſibus mutua inter ſe convivia agerent, jurare apud Conſules, non amplius in ſingulas cœnas ſumptus eſſe facturos quam *centenos vicenosque æris*, præter olus, & far, & vinum; neque vino alienigena ſed patrio uſuros, neque argenti in convivio plus pondo quam libras centum illaturos.

Ludis præerant ſacerdotes

Quarto ludis omnibus præerant ſacerdotum collegia: edebantur autem, ſive ſumptu inſtruebantur ab aliis, ut ædilibus plebejis aut curulibus, Dictatore &c.

336. Auguſtales ludi.

Acceſſere his ludis alii, ut *Auguſtales* in cultum Auguſti aliorumque imperatorum tanquam Deorum inſtituti Romæ & in provinciis.

Quinquennales &c.

Quinquennales, *Decennales*, *Vicennales* ludi paſſim agebantur ad celebranda imperatorum initia, quinquennia imperii &c.

Secu-

Seculares ludi ſingulis hominum ætatibus exhibiti. Seculares.

337. Sumptus antiquus ludorum tenuior.

Quò de ſumptu aliquid conjicias vetere, lege hunc Livii locum Lib. V. Invento certo carmine cenſuerunt Patres, Apollini ludos vovendos: *Duodecim millia æris* prætori ad rem divinam, & duas hoſtias majores dandas: et ut decemviri ſacra ritu Græco facerent hiſque hoſtiis, Apollini bove aurato, & capris duabus albis auratis; Latonæ bove fœmina aurata. Ludos prætor cum facturus eſſet, edixit, ut populus per eos ludos ſtipem Apollini quantam commodum eſſet, conferret. Populus eos coronatus ſpectavit; matronæ ſupplicavere; vulgoque apertis januis in propatulo epulati ſunt, celeberque dies omni cerimoniarum genere fuit. Sed hæc ex antiqua ſimplicitate, & pauperes fecere.

Auguſti impenſæ in ludos.

Solus Auguſtus ludos edidit ſuo nomine, *quater & vicies:* nomine magiſtratuum abſentium aut qui ſumptui non ſufficerent, *vicies ter:* junctis numeris amplius *quadragies.* Lipſius exiſtimat, nullum horum ludorum ſtetiſſe infra millies HS aut quingenties HS. At *millies ſeſtertium* eſt Summa 2500,000. Philippæorum, ſive circiter *ſex millionum florenorum* ut quidam prodit; ut vero de pecunia Romanorum tradit idem Lipſius, millies ſeſtertium ſunt 2500000 coronati. Accipiamus in ſingulos ludos Summam minimam, hoc eſt, *duos milliones florenorum:* igitur Auguſtus ſolus in ſuos quadraginta ludos à ſe ſolo editos impendit *OCTOGINTA MILLIONES* *flore-*

florenorum: abſque eo quod alii paſſim expenderunt in ludos à ſe habitos tempore etiam Auguſti. Lege Lipſium & obſtupeſce. Gordianus Cæſ. in omnibus civitatibus Campaniæ, Etruriæ, Umbriæ, Flaminiæ, Piceni, de proprio per quatriduum ludos ſcenicos & Juvenalia edidit. Supputa civitates. Supputa ſumptus.

338. Ludi funebres. *LUDI FUNEBRES* cuivis privato permiſſi præcipue impii erant, magna gladiatorum ſtrage in iis facta. Quid autem intererat inter hos Romanos & illos Americanos, niſi quod Americani homines diis mactabant vinctos, Romani vero eosdem mortuis mactabant armatos aliorum itidem armatorum manu? Verum cum in inſanis his ludis multi profuſis omnibus ad inopiam deducerentur, jam ſub Tiberio Senatus conſulto cautum fuit, ne cui edere liceret, qui minus quadringentis millibus in cenſu haberet.

339. Secerdotum Romæ numerus. De *SACERDOTIBUS ROMANORUM* reſtat duo breviter exigere. Sacerdotum *numerum*: deinde eorum honorem ac *poteſtatem*.

De numero P. Joſephus Cantel in commentario antiquitatum Romanarum, quem præmiſit Valerio Maximo in uſum Delphini à ſe illuſtrato, ſic in univerſum habet: *Sacerdotum apud Romanos infinita prope fuit & multitudo & varietas, quorum plane diverſa erant tum nomina, tum munera.*

Vera eum dixiſſe deinceps conſtabit.

Romu-

Romulus initio inſtituit *SACERDOTES PUBLICOS SEXAGINTA* : Satis multos pro parvis initiis. Sacerdotes publici Romuli.

Numa ſucceſſor adjecit *Flaminem dialem*, *Martialem*, *Quirinalem*, *Virgines Veſtales quatuor*, *Salios Marti Gradivo duodecim*, *Pontificem maximum ex Patriciis* cui omnia ſacra tum publica, tum privata commiſit. Hæc Paulus Manutius libro de legibus Rom. Alii à Numa.

At tu cave exiſtimes, in his *octoginta capitibus* totam ſacerdotalem turbam eſſe comprehenſam. Non: ſed capita hi erant & principes, magnum alium ſacrorum miniſtrorum poſt ſe numerum trahentes: præter uxores & liberos & ſervos & ancillas.

Quid quod, ut Halicarnaſſæus docet Lib. II. præter iſtos ſexaginta ſacerdotes publicos etiam *Gentilitiis ſacrificiis* alii, haud dubie non pauci, præfuerint; ut fateatur hic ſcriptor Græcus, in nulla urbe recens condita oſtendi poſſe tot ſacerdotes & ſacrificos.

POTITIORUM & *PINARIORUM* nobiles duæ familiæ diu ante Romam ſacra Herculis ab ipſo Hercule edocta fuerant, eaque per multa ſecula obierant uſque ad annum fere Urb. Cond. CCCCLXI. iique victitabant ex ſacrificiis, potiore parte Potitiis cedente, miniſtrantibus Pinariis. Verum eo tempore Potitii, neſcio ſuperbia ducti an invidiâ, ſacra hæc obire ipſimet neglexerunt, conductosque ſervos ea obire docuerunt: ex quo factum eſt, ut tota Potitiorum gens, quæ tum *duodecim familiis* conſtabat, brevi tempore perierit, Ap-

pius etiam Cenſor, qui ejus rei Potitiis auctor fuerat, aliquot annos poſt luminibus captus fuerit. Halicarnaſſæus ſuo tempore illorum ſacrorum curam haberi dicit per ſervos publice (i. e. de pecunia publica) coëmptos.

Fratres Arvales *FRATRES ARVALES* ab ipſo Romulo inſtituti ad ſacrificia pro arvorum frugibus obeunda. Ejus Romuli nutrix Acca Laurentia quotannis pro arvis ſacrificare ſolebat, præcedentibus duodecim filiis ſuis. Uno horum mortuo lugentem nutricem ſolatus Romulus, ſeſe ipſi filium fore dixit, & fratres arvales perpetuavit. Utebantur ſpicea coronâ, honoremque hunc ne exules quidem amittebant. Ceterum ipſorum erat judicium de terminis agrorum motis. Roſinus Antiquit. Lib. III. Cap. VI.

340. Augures. *AUGURES* & ipſi præterea à Romulo inſtituti ſunt. Collegium autem eorum tum trium erat capitum. Deinde augures facti quatuor, *Patricii* omnes. Tum quinque de *Plebejis* familiis adjecti. Sulla Felix Dictator collegium auxit ad *denosquinos*. Augures ab augurum collegio adlegebantur. Ante converſionem reipublicæ populus in partem hanc admiſſus Domitii, Neronis atavi, invidiâ. Viguit augurum collegium Romæ usque ad Theodoſii Magni tempora. Augur etiam maximorum criminum convictus, ſacerdotio ſuo privari tamen non poterat. *Plutarchus* QQu. Roman. Ampliſſima erat augurum poteſtas. Quidquid ille fas nefasve diceret absque ulla dubitatione obtemperabatur, etiam ſi comitia populi Romani ſolvenda diceret, ſi Conſulem magiſtratu abire juberet. Vid. Cicero II. de legibus.

Præ-

Præter hos publicos ſequioribus temporibus erant *AUGURES PRIVATI*, quos imperatores pro ſe ac palatio conducebant. Roſin. Paralippom. Libri III. Cap. VIII. IX. Augures privati.

Primis reipublicæ temporibus ex prima nobilitate ſolebant in Hetruriam mitti duodecim juvenes præclariſſimi, ut divina & augurali ſcientia ac diſciplina rite inſtituerentur. Valerius Lib. I. cap. I.

Erant Auguribus præter familias ſuas etiam religioſi miniſtri. Hos inter erant *PULLARII*, qui pullos regebant è quorum ſeu comeſtione ſeu abſtinentia divinatio rei futuræ captabatur. Pullarii

HARUSPICES ſive *EXTISPICES* ab auguribus diverſi, ipſi quoque à Romulo inſtituti ſunt. Hi conſiderabant victimarum *exta*, hoc eſt jecur, cor, fel, pulmones, linguam, renes: item flammam: item fumum atque alia, & ex horum modo vario divinabant. Horum numerum non in urbe modo ſed foris etiam & in exercitibus oportuit eſſe ingentem; quippe tot inter ſuperſtitiones & victimas. Quid enim facerent pauci, quando in ſolo capitolio tanta victimarum vis immolabatur. Et hi tamen omnes uxoribus, liberis, familiaque haud facile carebant, unde eorum grex vel quintuplo major evaderet. 341. Haruſpices.

TRIBUNUS CELERUM etiam ipſe à Romulo acceperat quædam adminiſtranda ſacra. Roſin. Lib. III. cap. XII. Tribunus Celerum.

CURIONES triginta à Romulo quoque inſtituti: deinceps omnium curiarum ſuffragiis creabantur comitiis Curiones

 curia-

curiatis. Sacra; quæ pro ſingulis curiis celebrabant, *Curionia* dicebantur, *Curionium æs*, quod dabatur curioni ob ſacerdotium Curionatûs. Princeps horum *Curio maximus.* Roſin. Lib. III. cap. XIII. Neque hi carebant familiis, neque enim virginitatem voverant.

Sodales Titii. *SODALES TITII* Scriptoribus quidem nominati ſunt, ſed obſcura origine rebusque ipſorum ceteris.

342. Flamines *FLAMINES* dicti à filaminibus, quibus cincti capita ſemper incedebant, aut apicem geſtabant, hoc eſt pileum rotundum cum nodo ſuperne, è quo bacillus oleaginus extabat. *Singulis* diis Flamines deſerviebant. Tres majores à Numa inſtituti è patriciis: duodecim alii deinceps adjecti è plebejis: omnes creabantur à populo comitiis curiatis. Collegium non habebant ipſi. Judiciis tamen, quæ à Collegio *Pontificum* celebrabantur, etiam ipſi aſſidebant. Creati flamines inaugurabantur à Pontifice maximo. Poterat flamen ſacerdotio exui. Uxor dicebatur *Flaminica*, à qua divortium facere non licebat. Miniſtri dicebantur *Flaminii.*

Flamen Dialis. *FLAMEN DIALIS* ſive Jovis, omnium erat ſummo honore, multisque inſignibus, multis cerimoniis. Equo eum vehi religio erat: Sella curuli regia & lictore utebatur. Vinctum, ſi in ejus domum veniſſet, ſolvi neceſſum erat. Ad verbera quis ductus, ſi ad flaminis hujus pedes procubuiſſet, eo die verberari ipſum piaculum erat. Primæ illi in conviviis poſt regem ſacrificulum ſedes. Jurare non poterat cogi. Capax erat omnium magi-

magiſtratuum etiam conſulatûs: ſed is raro ei defereba-tur cum propter cerimonias, tum præcipue quod ei extra urbem eſſe non liceret, ne unquam deeſſet Deo ſacer-dos.

Præter ſupradictos multi fuere *FLAMINES AU-GUSTALES* publice conſtituti ad divinos honores & ſacrificia curanda imperatoribus & imperatricibus, eorum filiis, ſororibus apotheoſi conſecratis. Quoniam vero *omnes* imperatores deinde Dii declararentur omnibusque *Flamines* conſtituerentur in urbe & in multis provinciis, hinc conficias licet, quantus is numerus fuerit. Flamines Auguſta-les.

Nec Flamines modo ſed & *SODALES* hoc eſt alii ſacerdotes Cæſaribus ita conſecratis ſunt conſtituti, quod & in Tacito legas Annal. I. cap. 73. & Roſinus habet Lib. III. cap. XVIII. Sodales Auguſta-les.

VIRGINES VESTALES erant, quæ Veſtæ templo ignem perpetuum ab Ænea, ut ferunt, ex Troja allatum nutrirent, & *Palladium* in eo cuſtodirent nemini alteri viſendum. Primo à Numa quatuor ſunt inſtitutæ, Tum à Tarquinio priſco *propter Sacrificiorum multitudi-nem* ad ſenarium numerum auctæ. Ad triginta annos à ſeptimo ætatis oportebat eos in æde Veſtæ in contuber-nio habitare, quod interdiu omnibus pervium, noctu in-acceſſum viris. Poſt illos annos licebat nubere. Et fece-runt paucæ, ſed malo eventu. Hinc aliæ abſtinuerunt. Maximi illis honores ab omnibus habiti. Illis præcipue utebantur ad intercedendum apud principes & magiſtra- 343. Veſtales Virgines.

tus in re deſperata: Tacitus Hiſtor. Lib. IV. cap. 18. Apud eos teſtamenta deponebantur etiam à Principibus: Tacit. Annalium Lib. I. c. 8. *Claudia Veſtalis, cum patrem ſuum è curru triumphantem violenta tribuni plebis manu detrahi animadvertiſſet, mira celeritate utriſque ſe interponendo ampliſſimam poteſtatem* (tribunum) *inimicitiis accenſam depulit. Igitur alterum triumphum pater in Capitolium,, alterum filia in ædes Veſtæ duxit.* Valerius Maximus Lib. V. cap. IV. Veſtali virgini *magiſtratus faſces ſubmittunt, conſules prætoresque via cedunt.* Seneca L. VI. Controverſ. 8. Veſtalis ſtatim ut legebatur, erat emancipata à patria poteſtate, & teſtari poterat libere etiam ſexennis tantum. Siquis in carpento prodeunte Veſta ad ſupplicium ductus occurreret, liber à pœna erat. Singulæ Veſtales ſingulos habebant lictores, ne forte incognitæ à quoquam læderentur. Sed & ſi qua ſtupro vitiata eſſet viva ſepeliebatur in campo ſcelerato, tota interim urbe luctum induente.

Veſtaliū æditui conſulares

Veſtalibus autem miniſtros fuiſſe dubio vacat, virginibus nempe nobiliſſimis & honore ſummo. Invenio *ÆDITUOS*, ſed hi non tam miniſtri fuerint quam cuſtodes & templi curatores. Veſtæ ſacra arcana ſolis æedituis & virginibus cognita. Orto hic incendio, primo Punico bello, virginibus metu diffluentibus *æedituorum unus* L. Cæcilius Metellus *Vir conſularis*, is qui devictis Carthaginenſibus in celebri illo triumpho CXXX. elephantes traduxerat, irrupit in penetrale, ſacraque eripuit &c. Diony-

Dionyſius Halic. Lib. II. Nec levem eum honorem ſeu potius cultum religionemque exiſtimo, ut vir *conſularis* ac *triumphalis* eſſet Veſtalium æditutus; hoc eſt talis qui ſummum in Romano imperio apicem jamjam geſſerat.

Rurſus invenio *VESTAM* etiam in palatio, cui ſacrificaretur: an per viros? Kalendarium enim Romanum exſcriptum à Manutio refert etiam Roſinus Lib. IV. & in eo capite VII. ad *pridie Kalendas Majas* Sacrum fiebat *Veſtæ palatinæ*. De ea fortaſſe intelligi poteſt Virgilius Lib. I. Georgicorum fine; **Veſta palatina.**

Dii patrii indigetes, & Romule, Veſtaque mater,
Quæ Thuſcum Tiberim & Romana PALATIA *ſervas.*

Vide etiam Lipſium de Veſta.

344. *SALII* duodecim. Ex Patriciis elegit Numa, qui Marti ſacra in Palatio celebrarent. Caput apicibus ornabant & ipſi, cetera armati & *ancilia* ſeu ſacrata ſcuta ſaltu circumferentes. *Collegium* ipſorum erat, qui præerat *Magiſter* aut *Præſul* appellabatur. **Salii Martis.**

His *miniſtros* ſuos fuiſſe, minime anceps. *Savillius* nota ad Taciti Hiſtoriarum Lib. I. cap. 89.

Roſinus ex Sexto Pompejo etiam *VIRGINUM SALIARIUM* meminit; quæ conductitiæ erant.

FECIALES Collegium habebant. Ex præſtantiſſimis familiis lecti per omnem vitam ſacerdotio fungebantur. Tacitus Annalium Lib. III. cap. 58. & 71. Hi fœdera pangebant ſervarique faciebant. Bella indicabant miſſi **Feciales.**

à Se-

à Senatu populoque. Violatores fœderum cognita cauſa dedebant. Pacem illegitime factam irritam reddebant. Siquid imperatores contra jusjurandum peccaſſent, cognoſcebant, expiabant. Fecialibus prohibentibus neque militi fas erat neque regi Rom. arma movere. Ex Dionyſio & Plutarcho. Iſtorum maximus dicebatur *Pater Patratus.*

Salii Agonenſes. *SALII COLLINI* ſive Agonenſes XII. à rege Tullo Hoſtilio ex voto inſtituti.

Duumviri ſacrorum *DUUMVIRI ſacris faciundis* inſtituti à Tarquinio ſuperbo ad cuſtodiendos libros Sibyllinos, quos emerat. Additi duo miniſtri publici. Deinde facti *Decemviri*, denique *XV. viri*,

345. Rex ſacrorum. *REX SACRORUM* ſive *rex ſacrificulus* creatus poſt reges urbe exactos, ut eam partem ſacrorum ipſe perficeret quam alias reges Romani peregerant. Comitiis curiatis creabatur ſemper ex patriciis: magno honore, immunis militiæ. Ejus uxor appellabatur regina ſacrorum, & ipſa aliquot ſacris admota. Verum nullius magiſtratus capax erat rex ſacrificulus; ne imago quædam regiæ poteſtatis ejectæ in eo reluceret: aut, quod Valerius notat: ne alibi Romani regem paterentur, quam ſolum Deorum ac religionis cauſa.

Galli ſacerdotes. *GALLI ſacerdotes* Cybeles ſive matris Deum, quorum caput *Archigallus.* Hos in urbe *multos* fuiſſe patet: plerumque enim *linigera turba* dicebatur: linea quippe veſte induti. Cum Vitellinus miles ſeditioſus Capitolium

tolium oppugnaret & incenderet, Domitianus prima irruptione apud æditüum occultatus ſolertiâ liberti lineo amictu *turbæ Sacricolarum* immixtus ignoratusque delituit. Tacitus Hiſtoriar. Lib. III. cap. 74.

DECEMVIRI EPULONUM. Pontifices veteres *propter ſacrificiorum multitudinem* tres viros *epulones* eſſe voluerunt Cicer. Lib. III. de Orat. Inde facti *Septemviri.* à Cæſare demum *Decemviri.* Hi erant curatores ludorum, præcentionum, curriculorum, epularum ludis publicis. Haud dubie cum multis miniſtris in ludis tam celebribus, quorum aliqui diebus noctibusque continuabantur. Decemviri Epulonum.

SACERDOTES BELLONARII ſive Bellonæ Deæ. De quibus in paralipomenis Roſini Lib. IV. cap. X. Bellonarii.

SACERDOTES PUBLICI NOVI recentius inſtituti ſingularibus deitatibus permulti fuerunt variis nominibus, quos ex auctoribus partim conquiſivit Panvinus Lib. II. de Repub. Rom. Sacerdotes novi

Adhæc Catone majore cenſore *SODALITATES conſtitutæ ſunt ſacris Idæis Magnæ matris acceptis.* Cicero de Senectute cap. 13. Quod & in honorem aliorum Deorum factum crediderim, præſertim cum ad cultum divorum imperatorum ſodalitates eſſent, per ſingulas domos ſacra facientes. Tacit. I. Annal. 73. & ibi Lipſius.

MINISTRI SACERDOTUM publice inſtituti fuerunt *CAMILLI* & *CAMILLÆ* pueri & virgines pulcerrimæ. 346. Camilli.

Flaminii — *FLAMINII* & *FLAMINIÆ*, ſubminiſtrantes Flamini Diali & Flaminicæ diali.

Ædituí — *ÆDITUI* Curatores aut Inſpectores ædis ſacræ.

TIBICINUM Collegium admodum ſpectabile fuiſſe ex hiſtoriis liquet. Vid. Valerius Max. Lib. II. cap. V.

Scribæ — *SCRIBÆ* Pontificium *A COMMENTARIIS* Quindecimvirum ſacris faciundis.

Adjutores — *ADJUTORES* Haruſpicum.

Kalatores — *KALATORES.*

Popæ — *POPÆ* qui hoſtias ad victimas ligabant laureati, nudi usque ad ilia.

Victimarii — *VICTIMARII* cultros parabant, ignes fovebant, molam miniſtrabant.

Præciæ — *PRÆCIÆ* erant præcones, qui flaminibus per orbem procedentibus præibant & proclamabant, uti opifices, dum flamen tranſiſſet, à laboribus abſtinerent: polluebantur enim ſacra, ſiquod opus flamen fieri vidiſſet.

Lictores — *LICTORES* quoque præibant tum Veſtas tum flamines, ut è via ſubmoverent &c.

Præficæ — *PRÆFICÆ* mulieres, quæ carminibus plangebant ante mortuorum domos, & in funere. Oportuit has eſſe Romæ tantum non pauco numero.

Deſignatores — *DESIGNATORES* ordinabant exequias ordinemque incedendi demonſtrabant.

Veſpillones — *VESPILLONUM* officium notius eſt, quam ut verbum ſit addendum.

Claudam

Claudam ſacerdotum ordinem capite impoſito, paucaque de *PONTIFICIBUS* dicam. 347.

Pontifex Maximus.

Numa quatuor inſtituit ex patriciis. Tum quatuor ex plebejis familiis ſed conſularibus & illuſtribus additi. Sulla fecit eſſe Pontifices *quindecim.*

Collegium habebant. Cui præerat *PONTIFEX MAXIMUS.*

ejusque poteſtas.

Dignitas Pontificum ampliſſima. De omnibus cauſis ad ſacra pertinentibus judicabant tam inter magiſtratus ſacrificos, quam inter privatos homines. Novas leges de ſacris arbitratu ſuo condebant ſicubi deſtituebantur ſcriptis legibus. Examinabant ipſi omnes cerimonias & ſacra & ſacerdotes miniſtros. Profanis omnibus de religione reſpondebant, præſcripta ſua contemnentes aut negligentes mulcta afficiebant. Ipſi nullius poteſtati ſunt obnoxii, nec tenentur ad reddendam rationem vel Senatui vel populo. In defuncti locum ſurrogatur alius non populi ſuffragiis, ſed qui collegio maxime videatur idoneus ex omni numero. Ita *Dionyſius* Halicarnaſſæus Lib. II. Cicero oratione pro Domo, ubi ait etiam : *Cum multa divinitus* (o Pontifices) *à majoribus noſtris inventa atque inſtituta ſunt, tum nihil præclarius, quam quod vos eosdem & religionibus Deorum immortalium, & SUMMÆ REIPUBLICÆ præeſſe voluerunt.*

PONTIFEX MAXIMUS ſumma erat auctoritate. Hujus unius dicto audientes erant ſacerdotes, cives, magiſtratusque omnes quidquid accideret, quod ſacra & religiones contingeret.

Innumera ſunt ejus poteſtatis exempla. Livius Lib. XXXVII. de Fabio Pictore ſic: Priusquam in provincias Prætores irent, certamen inter P. Licinium Pontificem maximum fuit & Q. Fabium Pictorem Flaminem Quirinalem, quale patrum memoria inter Q. Metellum & Poſthumium Acbinum fuerat. *Conſulem* illum (Poſthumium) cum C. Lutatio collega in Siciliam ad claſſem proficiſcentem ad ſacra retinuerat Metellus Pontifex Maximus: Prætorem hunc (Fabium Pictorem) ne in Sardiniam proficiſceretur P. Licinius retinuit. Et in Senatu & ad populum magnis contentionibus certatum eſt, & imperia inhibita ultro citroque, & pignora capta, & mulctæ dictæ, & Tribuni appellati, & provocatum ad populum eſt. Religio ad extremum vicit, & dicto audiens eſſe Flamen Pontifici juſſus. Hæc ille.

Numa itaque Pontifici ſacra omnia attribuit, quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fierent, atque *unde in eos ſumptus pecunia erogaretur*. Cetera quoque omnia publica, privataque ſacra Pontificis ſcitis ſubjecit, ut eſſet, quo conſultum plebs veniret, nequid divini juris, negligendo patrios ritus, *peregrinoſque* addiſcendo, turbaretur. Livius Lib. I.

Sacerdotes immunes militiæ &c.

Sacerdotibus militiæ vacatio erat: non quod ab ea excluderentur, ſi vellent hac quoque parte clariores fieri; ſed quod ſi minus ire ad militiam vellent, cogi non poſſent, excepto *Gallico* forte tumultu. Galli enim eodem apud veteres Romanos loco habebantur, quo apud nos Turcæ

Turcæ ac Tartari. Vid. Roſinus Lib. VIII. cap. I. Paul. Manutius de Legibus cap. II. fin.

Sacerdotes immolantes coronam geſtabant. Lipſ. excurſ. ad Taciti Annal. I. c. X.

Pontifici etiam jus fuit *Comitia curiata convocandi.* Roſin. Lib. VI. cap. IV. Jus comitiorum.

Arrogatio liberorum apud Pontificem fiebat, qui de cauſa cognoſcebat, jusjurandum ſuſcipiebat &c. Gellius Lib. V. cap. 19. Roſinus L. VI. cap. VII. Apud Pontifices teſtamenta deponebantur &c. &c.

Pontifex nunquam in privatis ædibus habitavit, ſed in publico. Unde Auguſtus Pontifex factus, cum ædes ſuas in palatio recens exſtructas ægre defereret, eas *publicavit.* Vid. Lipſ. de Veſta cap. IV. Pontificum autem domus vocabatur *Regia.*

Non igitur abs re Cicero Sacerdotum & Pontificum collegia dixit *POTENTISSIMORUM HOMINUM COLLEGIA.* in fragm. Orat. pro C. Cornelio apud Manutium de Legibus cap. II. Et ii, qui libertate populo ſenatuique adempta poſtea regnarunt imperatores, hoc ipſo etiam Pontificatum maximum rebus ſuis firmandis acceperunt.

Addam huic de ſacerdotio Romanorum commentatiunculæ illud ſolum, Romanos omnia prorſus vitæ negotia à religione cæpiſſe, cum religione produxiſſe, cumque hac finiiſſe. Non cœnabant niſi præſentibus in menſa Diis, non potui indulgebant niſi prius Diis hoſpi- 348.

talibus libatô. *Apud antiquos*, inquit Valerius Maximus Lib. II. cap. I. *non ſolum publice ſed etiam privatim nihil gerebatur, niſi auſpicio prius ſumpto; quo ex more nuptiis etiamnum auſpices interponuntur.*

Quod ipſum etiam ad ſacerdotum & auſpicum opes non parum attulit ponderis. Neque enim exiſtimes operam his ſuam non multo honore donisque fuiſſe compenſatam. Atque ut ſemel de eorum ſtipendiis aliquid dicam, utar loco Lipſii libello de Veſta cap. XII. „ Ad„ do, inquit ille, præter ornamenta aut inſignia res & „ fructus etiam acceſſiſſe, id eſt, ſtipendia & opes. Li„ vius de ipſo Numa: *His* (Veſtalibus) *ſtipendium de* „ *publico ſtatuit* - - - & credo agros à Numa attribu„ tos, quorum vectigalibus alerentur - - - - Hyginus „ de limitibus: *Virginum quoque Veſtalium & ſacerdo*„ *tum quidam agri vectigalibus ſunt redditi locatim.* „ Sed & Auguſtus adjecit, de quo univerſe Suetonius: „ *Sacerdotum & dignitatem & commoda auxit, præci*„ *pue Veſtalium Virginum* (peſſimus politicus fuerit Au„ guſtus neceſſe eſt) Aliquid in Catalogo Coloniarum, „ quem ſcriptum vidi: *Lanuvium muro cinctum; colonia* „ *ducta à divo Julio: Ager ejus limitibus Auguſtæis pro* „ *parte eſt adſignatus militibus veteranis, & pro parte* „ *Veſtalium, lege Auguſtiana fuit.* Imo & alios agros „ habuerunt à privatis pietatis ergo (ut hodieque ſolet) „ legatos: quos omnes fiſcus eripuit ſub Valente & Theo„ doſio principibus, invidioſâ & diſertâ ſane Sym-

„ machi

„ machi querela: *Agros etiam*, inquit, *virginibus & „ miniſtris deficientium* (hoc eſt morientium) *voluntate „ legatos fiſcus retentat.* Plura addit atque arguit: & „ Ambroſius noſter contra obducit: *Sola ſublata ſunt „ prædia, quia non religioſe utebantur iis, quæ reli- „ gionis jure defenderent.* Sed præter agros video & „ pecuniam interdum cepiſſe. Tacitus de Tiberio III. „ Annal. *Corneliæ Virgini, quæ in locum Scantiæ capie- „ batur, HS vicies dedit:* quæ ſunt nobis quinquagin- „ ta Philippæorum millia. Hem uni virgini? Sic fuit; „ nec immerito objicit iis Ambroſius *Privilegia maxima, „ LUCRA INGENTIA.* „ Theodoſius autem detraxit opes, ut gentilitas ceſſaret. Adde Lipſium cap. XIV.

Poſtquam creſcente re publica multis vicinis populis devictis jus civitatis communicaretur, deſcribebantur illi quidem in tribus, & cives Romani erant. Quamdiu autem *extra urbem* viverent, in *curias* non referebantur, ſed ſua ſacra patria retinebant. Qui autem ex coloniis vel mancipiis vel etiam provinciis Romam in urbem migrabant, ii cum in curias deſcriberentur, *patria ſua ſacra relinquere* cogebantur, & ea ſacra recipere, quæ ejus curiæ, in quam deſcribebantur, propria eſſent. Illi ergo, quibus in urbe domicilium erat, jus ſuffragii comitiis curiatis habebant; ſed non niſi ſacris abjuratis, quæ Romana non eſſent. *Civem* tribulem fieri idem erat, ac *religionem Romanam*, ejusdemque tribûs profiteri. Vide de Turcis ſupra Num. 231. 349. Civem eſſe erat religionem profiteri.

JUS

350. Jus civile apud Pontifices.

JUS CIVILE per multa ſecula inter ſacra ceremoniaſque Deorum abditum ſoliſque Pontificibus notum Cn. Flavius Libertino patre genitus & ſcriba cum ingenti nobilitatis indignatione factus ædilis curulis, vulgavit, ac faſtos pene toto foro expoſuit. Valer. Max. Lib. II. cap. V. ſub an. V. C. 449. tota nobilitate velut funus publicum luctu publico poſitis annulis aliiſque funeralibus ſignis proſequente.

351. Romani an aliquid politicæ intellexerint?

Jam ex politico ego quæro: fuerintne Romani aliqua ſaltem tenui politica prudentia præditi? præcipue illi Romani veteres, qui rempublicam conſtituerunt, quique eam deinde in notas omnes orbis terrarum partes extenderunt? qui leges ſuas non tantum impoſuerunt victis, ſed nobis Germanis victoribus etiam perſuaſerunt, quibus hodieque utimur? Neſcio quo loco cerebrum politicus gerat, ſi his politicam prudentiam deneget.

iidem tamen ſenſerunt opes ſacras non nocere reip.

Enimvero nemo fuit Romanorum, præſertim cujus aliquæ eſſent in re publica partes, nemo inquam eorum fuit, qui infinitas has opes atque honores in ſacra qualiacunque impenſas detrimenta reipublicæ diceret eſſe: uſque ad ſatyricum ævo Domitiani Cæſaris poëtam & paraſitum, qui illud cantavit: *Dicite pontifices: in ſacris quid facit aurum?*

Ea interrogatio ſi de auro ac divitiis ſacrorum gentilium fuit, reſponſionem permittimus gentilibus, quam Cicero aliique olim dederunt, & ſenatus populusque Romanus ipſis rebus geſtis dederunt, niſi tu, nove politice, velis,

velis, ſenatum populumque Romanum *ſine cauſa* hæc conſecraſſe & febri calida correptos fuiſſe tum, cum conſecrarent.

Quodſi jam politicus quisquam eandem paraſiti hominis interrogationem faciat de auro, opibus atque honoribus, quibus ſacerdotium chriſtianum gaudet? cumprimis reſpondebunt illi Apoſtoli, primusque Chriſtianorum populus aurum ad ipſorum pedes afferens: tum reſpondebunt Conſtantinus magnus, Theodoſius magnus, Juſtinianus magnus, Carolus magnus, Ludovicus pius, Otto magnus totque alii imperatores; Auguſtique reges Francorum, Gothorum, Longobardorum, Anglorum per omnem Europam regnantium; tot denique principes Bavariorum, Allemannorum, Saxonum: præterea tot nobiles illuſtriſſimæque familiæ ex omni gente, tot minorum etiam gentium patricii, ac denique innumerabilis chriſtianæ plebis multitudo, opum ſuarum partem in ſacra, religiones & ſacerdotia hodieque liberaliter animoque devoto conferentium. Iſtos omnes aliquid tenue de politica ſapuiſſe ac ſapere, ut nobis concedas oramus. Ego quoque concedo, tres quatuorve politicos ex Puffendorffii, imo proprie ex Wicleffi, Huſſii, & Lutheri cerebro natos ſapere aliquid tenue. Sed ſi utraque hæc ſapientia pro bilance appendatur, hinc omnium illorum, quos antè indicavimus; hinc vero Wicleffi, Huſſii, Lutheri, Puffendorffii, & Montesquiœi, ſpectaculo advoco ſenſum communem humani generis, cœleſtes ſpiri-

352. Politicis de auro ſacro reſpondent

Imperatores,

Reges,

Principes

Nobiles,

Populus.

An hi omnes aliquid politicæ intellexerint?

tus omnes, ut videant utra bilancis ſcutula plus ſapientiæ teneat? An ea in qua omnium terræ populorum ſenſus ineſt? an ea in qua ineſt ſenſus aliquot Apoſtatarum & unius duorumve hominum. Neque ego hic de eo ſolum pondere loquor, quod in pura nudaque auctoritate conſiſtit, quæ uni Carolo Magno haud dubie amplior ineſt, quam deceni millibus Puffendorffiis ac Böhmeris. Sed loquor etiam de pondere *Rationis.* Quippe ratio tot populorum conſtans eſt ipſe *ſenſus communis.* Contrà ratio unius Böhmeri v. g. forte aliquod dulce ſomnium, aut fatuus aliquis ignis, aut phantaſma, aut ſophiſma. Atqui *ſenſus communis* magis eſt *ratio*, quam quævis phantaſia unius hominis forte monoculi, aut lippi, aut infecti.

353. Et tamen hi, qui opes ſacerdotio *dederunt*, non ſunt ſoli, qui paraſito reſpondeant quærenti, *quid in ſacris faciat aurum?* Reſpondebunt præterea etiam illi, qui à ſacerdotio iterum *receperunt* opes ac recipiunt. Duo innumerabiles exercitus reſpondent uni paraſito. Reſpondet exercitus imperatorum, principum, nobilium, plebium, qui ſacerdotio *dederunt* opes: reſpondet etiam exercitus imperatorum, principum, nobilium, plebium, qui à ſacerdotio iterum *recipiunt* opes cum fœnore & auctario. Omnes enim iſti ac tota res publica maxima ſubſidia accipit à ſacerdotibus habentibus; quorum quædam in priore parte indicavimus. Atque præter hæc alimenta corporea rei publicæ inſuper à ſacerdotio recipiunt auctarium & *fœnus* ampliſſimum ac pretioſiſſimum, ſaltem à ſacerdotio catholico:

Reſpondent invidis etiam hi, qui à ſacerdotibus foventur.

imo etiam ab aliis, ubi meliora ſine culpa ignorantur. Illud autem fœnus ipſa ſorte in ſacerdotes collata multo eſt pretioſius: nimirum doctrina divina, & manu quaſi ductio ad opes quæ non veteraſcunt, & quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.

Quoniam nobis incidit ſermo de imperatoribus ac principibus chriſtianis, immorandum his eſt nonnihil. 354.

Quis horum fuerit ſenſus de opibus eccleſiæ ſeu ſacerdotio adjiciendis aut detrahendis, equidem ſupervacaneum videtur exponere ea *verbis*, quando oculi noſtri vident & manus compalpant eas divitias quas *re* ipſa iſti principes in ſacerdotium contulerunt. Si dubitarem ego, an principes exiſtimaverint, opes adjectas *nobilitati* eſſe rei publicæ noxias an proficuas? Nobilitas certe me rideret. Quid enim exiſtimaverint principes ex iis tuto deprehenditur, quæ fecerint. Nullus eſt facile princeps, qui non proſpiciat, quid ſibi proſit. Quando videmus etiam rudes quosque & alpeſtres, & Hottentottas tenaces eſſe ac perſpicaces ejus quod intereſt. Præſertim hæc ſolertia isque intellectus non potuit deeſſe principibus iis, qui ceteris fuerunt ſtudioſiores in republica curanda, & in ea augenda etiam feliciores.

Imperatores quid ſenſerint de opibus ſacerdotii.

Percurre autem, lector æquanime, hiſtorias orientis & occidentis. Compara principem principi, rempublicam ſibi ipſi: vix invenies principem, qui opibus eccleſiæ minuendis rempublicam auxerit vel meliorem redide-

Duri in ſacerdotium non auxêre rempublicam

Liberales in ſacerdotium ſtabilivere rem publicam

diderit: aut principem, qui adjectis ſacerdotio opibus ſuæ reipublicæ detrimentum noxamve creaverit. Contrà videbis principes quosque in ſacerdotium profuſiſſimos eosdem in republica gerenda inſtruendaque etiam feliciſſimos; tametſi aliqui eorum pro ſeſe ac capite ſuo fuerint ſiniſtris caſibus agitati, rebus tamen publicis nocitum non fuit propter munificentiam in ſacerdotes.

Principes magni an in ſolo ſacerdotio ditando deſipuerint?

Putasne jam principes iſtos ceteris principibus perſpicaciores, ſtudioſiores, adhæc in promovenda re publica magis impigros & irrequietos, in hoc uno â prudentia ſua aut diligentia fuiſſe deſertos, ut in ceteris omnibus viderent recta & facerent, in opibus vero ſacerdotio largiendis nec viderent quid facto opus ſit, nec, ſi vidiſſent, facere ſeu vellent ſeu auderent?

Fateor novæ ſunt hæ argutandi, novæ conjectandi artes. Quemadmodum nova etiam hæc eſt quorundam heterodoxorum audacia, politicam quandam inſanam & tyrannicam commendantium.

355. Heterodoxi hominis probra in majores imperatores.

Ex his vel ſolum intuere ſcriptorem illum, qui *Monzambanum* Germanicè reddidit, notisque ſuis auxit. Qui quidem cum nomen ſuum occuluerit non pudore ſed metu; formulæ tamen ſcriptionis videntur prodere auctorem illum temerarium aliis id genus ſcriptionibus fœdantem oculos Germanorum, adverſus quem aliàs imperii fiſcus fuit excitatus, principibus, rebusque publicis injurium hominem. Is enim non uno loco præter ce-

teer

tera pudenda in domum Auſtriacam invehitur impotenter, eam actione furti teneri, ceteraque evomit turpiſſimum mancipium.

Domum Auſtriacam.

Imperatorum vero præteriti temporis laudes ac vituperia, merita ac demerita, prudentiam ac ſtoliditatem qua putas ex re metiatur? Ex eccleſiæ perſecutione aut favore: ita ut qui eccleſiæ fecerint bene, illi huic ſpumoſo homini ſint imperatores ignavi, ſervi, bardi, & vix non noxæ reipublicæ: contra qui eccleſiam perſecuti fuerint, illos dicat optimos principes, ſanctos, vere imperatores. Ita Theodoſium Magnum, Conſtantinum, magnum, Carolum magnum homo ſpurius contemnit contumeliis probisque inceſſit, & ex alto declarat ineptos reipublicæ gerendæ. Contra Diocletianum, Julianum Apoſtatam ſuper aſtra extollit.

Illi heterodoxo ſoli magni videntur qui ſacerdotium perſequuntur:

Pii in ſacerdotium probris inceſſuntur.

Ex hujus igitur hominis lege quotquot mereri nomen *boni principis* volent, ii deinceps debebunt eſſe Diocletiani, Juliani, Domitiani, Apoſtatæ, quidni etiam Nerones, aut Dionyſii, aut Phalarides?

Forte idem Saxo doctrinam ſuam hauſit ab heterodoxo altero Petro *Cunæo*, qui in præfatione ad Juliani *Cæſares* (liber eſt hoc titulo) Julianum Auguſtum *laudatiſſimum principem* dicit, *maximis accenſendum heroibus: & ſi agitetur, qualem quantumque eſſe opporteret qui ſummum inter homines teneret faſtigium, Julianum eum eſſe, majoremque in eo atque altiorem ſpiritum viſum eſſe,*

quem uti cum CETERA IMPERATORUM PLEBE cogi in ordinem poſſet. - - - - Rariſſimam enim rem, & prope invidendam, magno ſtudio concupivit, INNOCENTIAM: & (ſine invidia dixerim) adſecutus eſt. Hæc ille.

Vides igitur etiam hic, lector humane, quò heterodoxorum aliquot ſcriptorum tendant ſtudia, conatus, jurumque evertendorum principia.

156. Principum chriſtianorum diplomata ut loquuntur?

Ceterum quæ fuerit principum chriſtianorum ſententia, legere potes ex eorum diplomatibus, quæ paſſim extant: ubi nihil eſt frequentius, quam ut profiteantur, *firmiter ſe credere*, ſi de rebus ſuis terrenis aliquid ad Dei loca, templa & ſacerdotia conferrent, hoc ſibi non ad vitæ modo æternæ beatitatem ſed & ad regni ſui munimentum & felicitatem plurimum conferre. Sexcenta id genus Imperatorum ac principum diplomata poſſem proferre in medium, & vægrandi paucorum ex ludo literario politicorum ſapientiæ opponere tot Auguſtorum decreta. Sed legantur ea apud ipſum Lunigium, apud Hundium, Meichelbeckium, & magno numero alios, qui ea ex ſecretis ſcriniis protulerunt in lucem.

Specimen diſpoſitionum piarum Germaniæ R. P. *Sylveſtri Langheider.*

In eandem etiam ſententiam complura nuper digeſſit vir doctiſſimus E. P. *Sylveſter Langheider* D. Benedicti in celeberrimo aſceterio Cremifanenſi alumnus, & in eadem illuſtri Academia Pandectarum Profeſſor ordinarius edito *Specimine de piis Diſpoſitionibus Juris Germanici*

nici antiqui: ubi de ſacris majorum noſtrorum largitionibus, de cura in iis conſervandis atque exaugendis, de diris in temeratores fulminatis, de ipſa denique Lutheri & prudentiorum ejus aſſeclarum confeſſione præclara invenies monimenta.

Sed nos jam reliquum orbis pervadamus, ut *ſenſum communem* humani generis de opibus ſacerdotalibus palam producamus.

TESTIMONIUM
UNDECIMUM.
OPES SACERDOTII APUD *GALLOS* VETERES.

Strabo Lib. III. Geographiæ hæc habet: „Apud uni- 357. Tres ordines ſacrorum hominum
„ verſos autem (Gallos) fere tria ſunt hominum ge-
„ nera, quæ in ſingulari habentur honore: Bardi, Va-
„ tes & Druidæ: horum *Bardi* hymnos canunt, poë- *Bardi,*
„ tæque ſunt: *Vates* ſacrificant, & naturam rerum con- *Vates,*
„ templantur: *DRUIDÆ* præter hanc philoſophiam
„ etiam de moribus diſputant. De horum juſtitia *Druidæ.*
„ ſumma omnium eſt opinio: itaque & *publica* iis &
„ *privata judicia* committuntur, & aliquando cauſis Omnia judicia Druidis commiſſa.
„ bellorum diſceptandis jam acie congreſſuros compo-
„ ſuerunt. Maxime judicia de cæde iis commiſſa ſunt:
„ cumque horum multus eſt proventus, agrorum quo-
„ que fertilitatem conſequi putant.

„ Ro-

„ Romani deduxerunt (Gallos) à ſacrificiorum ac
humanæ victimæ. „ divinandi ritibus, qui noſtris pugnabant: homines „ enim ſacris devoti gladio tergum ferientes ex ejus palpitatione ariolabantur. Sacris ſemper aderant *Druidæ*. Quin & aliæ hominum immolationes feruntur: „ quoſdam enim in ſacris ſagittis configebant, aut in crucem agebant, ac fœni coloſſo extructo, defixo ligno „ pecudes & omnis generis beſtias ac homines concremabant.

358. Aurum Toloſanum, Fuit in Gallia Narbonenſi *Toloſæ* apud Tectoſagas templum religione celebratiſſimum: de quibus hæc Strabo Libro quarto: „ Tectoſages quidem traditum eſt interfuiſſe Delphicæ expeditioni, & theſauros, quos Toloſæ (ea urbs eſt Tectoſagum) Cœpio Romanorum „ dux invenit, partem fuiſſe pecuniarum Delphis ablatarum, quibus illi, *de facultatibus ſuis* additione facta, eas plane numinis gratia conſecrarint. Itaque

Ejus direpti pœna „ Cæpionem, qui contrectaſſet eos, vitam in calamitatibus finiviſſe, tanquam ſacrilegum, patria ejectum, „ relictis heredibus filiabus, quas Tirragenes ſcribit conſtupratos turpiter periiſſe. - - - - Poſſidonius *pecunias* ait, ccIɔɔ Iɔɔ (hoc eſt *quindecim millium*) circiter

quindecim milliones fuere „ fuiſſe talentûm (nobis *quindecim millionum* & ultra) partim in ſacrariis repoſitas, partim in ſacris lacubus: neque ſignatas, ſed aurum argentumque in-

in lacubus demerſi. „ fectum fuiſſe.

Addit

Theſaurum ipſi Galli collegerunt.

Addit deinde, hunc theſaurum Toloſatem non potuiſſe (etiam Poſſidonii ſententiâ) venire à Delphis: ſed ab ipſis incolis Gallis fuiſſe ſacratum, & comportatum. „ Regio illa auri dives cum eſſet, hominesque „ eam tenerent ſuperſtitioſi (δεισιδαιμόνων) ac in vitam „ degendam non ſumptuoſi, factum eſt, ut *multis in lo-* „ *cis* Gallia theſauros haberet. Maxime autem paludes „ eos tutos præſtabant, in quas argenti aut etiam auri „ pondera demittebant. Romani itaque potiti ea di- „ tione, paludes publice vendiderunt: multique eorum „ qui emerunt, molas (in lapidum molarium formam „ maſſas) ex argento ductas repererunt. Toloſæ porro „ templum fuit ſacroſanctum, quod valde venerabantur „ vicini, ideoque abundabat theſaurus, multis do- „ naria dedicantibus, & *nemine attingere auſo.* Hæc Strabo, ne exiſtimes theſauros hos ideo à Gallis collectos, & adeo multos multis locis, ut neceſſitate ingruente eos educerent & ad ſui defenſionem militiam alendam, famem, paupertatemque pellendam adhiberent. Non. Sed ſervituti etiam addici à Romanis malebant, quam theſauros hos, quippe ſacros vel *attingere.*

Multi theſauri ſacri in Gallia,

quos nec in ſumma neceſſitate contingebant

In ſacris quid facit aurum? quærit politicus. Et 359.
in ſacris quidem Gallicis tantum *jacuit* conтectum paludibus; nec tamen nocuit: quanto minus jam nunc nocet aurum Galliæ hodiernæ in ſacerdotes chriſtianos erogatum, quod non jacet otioſum, ſed perennis inſtar fontis in rem publicam omnem exundat? Ex hac autem

Nec otioſum aurum nocuit.

Cœpionis hiſtoria natum eſt inter Romanos proverbium: *Aurum tholoſanum*: hoc eſt, divitiæ ſacræ rapientibus pereúnt & ipſæ, & jam antè habitas una perdunt.

Cur non adhibuerunt contra Cæſarem?

Verum politicus aliquis pro ingenti ſua ſapientia irridet Gallos, qui theſauros iſtos permiſerint Romanis, ac Cæſari. Extraxiſſent illos, eaque pecunia conduxiſſent mille cohortes Germanorum auxiliarium, contraxiſſent equos, fabricaſſennt naves, bellum adminiſtraſſent.

Vana politica.

Et quid tum? forte alios novem annos traxiſſent bellum. Et quid tum? forte adhuc duo treſve hominum milliones periiſſent: tot enim perditos memorant bello Cæſaris Gallico. Et hæc profecto fuiſſet illa ingens felicitas, quam tanto ſacro auro redemiſſent Galli, auctorem ſecuti miſerum aliquem politicum; qua felicitate forte ſolitudinem aut cœmiterium Galliam feciſſent. At forte ita certando regem fuiſſent nacti alium quam Julium Cæſarem & Romanos. Et quid tum? ſeu Gallum Gallus deplumet ſeu Romanus, parum intereſt ad felicitatem aut miſeriam gentis.

TESTIMONIUM
DUODECIMUM.
OPES SACRÆ APUD *PERUVIANOS:*

360. Utor hic, quando *Acoſta*, Petrus *Martyr*, *Garcilaſſo* aliique ad manus jam non ſunt, Hiſtoria eccleſiaſtica R. P. Cornelii Hazart Tomo II. qui ex iisdem ſcriptoribus ſua compilavit.

Impri-

Imprimis ſicut idolorum ac numinum infinita apud Peruvianos multitudo colebatur: ita his templa fuere innumera. In ſolo agro Cuskenſi circuitu trium milliarium ſtabant *templa trecenta* & *quadraginta*.

Templa innumera

Templa autem erant opulentiſſima. *Garcilaſſius* ex regio olim Incarum Peruviæ principum ſanguine ortus in ſua Incarum hiſtoria affirmat, in ſolis Peruviæ *templis* & in regiis domibus tantam vim auri argentique extitiſſe, ut omne qùod hujus metalli in Europam transvectum eſt, in illius comparatione non niſi gutta ex magno vaſe extracta videri poſſit.

In templis auri immenſa vis.

In Cuzko civitate omnia fana aureis laminis multæ craſſitiei intus fuere obducta. Crediderim id non ſolum in hoc, ſed & in aliis celebrioribus locis fuiſſe obſervatum.

Eminebant inter hæc quædam templa nobiliora, quale erat illud templum *Solis* in urbe regia Cuſco. Et hoc ipſum & alia ſtructa erant ex lapide ſecto, quadris triginta pedum longis, quas illa gens cotibus exciderat ac dedolaverat, quippe ferri uſu deſtituta, ita adamuſſim, ut ſine cæmento impoſitis iis non appareret diſcerniculi veſtigium. Ædes erat inſolentis] magnitudinis: ſacellis octo & ſeptuaginta diviſa, in quibus totidem populorum Incis ſubditorum idola ſuis quæque ritibus colebantur. Totum obductum erat tegulis auri puri, digitum unum craſſis. Vaſorum ex auro & argento fuſorum atque ductorum ea erat vis, quæ domum totam impleret, cum è

Templum Solis Salomonæo æmulum.

templo abſtracta juſſu Atabalipæ traderentur Hiſpanis. Tantaque cum eſſent, ingens tamen erat fabrorum numerus ad hoc conductorum, ut nunquam ceſſarent à pluribus in uſum hujus templi fabricandis vaſis.

Alia ejusmodi.

Ejusmodi templum magnificum extabat etiam apud urbem *Limæ*. Aliud ad flumen *Ticiquaque*. Aliud in urbe *Caxamalca*. Aliud in urbe *Cuſco*, in quo ſepulcrum Guaynacavæ regis: ejus templi non parietes modo ſed ipſum adeo pavimentum tegulis aureis opertum, & vaſis aureis infinita multitudo erat.

Sepulcrorum divitiæ pro ſacerdotibus.

Funera ipſa tum omnium, tum maxime regum cum ingentibus theſauris condebantur: è quorum uno Joannes à Turre quinquaginta millium aureorum cimelia ſolus extraxit. Ceterum theſauri funerum regiorum alimentis ſacerdotum ſerviebant.

Sacra in his, feſtaque non ſine magno ſumptu patrabantur in auro, in gemmis, in frugibus, in victimis (malum!) etiam humanis innocentium puerorum atque virginum.

361. Templorum fundi, & proventus.

Templis offerebantur ex lege *primitiæ* omnium animantium atque frugum.

Præter fundos ordinarios, omnis ager victoriâ acquiſitus in tres dividebatur partes: quarum *una* templis ac ſacris dicabatur, altera regi, tertia populo cedebat. Is populus agrum colebat non ſuum modo ſed & regis & ſacrum. Omnis rurſus proventus agri, atque animantium

tium in tres abibat partes, ut diximus. Atque tertiam fructuum partem non integram accipiebat colonus, ſed quantum ex eo in familiæ uſus eſſet neceſſarium: reliqua in horreis condebantur publicis, ſterilibus annis ſervitura.

Sed quò tanti proventus! Nempe ad ſacerdotes alendos, quorum non parvus numerus, ut in populo tam dedito ſuperſtitioni. 362. Sacerdotum ordo & diſciplina.

Sacerdotum autem erant contubernia numeroſa prope templa, victitantium ſub Pontificibus quibusdam, quorum princeps erat in templo Solis Cuſcano, eumque pontificatum etiam regii ſanguinis viri gerebant.

Præter diurna nocturnaque ſacrificia diurnæ etiam nocturnæque preces erant cum corporis caſtigationibus.

His ſacerdotibus ſinguli peccata vitæ quisque ſuæ accurate confitebantur, quin vel leves vel graviſſimas noxas reticerent. Exiſtimabantque, calamitates regni non aliunde magis quam ex diſſimulatis confeſſionibus exiſtere. Hæ porro ne fierent, jus erat ſacerdotibus, confeſſionem criminum facibus admotis & equuleo extorquere. Confeſſio peccatorum rigida.

Erat illis etiam ſynaxeos & ſacræ cœnæ quoddam genus, quando placentas ſanguine victimæ conſperſas in populum dividebant. Qui forte ritus ex ſacris Chriſtianis olim huc illatis ſuperſtites erant. Quæ ſacra in tenebras & errores reciderunt, quod cum Apoſtolicis ſedibus nulla deinceps huic populo interceſſerit communicatio. Synaxis quædam

363. Sacerdotum officia

Sacerdotum alii in monaſteriis ſuis operam impendebant erudiendæ juventuti. Quinque annorum pueri his tradebantur, qui diu noctuque cum ſacerdotibus deſerviebant in templo, neque ulli data munerum vacatio, ne regum quidem filiis.

Alii erant *Arioli* & *Vates*, fere Deorum inſtar à populo habiti.

Monaſteria virginum.

Præter hos multa erant monaſteria virginum locupletiſſima. Hæ ſub matronis honeſtis à teneris receptæ erudiebantur in omni honeſtate ac diſciplina: adeo ut ſiquid ab aliqua gravius fuiſſet & inhoneſtius peccatum Veſtalis more corruptæ viva defoderetur; ſceleris vero ſocius rogo exuſtus: neque ipſi ſolum ſceleſti, ſed quandoque omnis eorum familia, ſive propinqui.

Ceterum eæ virgines templi ornatui atque munditiei ſerviebant, & in ſacrificiis aderant ſacerdotibus. Ex his porro Regibus deligebantur uxores.

Victimæ humanæ

Sed & victimæ ex his deligebantur, virgunculæ præſtantiſſimæ, quoties pro ſalute regis eſſet ſacrificandum, corde nimirum ex ſciſſo pectore erepto. Quod illæ genus necis incredibili alacritate & gaudio ſubibant.

364. Peruviani ſentiunt opes ſacras non nocere reipub.

Hæc pauca de ſacris & ſacerdotii apud Peruviam opibus jam ſufficiant, unde manifeſte videas Politicam Incarum & totius imperii Peruviani fundamenta ſua non in attenuandis ſacerdotum opibus more Monteſquiœi & hæreticorum, ſed in iis augendis collocaſſe. Horum igitur etiam populorum ſententiâ damnantur politici, Puffendorſſiani

dorffiani & Wicleffiani, *ſenſusque communis humani generis* hac in re eo fit manifeſtior, quod non vetus modo orbis, ſed novus etiam & tanta ſeculorum ſerie ignotus in id conſpiret: *ſacerdotum & ſacratas Deo opes reipublicæ non nocere.*

TESTIMONIUM
DECIMUM TERTIUM.
DE OPIBUS SACRIS APUD *MEXICANOS.*

De his quidem parcius ad noſtram memoriam retulere ii, qui primi Hiſpanorum ampliſſimum hocce regnum ſubiere. Ii vero qui illos deinde ſecuti ſunt, regnum jamjam ab idolorum cultu ad Chriſti ſigna traductum nacti non potuere forte de iis rebus jam multa condiſcere, quippe obliteratis. 365.

Id nobis impræſentiarum ſufficit, multas magnasque in ſacra, qualiacunque ea gens agnoſceret, eſſe factas impenſas. Harum porro impenſarum participes fuiſſe ſacerdotes, minime eſt ambiguum. Quodſi vero contendas, ſumptum hunc omnem non in ſacerdotes, ſed in templa tantum & muros eſſe editum, nihilo magis pro politica Wicleffiana vel Arnoldina lucraberis. Nam Mexicanorum is ſenſus fuit, opes in templa murosque vita carentes profuſas non nocere reipublicæ, ſed potius neceſſarias eſſe ad eandem conſtabiliendam. Quanto magis ſenſus Mexicanorum debuit ferre, non nocere reipublicæ opes impenſas in alimenta hominum ac civium? atque illorum

Magnæ hic in ſacra expenſæ

Politica objectio vana.

quidem

quidem civium, qui populi eſſent doctores, ejusdemque ad divinitatem, qualemcunque veram & adorandam credebant, legatos? Mexicani de reliquo non ſtupidi regnum conſiliis, legibus, armis, politicaque munitum habebant. Proinde non erant ita ſtupidi, ut exiſtimarent, opes quidem tonſoris, & nautæ, & mercatoris ſemper plura corradentis prodeſſe reipublicæ, ſola autem nocere, quæ divinitatis miniſtris, doctoribusque populi adjicerentur.

366. Templa plurima. Ergo templa in omni Mexici regno fuere plurima. In civitate *Colulla* direpta ſunt *trecenta ſexaginta quinque templa.*

P. Joannes de Zumaraga Ordinis S. Franciſci in epiſtola ad Capitulum ſeu comitia Ordinis ſui Toloſæ in Gallia celebrata ſcripta an. 1531. apud Cornelium Hazart memorat, à ſe ac ſociis ſuis duodecim ſolo æquata jam eſſe plus quam *quingenta* idolorum fana, & plus *viginti millibus* idolorum igne deleta. Quid jam alii, aliique in regionibus tam vaſti imperii fecerint? Et quantum idolorum jam ipſe Corteſius Mexici triumphator incomparabilis dejecit in ipſa ſua prima expeditione auſus fide majora?

367. Multitudini templorum atque idolorum reſpondebat pretium & magnificentia. Exornabant enim eadem auro & exquiſitiſſimis gemmis. Quæ ſic ornata idola cum exureret R. P. Jordanus de S. Catharina Prædicatorum Ordinis, eaque inter inuſitatæ magnitudinis pretiique gemmam rogo cum idolis imponeret, rapuit in admirationem paganos, fidemque iis fecit, viros hos Apoſtolicos etiam divitiis non parcere, ſiquid offendiculi religioni numinis, ani-

animorumque innocentiæ ponerent illæ. Hazart. Cap. I. de Mexico.

Templum principis idoli (*Vizlipuzli* dixere gentiles) in urbe Temiſtitan ſive Mexico adeo erat vaſti ædificii, ut decem hominum millia ſacras in eo choreas ducere minime impeditas poſſent. Hujus autem aliarumque ædium idolis poſitarum magnificentia artisque in illis opera Europæis etiam hominibus admirationi fuere. Templum *Vizlipuzli*

Sacerdotum ipſorum quædam apud Mexicanos hierarchia fuit & ſacra politia. Qui ſummo officii gradu erant, ii *Papas* dicebantur. Alii ſacrorum miniſtri, vel Levitarum miniſteria obibant. 368. Summus Sacerdotum. *Papa.*

Quaternis diei cardinibus ſacrificabatur cum hymnis, precibusque decantatis, additis etiam flagris, quibus terga converberabant. Cultellis proſcindentes fœmora cruorem ſuummet proliciebant, eoqueinungentes tempora velut divini habebantur. Chorus.

Erant huic genti ſua virorum virginumque ſeorſim *monaſteria.* Virgines ſubibant duodennes, quæ candido habitu ſub antiſtitis degebant ſemper reclusæ, niſi quod templorum munditiem curabant, & ſacerdotum cibos ipſæ parabant. Media nocte ſimiliter & ipſæ conſurgentes laudes decantabant Deorum, nec ſine flagris. Perforatis auriculis ſanguine elicito frontem genasque collinebant. Virginitatis cuſtodiam promiſſo ſolemni ſervabant: violatam morte luebant. Monaſteria virginum.

Virorum monaſteriis octodecim annorum juventus mancipabatur; quæ biennii peracto tyrocinio ad majores Virorum

Mendicantium jus. dein ſacerdotii gradus promovebatur. In his illud peculiare fuit, quod interdum (credo id factum humilitatis cauſa) per vicos mendicarent ſtipem. Verum illi hanc ſpeciem virtutis mox inhumanitate corrumpere ſolebant: quippe cum nihil, aut ſpe forte minus daretur, ex villis agriſque ipſi quantum placeret, impune auferebant: velut injuriam non ipſi facerent, ſed à negantibus factam Dei nomine ulciſcerentur.

369. Sacrificia humana. Quam ſeſe totos diis devoverint Mexicani, quamque omnium pretioſiſſima illis ſacrificare contenderint, vel ex ipſa eorum crudelitate apparet, quod nempe humanas immolabant victimas, nec ſuis ipſæ matres prolibus parcebant. Florem generis ſui, pueros puellaſque admotas aris, ruptis præcordiis extracto corde tanquam vitæ fonte numini offerebant, tanquam gratiſſimum illi foret id, quod ipſi habebant pretioſiſſimum atque cariſſimum. Hac immani devotione in ſola urbe Temiſtitan viginti quotannis infantium millibus litatum.

Pellis detractio. Sacrificiis humanis initium præbuit *Culguacani* regis filia, quæ ut Deo ſuo ſeſe quam arctiſſime conjungeret, hoc devotionis excogitavit genus: pellem ſibi detrahi fecit, eaque neſcio an idolum, an ſacerdotem indui, rata ſe hoc modo ſororem Dei aut ſponſam veriſſime futuram. Quæ deinde res in feſtum peculiare deducta eſt, quod *Racaxipe Velizli*, hoc eſt, feſtum excoriationis hominum dicebant, & multorum imitatione celebrabatur.

CON-

CONCLUSIO.

Atque hæc hactenus de opibus in ſacra & ſacrorum miniſtros impenſis non quidem pro argumenti magnitudine ſatis diligenter, pro tempore tamen & tenuitate mea utcunque exſecutus ſum. Ubi primum ex rerum ipſarum indole oſtendimus, opes ſacerdotio catholico liberaliter tributas non mereri illam quorundam ex hæreticorum tantum ſchola profectorum politicorum invidiam. Multo minus vera dicere politicos, qui perſuadere hominibus volunt, opes eccleſiæ noxias eſſe reipublicæ, aut rempublicam ditiorem, meliorem, beatioremque futuram, ſi ſacerdotes minus habeant. Deinde digreſſus per omnes ætates & pleroſque populos, qui aliquid unquam poſſent, oſtendi, utriusque & *veteris* & *novi orbis ſenſum communem* fuiſſe à paucorum hodie politicorum ſenſu plane toto cœlo diſtantem. Atque credo, ſi tertius aliquis hominum orbis detegeretur à ſecundo aliquo Columbo aut Böhmero, nos eadem etiam in hac gente nova deprehenſuros eſſe; adeo intimis totius humani generis (tribus exceptis pſeudopoliticis) fibris innatum eſt hoc, Dei ac religionis cauſâ non quæcunque rerum detrimenta, ſed optima pretioſiſſima quæquæ, atque, ut ſacræ noſtræ literæ loquuntur, *medullam* omnium debere impendi. 370.

Opes ſacerdotum non merentur invidiam politicorum,

nec nocent reipublicæ, nec iis direptis ditior erit Resp.

ſenſus comunis veteris ac novi orbis hoc probat.

Si alius novus detegetur, idem probabit.

Quamobrem lectorem prudentem moneo, oroque, ut hunc librum legat non ſic, quaſi me ſibi loquentem percipiat, ſed quaſi ſermo ipſi ſit cum genere humano toto. Vel ſiquis eſt forte lector auguſtioris judicii, qui delecte-

Lector in hoc libro audit vocem omnium gentium.

 tur

Judicet lector inter paucos & omnes gentes.

tur in dijudicandis magni momenti diſceptationibus, is ſibi fingat, judicem ſe imploratum eſſe hinc à tribus quatuorve viris *Arnoldo* de Brixia, *Wicleffo*, *Huſſio*, *Luthero*; hinc vero à populis innumeris Græcis, Romanis, Hebræis, Ægyptiis, Indis, quosque omnes ſuprà produximus: quorum hi contendant, opes ſacras reipublicæ non nocere; illi autem quatuorviri contrà pugnent, easdem nocere opes.

Cum illi nihil momenti afferant.

A te jam judice peto, Lector vere politice vereque nobilis, ut quanta ego ex populorum ſenſu momenta attuli ad comprobandum, opes ſacras non nocere, tantum tu judex imploratus jubeas afferri à quatuor apoſtatis & ſiqui in eorum ſententiam prolapſi ſunt. Tum expenſa in utrumque latus trutinâ profer, bone lector, ſententiam & judica, ſi potes, ſanam adverſus ſacerdotium ſententiam.

Petimus, gravia argumenta contra opes ſacras,

Jure id ego quidem flagito, ut Cleromaſtiges proferant rationis, juris, & auctoritatis alicujus momenta ſatis gravia, quibus opes ſacerdotii noxias demonſtrent, adhibita etiam, ſi placet, miſera Wolffii pſeudo-mathematica methodo. Nam quæ hactenus adverſus opes ſacerdotii muſſitata à paucis ſunt, ea nec rationem produnt, nec jus nec auctoritatem quandam gravem, ſed pauca ſophiſmata, vim, & invidiam cupiditate accenſam; à qua uti ſanentur, optamus: quemadmodum & ſacerdotes opibus forte abutentes uti ſanentur, cum bonis omnibus efflagitamus.

non ſophiſmata, vim, invidiam.

In-

INDEX.

A*buſus* multi dicuntur à politicis, qui non ſunt abuſus. pag. 75.

Acatholicis reſpondetur objicientibus, cur ſacerdotes non ſint ſine pera ſicut Apoſtoli? 57.

ÆGYPTI templa vetera ſplendidiſſima. 287. Proventuum tertia pars impenditur à Sultano in peregrinationem religioſam Meccæ, 265. Ægyptus olim tota ſacra 279. Ejus ſacerdotes electi reges, ibid. & 281.

ÆQUALITAS facultatum in moderno mundo non habet locum, 122. an illa introduci poſſit, debent primi in ſe ipſis politici periculum facere. 134.

Ærarium an ſit respublica? 4. &c.

AGRI multum accepere Levitæ. 170. Agri Turcici tertia pars templis dicata, 234. 236. Agri Perſici & alii fundi templis proprii, 259. Idem apud Græcos 314. & apud Peruvianos 380. apud Romanos 366.

Alienari an poſſint prædia ſacerdotalia, & quomodo? 68. Vid. *Inalienabilitas.*

Amortiſationis lex 66. Vid. *Manus mortuæ.*

APOSTOLORUM paupertatem etiamſi non imitarentur noſtri ſacerdotes, hoc non tangeret politicos, qui id contra ſuamet principia carperent. 63.

Apoſtolis non prohibuit Chriſtus divitias, ſed promiſit 38.

Apoſtolorum imitationi promiſſæ ſunt divitiæ, & quomodo? 40.

40. 42. *Apoſtoli* ſine pera miſſi, non ut egerent, ſed ut nihil deeſſet, 45. paſcebantur tantum & neminem paſcebant, 58. *Apoſtolorum* collegium ſuperflua habuit multa, 48

Apoſtoli poſt Chriſti tranſitum divitias ſevere exegerunt à populo, 49. Multos locupletabant 50, 112, 114.

Apoſtolis una cum divitiis promiſſæ ſunt ſimul etiam perſecutiones, 52.

Apoſtolos imitari jubent politici, ipſi tamen nolunt imitari primos Chriſtianos, 55.

ARABIÆ ſacerdotum opes, 260. &c.

Arcana ſacrorum invicte cuſtodiebant Græci. 288.

Ardevilæ in Perſia templum. 256.

ATHENIENSIUM templa præcipua, 291. Generoſa munificentia in ſacris, 294. &c. In judiciis ſuffragium reſervabant Minervæ 297. &c.

AURUM in templis quid faciat? 218. 368.

AURUM TOLOSANUM 26. 376,

Augurum poteſtas Romæ, 354.

B.

BARBARI videntur alicui politico illi, qui ſacerdotium colunt, 220.

Bonſii ſacerdotes Sinenſium 366. &c.

BRACHMANES Indorum homines ſacri 241. Eorum privilegia nunquam poſſunt acquirere alii populares 242. Eorum magna privilegia & opes 243. Eorum multitudo 244 Nemini niſi Brachmani dant eleemoſinam 245. Poſſident tertiam partem opum Indiæ 243. Brachmanum monaſteria, 246.

C.

CATHOLICA religio migrabit ex regno, ubi ſacerdotium ſpoliatur, 117. Eſt ſalutaris rei publicæ & civibus, 12, 13. &c. An ſit ſtatus in ſtatu? 69 &c.

Cælibatus an noceat reipublicæ? 21.

Cenſu pecuniario fraudantur hodie domini prædiorum. 86.

CHINÆ religio, 265. ſacerdotes *Bonſii*, quorum princeps admodum dives, 266. Bonſiorum inertia, monaſteria. 267.

Chinenſium templa, 268. cum oblationibus &c. 271. Sacræ turres, 269. Idola ex montibus ſculpta, 271. Templa vectigal non pendunt, 271. Chinenſes utut pauperes & avari, non intermittunt ditare ſacerdotium, 277. Infantes expoſiti & enecti plurimi, 273. Chinenſium petacitas, 274.

CHRISTIANI ſoli perſequuntur ſacerdotes ſuos, quos infideles & barbari omnes honorant, 35. 44. 64. 80. 184. & alibi ſæpe. Implent promiſſiones Chriſti ſacerdotio factas de divitiis & perſecutionibus, 54.

Chriſtiani deteriores ſunt erga ſacerdotium ſuum, quam Judæi, 225, aut Turcæ, 234, 240, 245, 260. aut Sinenſes, 272. aut Græci, 286. aut Romani, 368. &c.

Chriſtiana doctrina non vetat ſacerdotum opulentiam.

Civium in opibus non conſiſtit res publica, 7. &c. Vid. *Oppidani.*

CLERUS vide *Sacerdotes.*

COLONI olim pauperes terræ dicti, 86. Vivunt de prædiis dominorum, Sacerdotum & nobilium, 120. 138. &c.

Coloſſus fuit idolum, 302.

Commercia augent pauperiem, 110.

Communibus neceſſitatibus an conferant ſacerdotes? 26.

CONFESSIO peccatorum in Græcorum templis, 287. Apud Sinas, 271. Apud Peruvianos, 381.

Coronarium aurum, 344.

Corporum cura ſpiritui poſthabenda in re publica, 16.

Curiones ſacerdotes Romæ, 355.

D.

Danorum ad Indos Miſſio, vide *Tranquebar.*

DAVID rex politicus quid de opibus ſacris ſenſerit? 215. 218. 220.

DECIMÆ quantum ſacertio importarint apud Hebræos? 194. Templis Græcorum illatæ, 296, 307, 311. Apud Romanos, 337, 346. Peruvianos. 380.

DELPHICI templi deſcriptio, 303 &c.

DENARIUS antiquus quam diverſus ab hodierno numo, 86.

DEUS quam laute voluerit habere Sacerdotes & Levitas, 159. 161, 168. 177.

DEUS

DEUS verus etiam illos caſtigavit, qui erga idola impii erant, 283.

Divitiæ, vide *Opes*.

Domini prædiorum alunt colonos & artifices, 120. &c. Alii ſunt ſacerdotes, alii ſeculares. 122.

DRUIDÆ Gallorum ſacerdotes. 375. &c.

E.

ECCLESIA non eſt ſtatus in regnis, ſed regna ſunt ſtatus in eccleſia, 12. 69. &c.

Eccleſia an fuerit corrupta, & an malis artibus opes acquiſiverit? 106. Hodierna ſimilis eſt antiquæ & quomodo? 109.

ELEEMOSINÆ non ſunt ſacerdotum opes 28. Et ſi eſſent meræ eleemoſinæ, non propterea ſunt eripiendæ, ibid. & 29.

Eleemoſinæ nunquam ceſſabunt in hoc mundo, 133. Vide *Pauperes*.

Eleemoſinæ Turcarum magnæ, 238. Brachmanum nullæ niſi in Brachmanes. 245.

EVANGELII veri prædicationi promiſſæ ſunt, præter cœlum, etiam divitiæ, 42. Vide *Apoſtoli*. Et Abrahamo ex eadem cauſa adjectæ ſunt, & poſtea Levitis. 51.

EUROPÆ paupertas aucta eſt ex opibus Indicis. 8. vide *Indiæ* opes.

F.

Feciales Romæ ſacerdotes. 359.

FEUDA plurima à ſacerdotiis collata in nobilitatem, 67.

Flamines Romæ. 356.

G.

Gallorum veterum ſacerdotes potentes. 375. &c.

GALLIA. in hac quis ſit ſtatus opum ſacerdotalium? 91. Habent ſacerdotes quintam partem redituum, 93. Sunt immunes à ſteuris ſeu talliis, ibid. Pendunt tamen aliquid ordinarium, 94. ex conceſſione Pontificis Maximi regibus facta, ob merita in ſedem Apoſtolicam, 96. Et pendunt ſacerdotes duplo plus quam alii non exempti, 97. nec habent ibi manus mortuas. 98.

In *Gallia* quid nocuerit magnitudo tributorum? 105.

GEN-

GENTILES religioſiores aliquibus Chriſtianis, 286, 365, 368. & multis locis. Vide *Chriſtiani.*

GERMANIA culta labore monachorum & ſacerdotum, 29. 226. Clerus Germaniæ non minus in rempublicam liberalis quam Clerus Galliæ, 98. Eſt ſcriptus in matricula tanquam libro viventium, 99. Dat cito, & plus quam imperetur, 99. & pro portione plus quam ſeculares, principes. 100.

Græcorum religio quantum in ſacra impenderit, 281, 289. usque 329. Cur regibus poteſtatem ſacrorum ademerit, 282. Græci politici valde, quid de opibus ſacris ſenſerint, 286. Arcana ſacrorum invicte cuſtodiebant, 288. Quomodo punierint ſacrum peculatum, 288. 305. 309. 315. 317. Apud Græcos ſacerdotum numerus. 324. &c. vide *Templum, Athenienſes.*

H.

HEBRÆORUM respublica everſa eſt per ea principia, quæ poſtea Puffendorffius & alii principibus ſuaſerunt, 70.

Hebræus populus quanta impenderit in ſacerdotium ſuum, 159. usque 229. vide *Levitæ, Templum.*

Hoſpitalitas monaſteriorum ab ingratis ſugillata. 30. 59.

I.

Jacobi patriarchæ teſtamentum. 178.

IDOLA ſculpta ex totis montibus apud Sinenſes, 271. Erga idola impii nonnunquam à vero DEO caſtigati, cur? 283. &c.

Immunitas opum eccleſiaſticarum non nocet reipublicæ. 26.

Impietas etiam erga falſos deos punita à Deo vero, cur? 283.

INALIENABILIA eſſe prædia ſacerdotum an noceat reipublicæ? 60.

Inalienabilis ab Abrahami poſteris fuit terra Chanaan, 60. Et hoc fuit fundamentum totius reipublicæ Hebræorum, 61. Apud Ægyptios idem valuit pro ſolis ſacerdotibus, nec nocuit reipublicæ, 62. Fiſci res inalienabiles eſſe, non nocet reipublicæ, 64. Inalienabiles eſſe opes Levitarum voluit Deus, 169. Opes ſacerdotum apud Indos ſunt Inalienabiles 244.

Independentia, maxime à Romano pontifice, an ſit eſſentia rei publicæ. 12. 69. &c.

INDIÆ opes auxerunt Europæ paupertatem, 8, 252.

Indorum populi variæ tribus, quarum præcipua ſunt ſacerdotes. Tertiam opum Indiæ partem poſſident Brachmanes, 243. Imo dimidium, 250. Hoſpitalia, 248.

INVIDIA erga ſacerdotes palliatur curâ reipublicæ, 2, 3. Quomodo dicat, prædia ſacerdotum nocere reipublicæ. 25. Quomodo ſe variè torqueat, ex hoc toto fere libro apparet. 80, 83. Invidia ergo ſacerdotes tantum apud Chriſtianos valet, non apud Judæos, 184, non Turcas, nec alios infideles. paſſim. vide *Gentiles*, *Chriſtiani*.

JUDÆ. vide Hebræi.

Juramentum per Jovem cur verus Deus aliquando vindicaverit, 286.

Jus civile Romanorum arbitrio pontificum ſuberat. 368.

Jus naturæ heterodoxorum corrumpit nobiles Catholicos. 154.

Juventus præcipue in religione inſtituenda. 153, &c.

L.

Lamæ Tartarorum ſacerdotes, 277.

Lautities ſacerdotum non nocet reipublicæ, 57. Et cur aliorum lautities non nocet? 58. ſacerdotum lautities aliis videtur ſordities. 59. vide *Hoſpitalitas*.

LEVITARUM apud Hebræos opulentia, 159. &c. Optima totius regionis obtinuerunt, 160, 167. de civitatibus quilibet Levita decuplo plus accepit quam quilibet alius Iſraëlita. 165.

Levitarum & ſacerdotum pomœria, 170. Pecora, 176. Divitiæ in agris, 164. &c. Primitiis, 185. &c. Decimis, 194. Sacrificiis, 198. Lepræ judicio & purificationibus, 203. &c. Oblationibus, 205. Votis, 207.

Levitis cur non ſeorſim attributa aliqua regio in Chanaan, ſed per omnes tribus diſperſi habitaverint, 162. &c. Ex juſtitia illis debebatur duodecima regni portio; ſed in gratiam Avi Jacob & propter voluntatem Dei renuntiarunt, juri ſuo, 178. ideo hæc pietas ampliſſime remunerata fuit, *ibid.* Levitis omnia commodiſſima eſſe voluit Deus, 163. 166.

LIBERTAS non eſt eſſentia reipublicæ, 11. Multum eſti nominis, parum rei, *ibid.* Pro libertate pugnantes pugnant, ut ſerviant, *ibid.* vide *Independentia.*

LUDI Romanorum erant pars religionis quam ſumptuoſi? 347. 351.

LUTHERI tempore eccleſia ſimilis fuit eccleſiæ antiquæ, in quo? 109. Ejus auctoritas & prudentia collata cum ſenſu communi, 369. 388.

Lutheranorum Miſſionariorum ſupellex ex Europa, 57.

Luxus vide Lautities.

M.

MAHUMETANI. vide *Turcæ, Perſæ, Arabes, templum.* Princeps ſacerdotum Mahumetanæ religionis Schekus, 261. &c. Caravanæ magnis exercitibus portant opes in Arabiam, 161. &c.

Meccha ſedes Scheki, 261.

MANUS MORTUÆ ſacerdotum, 81. &c. 98. 100. 102.

MENDICANTES Religioſi an noceant reipublicæ? 143. vide *Religioſi.*

MERCATUS Indici non fecerunt Europam minus pauperem. 8. 252.

MEXICANORUM religio, templa, ſacerdotia, 383. &c. Monaſteria, 385.

MILITIÆ veteris & modernæ apud nos diſcrimen, 87. &c.

Militiâ quod abſtineant ſacerdotes, an id noceat reipublicæ? 90.

Militem armant ſacerdotes & nunc & olim, 87.

Milite perpetuo debuiſſet decreſcere numerus pauperum, 8.

Miracula petuntur à ſacerdotio. Miraculum eſt, inter tot inſidias eorum opes durare, 116.

MISSIONARII Lutherani non eunt ſine pera ad Indos. 51. imo nec ſine appendicibus carnem & oſſa habentibus, *ibid.*

Miſſionarii Orientis nutriuntur à rege Chriſtianiſſimo. 251.

Miſſionarii politici cur non fiant, 250. 276.

MOISES an fanaticus. 220.

MONACHI labore ſuo excoluerunt Germaniam, 29. &c. Eorum parſimonia, 30. Hoſpitalitas ſugillata, *ibid.*

Monachi Turcorum, Indorum,

rum, Chinæ, Mexicanorum, Peruvianorum, vide hos titulos.

Mores antiqui cur ſolis ſacerdotibus imperentur, non etiam politicis. 55. &c.

Mortuæ manus. vide *Manus.*

Mufftii auctoritas apud Turcas, 232.

N.

NOBILITAS vera patrocinatur ſacerdotio. 32.

Nobilitas & ſacerdotium alunt reliquam multitudinem, 139. mutuo ſeſe ſuſtentant. 141.

Nocere poſſe non meretur perſecutionem. 20. 74.

Nocere poſſunt milites, mercatores, nobiles, reges. *ibid.*

Numus modernus ab antiquo diverſus, & in hoc detrimentum dominorum. 86.

O.

Oeconomiâ ſacerdotum bonâ pſeudopolitici abutuntur, 93, 104.

OPES non faciunt beatam rempublicam, 4, 7. Indicæ ſunt cauſa paupertatis in Europa. 8.

Opes Nobilium, mercatorum &c. nocent reipublicæ, ſi nocent opes ſacerdotum, 3.

Opes ſacræ quando poſſint in rem publicam verti? 295, 296, 305, 306. Templorum, vide *Templum.*

OPES SACERDOTUM an poſſint alienari? vide *Inalienabilis.* Male impenſæ dolent, 74. Impenſæ ſacerdotio, an perierint reipublicæ, 76. Servant rempublicam, ſacerdotio vero detractæ eam evertunt, 157. 158. 305. 310. 313. 374. Cur poſſent nocere reipublicæ, cum ſint alterius naturæ, quam opes aliorum? 24, 82. Nocent captæ manibus illegitimis 25. atque etiam alias devorant, 305. &c. 376.

Opes ſacerdotum non ſunt meræ eleemoſynæ, 27. alias etiam aulici ex eleemoſyna viverent, 28. Sunt bona induſtrialia, 29. Parſimonialia, 30, 33, 104. An malis artibus ſint partæ? 106. An ſint nimiæ? 33. Et, ſi nimiæ, an noceret hoc reipublicæ? 35.

Opes ſacerdotum ſunt certo modo ſignum veræ eccleſiæ 39, 44. Sunt perſecutionibus conjunctæ 52. Quod inter tot inſidias

dias

dias darent, miraculum eſt, 116. Sacerdotibus ereptæ quibusnam poſſent utiliter diſtribui, an fiſco, nobilitati, colono, pauperi? 118. &c.

Opes ſacerdotii in Gallia. vide *Gallia.*

Opes ſacerdotio Judaico debebantur ex juſtitia, 178. itidem etiam ſacerdotio Chriſtiano, 183.

OPPIDANI aluntur à dominis, ſacerdotibus & nobilibus, 120. 139.

P.

Pagodæ Indorum. vide *Templum.*

Pantheon Athenienſium, 293.

PAUPERIES publice crevit per opes Indicas illatas, 8. Non ceſſaret, ſi ſacerdotium ſpoliaretur, 110 &c. ſed major fieret, 111, 125. Fuit ante apoſtolos & ſacerdotes, 112. Non evertit rempublicam, 4 &c.

PAUPERES plus habent fiduciæ in ſacerdotibus quam aliis, 115. & per ſacerdotium dives minuitur paupertas, 50. 116. 112. Ex juſtitia poſſunt exigere eleemoſynam, 123. vide *Eleemoſyna.* Pauperum munerus in Germania, 8.

PECUNIA vetus & hodierna ut differant. 86. Pecuniam non ferebant, qui in templa intrabant apud Græcos, cur? 287. Pecuniâ ſacra in neceſſitate uſi ſunt Græci, 295. non item Galli. 378.

PEREGRINATIONES Indorum, 247. Mahumetanorum ſumptuoſæ. 238, 261 &c.

PERIRE aliquid, quid ſit? 76. An pereant reipublicæ ea, quæ ſacerdotio tribuuntur? 79. 84.

PERSARUM religio? 254. ſummus ſacerdos *Seder*, cum multitudine ſacerdotum minorum, 255. Templa præditia. 256.

PERUVIANORUM ſacerdotia, monaſteria, templa. 378 &c.

POLITICA ſitne ſana, quæ ſacerdotium vult pauper eſſe? 148 &c. 275, 368, 370, 376, 378, 387. Quid ſentiat de opibus Deo dicatis, 215. An permittat, tot miſſionarios in oriente ali ab Europa? 251 &c.

POLITICI de qualibus nobis ſit ſermo, cum illos vituperamus? videatur Præfatio. Quomodo mallent applicari opes ſacerdotum? 32. An ſint magis politici quam David? vide *David.* Quàm Conſtantinus, imperatores,

 reges,

reges, populique omnes? 369 &c. 387.

POLITICORUM FALSORUM inſcitia, ſophismata, cum opes ſacerdotii nocere dicunt, ubique ſe produnt, pag. 3, 12, 15. 19, 20 &c. 28 &c. 34, 36, 38, 44 &c. 49, 51, 55 &c. 58, 63 &c. 67 &c. 73 &c. 79, 83, 93, 97, 100, 104, 108, 144 &c. 153 &c. 166, 177, 181 &c. 206, 220, 223 &c. 227, 240, 249, 250 &c. 264, 275, 286, 368 &c. 376 &c. 387.

Politicorum inſcitia damnata ab Aſia, Africa, Europa, America, 264, 287.

Politicorum prudentia, horribilis, 184. Deberet experimentum prudentiæ facere conſulendo paupertati potius quam eam augendo, 110. Eorum inſcita iniquitas, 118. 289, 310. 314. 329. Quam inſcite æqualitatem exigant. 134. vide *Æqualitas.*

POLITICI volunt reformare ſacerdotes ad tempora apoſtolorum, ipſi autem nolunt reformari ad tempora antiquorum Chriſtianorum, 55. 277. Beatam rempublicam faciunt per vitia, 58, & per ſpolia ſacerdotum, 117. 275. 376. Vituperant induſtriam ſacerdotum, 93, eorumque liberalitatem. vide *Hoſpitalitas.* Cur non faciant Miſſiones in orientem, 250, 276.

PONTIFICIS auctoritas in Roma gentili, 363. In ejus arbitrio erat Jus civile Romanorum, 368.

PONTIFICIS Romani poteſtas an noceat rei publicæ? 69. 73. Indulgentia in reges Galliæ ob eorum merita. 96.

Pontifex ſæpe juſſit ſubveniri reipublicæ, 74. Poteſt abuti ſua poteſtate: nec ideo abjiciendus. 74.

Potitii ſacerdotes Romæ. 353.

PRÆDIA ſacerdotum an gignant venena, 24. Bona ſunt: ſed malum eſt, ſacerdotis vicinum ea non habere, 25. An poſſint alienari? vide *Inalienabilis.* Multa eorum collata in nobilitatem. 66.

Præſcriptio contra Hebræos non habuit locum pro Chananæis. 61.

Primitiæ Judæorum proventus ſacerdotum. 185 &c.

Pri-

Primogenita pecorum quantus proventus ſacerdotum. 189, 193.

PRINCEPS non eſt ipſe res publica. 8. Nec in ejus ærario conſiſtit res publica, 4, 6. Neque huic nocent opes ſacerdotum. 6.

PRINCIPES inveniunt cor ſuum, quando domui Dei præparant bona. 217. Eorum familiæ firmantur in ſolio per liberalitatem in ſacra. 217, 218. 369. 374. Quid de ſe ſentire debeant? 219. Decipiuntur à politicis Puffendorffianis, 224.

Principis magni politici ſententia de rebus Deo dicatis. 215.

Principum Turcorum liberalitas in templa. 234 &c. Non ſunt domini bonorum religioſorum. 237. Vide *Perſæ*, *Indi*, *Arabes*.

PUFFENDORFII fanatiſmus politicus de ſtatu in ſtatu, 12, 69, 220, 223, 264. Ex ejus principiis everſa eſt res publica Hebræorum, 70. Ejus miſera invidia, 166. 175. 177. 275. Ejus jus naturæ miſerum, 70. Ejus ſapientia comparata cum S. Paulo, 49. 117. cum ſenſu communi. 369. usque ad finem. Ejus jus naturæ contradictorium. 223. Tattaris forte conveniens, 277. Deberet is ad Sinas proficiſci miſſionarius politicus, 272.

Purificationes Judæorum erant proventus ſacerdotum, 204.

R.

RATIO politicorum felix in reformando ſacerdotio, infelix in ſeipſis, 56. Imaginaria ſapientia collata cum vera ac reali bonorum principum & populorum, 369 &c. 372. 387. Vide *Politicorum inſcitia*.

REFORMARI ſi debent ſacerdotes, debent etiam politici. 55.

RELIGIO eſt baſis rei publicæ, 152. 282. Perit, niſi ſacerdotes honore & opibus augentur, 154. Vide *TURCÆ*, *Græci*, 386. Religio Romanis idem erat ac jus Curiæ. 367.

RELIGIOSI mendicantes an noceant rei publicæ? 143. Iis ſublatis non juvabitur res publica, 144. An melius ex iis fierent artifices, aut milites? 143. alunt multos laicos pauperes & divites. 146.

RES

RES PUBLICA male accipitur ab invidis politicis, 2. 3. Non eſt ærarium principis, 4. Etiam pauper bona & ſalva eſſe poteſt, 4. 7. Etiam dives perire poteſt, 5. 7. Poteſt eſſe ſine rege, 9. Non eſt ſita in libertate. 11.

Reſpublica eſt tota civitas cum omnibus membris, adeoque etiam ſacerdotibus, 13. Conſtat corpore & ſpiritu, qui curandus eſt præ ceteris, 15 &c. Fit beata per vitia, ſi politicis fides, 58. Evertitur principiis Puffendurffianis, 70 &c. Servatur opibus & honoribus ſacerdotii, 158. Europæa non fit firmior mercatibus Indicis. 252.

Reipublicæ fundamentum eſt religio, religionis fulcrum ſunt opes & honor ſacerdotii. 155. 365 &c. 369. 374.

REX non eſt ipſa res publica, 8. 14. Regna Chriſtiani an à diabolo acceperint? 222. Reges. vide *Principes*.

ROMANI divites rempublicam perdiderunt, qui pauperes eam erexerant, 4. Fundamentum reipublicæ ponebant in religione, 330, eique ſubjiciebant magiſtratus omnes, *ibid.* Juventutem præcipuam miſerunt in Hetruriam ad diſcendam religionem ſacrorum, 153. Religione ſubegerunt orbem, *ibid.* Romanum civem & tribulem fieri idem erat, ac Romanam religionem amplecti. 367.

Romanorum politica quam diverſa à noſtra? 368. Jus civile erat in arbitrio pontificum. 368.

Romanorum ſacra & in ea impenſa ingens, 336 &c. Ludi ſacri, 347. 351. Sacerdotum numerus maximus, 352. Poteſtas ſacerdotii 364. 366. 156. Ordines, augures, flamines &c. 353. 363.

Ruſtici olim dicti pauperes terræ, 86.

S.

SACERDOTES Chriſtianorum an ſint homines? 228. Nihil recte faciunt invidis, 22. 58. 59. 63. An pertineant ad rem publicam? 25. 34. 38. 63. 104. 118. 142. 184. An ſervis deteriores habendi? 27. An ex eleemoſina victitent? 27 &c. Si vel nihil penderent in publicas neceſſitates, non nocerent reipubli-

publicæ 26. Non aluntur ex publico, ſed privato 27. Sibi parci, ut proſint multis aliis 31.

SACERDOTES Chriſtiani ſoli deſpiciuntur à ſuis 36. 44. 80. 166. 183. 369. Quomodo debeant imitari apoſtolos ſine pera exeuntes? Vide *Apoſtoli, Miſſionarii*. Præter divitias à Chriſto promiſſas, etiam acceperunt promiſſas perſecutiones 52 &c.

SACERDOTES ſi eſſent angeli, non ita patienter ferrent politicorum inſidias 18. An corpore, an animo noceant reipublicæ? 19 -- 21 &c. Non ideo ſpoliandi, quia nocere poſſunt 20. Avari an ſtatim noceant reipublicæ? 37. Vide *Hoſpitalitas*.

SACERDOTES an acquirant tantum, nunquam perdant? 64. 85. 108. Multa contulerunt in nobilitatem 66. Multa amiſerunt 85. An malis titulis acquiſiverint opes? 106.

SACERDOTUM vita jure naturæ Puffendorffiano & Wolfſiano debet eſſe commoda 223.

SACERDOTUM OPES debentur illis ex juſtitia 183. 225. Sunt commune bonum omnium 142. 227. cujus omnes participes fiunt *ibid.* Opibus his invidentes invidiæ prætexunt curam rei publicæ 2. 3. Panis ſacerdotum an ſit venenoſus? 24. Prædia an mala? *ibid.* vide *Prædia, Opes.* Spoliare eſt noxium conſilium politicorum 56. 277. 275. vide *Politici*. An perierint reipublicæ? 76. 216. Sacerdotio Spoliato an ceſſaret publice paupertas? 110. vide *Pauperies*. Sacerdotio ſpoliato perit religio 154. 117. 125. Spoliatio ſacerdotum eſt inſignis politia 221. Beneficia in alios 183. Vide *Mendicantes*.

Sacerdotum cultores barbari ſunt, ſpoliatores politi 220. 313. Multitudo an noceat reipublicæ? 327 &c.

Sacerdotia turpiter filiis ſuis ambiunt divites, ſi ſacerdotum opes ſunt eleemoſinæ. 28 &c.

SACERDOTUM OPES ſeſcuplo majores quam populi apud Hebræos 193. 196. 164. alibi. 159 &c. Pro eorum commodis quam ſollicitus fuerit DEUS? 160. 163. 166. 168. 177.

SACERDOTUM hodie opes in Gallia. vide *Gallia*.

Sacerdotium Germaniæ. vide *Germania*.

Sacerdotum manus mortua. vide *Manus mortua*.

Sacerdotum honores apud Gentiles 155. 313.

SACERDOTES Turcorum ſunt eorum judices 233. immunes ab oneribus 237. Indorum ſunt omnium nobiliſſimi 241. Romanorum imperabant magiſtratibus 330. 363 &c. Immunes ab oneribus reipublicæ, ſed participes honorum 364 &c.

Vide Hebræi, Indi, Turcæ, China, Arabes, Græci, Romani, Tartari, Ægyptii, Galli, Peruviani, Mexicani.

SACERDOTES minima parte opum ſuarum fruuntur, ſed pro uno ſacerdote ſemper quinquaginta laici ex ſacerdotalibus bonis aluntur 138 &c. 143.

SACERDOTIUM & nobilitas mutuo ſe fulciunt 141. Integrum ſervare & opulentum, intereſt omnium ceterorum ordinum; quia eſt bonum omnibus commune 142.

SACRIFICANDO an aliquid donemus Deo 215. 218. Sacrificata Deo an pereant rei publicæ? 66.78. Sacrificiorum ſumptus apud Judæos, quorum major pars ad ſacerdotes ſpectabat 198. Quantus numerus ad templum? 213. 215.

Sacrorum poteſtas cur ademta regibus? 382. 282.

Salii Romæ ſacerdotes 359.

SCHEK ſummus ſacerdos Mahumedanorum omnium 263.

SAMBUCUS ob ſacrilegum peculatum ut punitus? 302.326. adde 288.

SENSUM COMMUNEM eſſe omnium ætatum & nationum ſcribit Julianus Auguſtus, ut ſacerdotibus opes & honores conferantur 312 &c. 369. 387.

SINA vide *CHINA*.

Spiritualia rei publicæ curanda præ corporalibus 15.

STATUÆ Græciæ innumeræ 305. cum ſacerdotum numero comparatæ 328 &c. Romanorum 340 &c.

STATUS IN STATU fanatismus politicus Puffendorffii 12. 69. Exponitur de eo ſtatus quæſtionis 71.

Steuræ olim nullæ 88. vide *Tributa.*

T.

TARTARORUM ſacerdotium quomodo dives? 277.

TEMPLUM Solymæum quam pretioſum 220. et tamen hæc omnia David vocat paupertatem; merito 218. In illo ædificando laborarunt 240000. hominum annis ſeptem. 214.

TEMPLORUM ornatus & aurum an ſit irrationabilis 218. 368.

TEMPLA TURCARUM poſſident tertiam partem agri ſeu fundorum in imperio 234. S. Sophiæ habet annua 100000. aureorum ex ſola urbe 235. Templorum bona ab oneribus publicis exempta 237. Eorum pecunia ſola licite exponitur fœnori quam maximo *ibid.*

TEMPLA Perſarum opulenta 256, præ ipſo rege 259. fundis locupletia *ibid.*

TEMPLUM Meccæ & Medinæ divitiis ex Africa, Europa & Aſia augetur 261. 264.

TEMPLA Indorum plena Brachmanum 244. Tributum accipiunt ex teloneis, monetis &c. 146. Ditia 248. Templorum numerus maximus 247. Reverentia. *ibid.*

TEMPLA Sinenſium plurima, magnifica 268. 271 &c. Templum decem millium idolorum 269. 270. Ditia in regione paupere 272.

TEMPLA Græcorum, in ea nec pecunia nec arma inferebantur 287. In his aſylum debitoribus 287. Templorum Græciæ multitudo ingens 290. Spoliatio ut punita? 288 &c. 305. 309. 315. 317. Athenienſium 291. Corinthi 292 &c. Iterum athenienſium 294. 296. Junonis Myceneæ 298. Æſculapii Epidaurii 299. Didymæi Apollinis 300. Sine tecto 301. Epheſinum Dianæ 301. Delphicum Apollinis 302. Olympicum Jovis 318. Deæ Syriæ 323. Theſauri templorum 308 &c. Templis reficiendis Alexander decem milliones miſit 317. Templis donari hortatus eſt Julianus apoſtata 313. Sacerdotum numerus 324 &c.

TEMPLA Romæ ultra quadringenta 331 &c. Eorum magni-

magnificentia 335. Theſauri 337 &c. 344. Capitoiium 337 &c. Dona Auguſti 340. Statuæ aureæ 340 &c.

TEMPLA Peruvii 379 &c.

TEMPLA Mexicanorum 383 &c.

TEMPLORUM etiam gentilium cultus à vero Deo præmio affectus 284.

TOLOSANUM aurum, id eſt, ſacris abreptum, noxium 376.

TRANQUEBARIENSIS Lutheranorum Miſſio non ſine pera erecta, nec primus apoſtolus potuit carere puella 57.

TRIBUTA ante aliquot ſecula non ſunt penſa ut hodie 88. Ea non pendit Clerus Gallicanus 93. et tamen eſt in regem liberalis 96 &c. Tributorum magnitudo noxia rei publicæ 105. Tributum ubi penditur à templis, languet religio 271.

V.

VESTALES virgines Romæ 357. Item Peruvii 382. Et Mexicanorum 385.

VIZLIPUZLI idolumMexicanum 385.

VOTA Hebræorum fuere proventus ſacerdotii 207 &c. Vota Romanorum magnifica 340 &c. 344.

ERRATA.

pag.	lin.	mendum.	emendandum.
9.	20.	Regum VII.	Regum VIII.
32.	penult.	neque in *alium*	neque in *aliam.*
50.	15.	Cap. VII.	Cap. VI.
52.	24.	Marci III. v. 25.	℣. 21.
53.	11.	*Prophetam*	*Prophetas.*
	13.	*eum* occident	*occident* eum.
54.	5.	Cap. X. v. 49.	v. 29.
	24.	Matth. XVIII.	Matth. XVIIII.
56.	25.	*populi*	*populis.*
58.	6.	*Ex* hoc.	*Et* hoc.
62.	9.	*quod* divina	*quam* divina.
	23.	Geneſ. XVII.	Gen. XLVII.
70.	24.	Hoc *neque*	Hoc *nempe,*
78.	12.	*quod* hoſpites	*quam* hoſpites.
84.	8.	Cap. XXXV.	Cap. XXV.
98.	8.	*penderunt*	*pependerunt.*
	9.	*penderant*	*pendebant.*
99.	3.	*quanta*	*quantam*
100.	21.	*penderant*	*pendebant.*
107.	6.	non exceptio	non *detur* exceptio.
	22.	& *doctor*	& *doctus.*
111.	14.	quod *videt*	quod *videtur.*
120.	24.	*graviter*	*gnaviter.*
123.	6.	vivere *debeat*	vivere *debent.*
128.	16.	*Stüffe* und Steur	*Stüfft*
	ult.	*&* plus	*non* plus.
132.	20.	*pauciores* eſſe	*parciores.*
145.	15.	*Quodſi faciamus*	*Quidſi.*
146.	23.	*nullum* conſilium	*malum* conſilium.
176.	17.	Summa 1256. &c.	1250. &c.
182.	11.	*quia* nihil terræ	*qui* nihil.
185.	20.	*morientis*	*morantis.*
189.	20.	*poſſeſſione*	*profeſſione.*
192.	3.	f. 1000. modii &c.	f. 10000. modii &c.
193.	13.	obveniunt 150. *adde:* ſolos etiam maſculos tanquam primogenitos cenſendo, & reducta ſummâ ad dimidium, nempe ad *tres milliones.*	

pag.

pag.	lin.	mendum.	emendandum.
201.	ult.	℣. 24.	℣. 27.
202.	16.	*eo* omnibus	*ex* omnibus.
204.	18.	Cap. XIV.	Cap. XV.
210.	23.	Cap. XXXIV.	Cap. XXIV.
222.	11.	adulentur	adulantur.
233.	penult.	Falcimanes	Falismanes.
253.	6.	unicum	unicam.
	7.	*quia* ſubducta	*qua* ſubducta.
256.	23.	contingi *poſſit*	*poſſint.*
257.	19.	earum - adde	*diameter.*
258.	antepen.	*inordinata*	*inornata.*
262.	15.	jumentorum - adde	*ex ſola Cairo* educuntur.
276.	penult.	aliquorum *teſta*	*teſtas.*
281.	6.	*hinc* vaſtatorem	*hunc.*
283.	14.	merito *viderer*	*riderer.*
284.	6.	ut *probat*	ut *probaret.*
285.	10.	*earum vocibus,*	eorum.
	13.	*Libertas*	*Libertus.*
287.	12.	*relinquunt: ferum*	*relinquunt: ferrum:*
288.	5.	non *delectabant*	non *detrectabant.*
	antepen.	EPISCOPPI	EPISCOPIÆ.
295.	11.	*quadraginta*	*quadringenta.*
296.	12.	*Delphini*	*Delphicis.*
304.	3.	*juncturas*	*picturas.*
315.	1.	fanum *conſervavit*	*conſecravit.*
317.	9.	decem millia - adde	talenta.
321.	6.	dicatæ *areæ*	arcæ
322.	1.	*Cypteli*	*Cypſeli.*
323.	24.	& *Capilli*	*tapilli.*
327.	2.	deterſum *proſtent*	*præſtent.*
330.	13.	*donando* tantum	*docendo.*
334.	4.	de *lauditus*	de *laudibus.*
340.	1.	*infelicitas*	*infeliciter.*
344.	antepen.	*populi* triumphantis	*populis* triumphantis.
346.	6.	*quingennales* conſtituit:ut-	quinqueñales conſtituit;&
347.	13.	bobus *Jovis.*	bobus *Jovi.*
353.	20.	*edocta* fuerant	*edoctæ.*
362.	14.	per *orbem*	per *Urbem.*

D 123

JA753
D457o